

**QVARTA DIES MAII.  
DE SANCTO PIO QVINTO SVMMO  
PONTIFICE.  
VITA**

**Auctore Ioanne Antonio Gabutio**

**Epistola Dedicatoria**

**Sanctissimo ac Beatissimo Patri & D. N. Paulo V.  
Pontifici Maximo, Ioannes Antonius Gabutius,  
Clericus Regularis S. Pauli, sempiternam  
felicitatem.**

Quæ Pius V, & dignitate & virtute sanctissimus Pontifex, qui Te, Beatissime Pater, in supremo isto Apostolicæ Majestatis fastigio, octavo jam loco præcessit, sanctarum actionum reliquit exempla, [Qui gesta Pii V memoratu dignissima,] ea piorum omnium ac recte sentientium iudicio, plane digna censentur, quæ cunctarum gentium litteris ac linguis ubique celebrentur, & in quibus commemorandis non modo tenuitas mea, sed acriora quoque præstantium scriptorum desudent ingenia. Hac namque ratione, & divini nominis gloria, quæ in tanti Pontificis virtute mirifice claruit, longius ac latius forte propagabitur; & mortalium animis, quibus hæc legere libuerit, tam præclaro virtutum exemplo proposito, consuletur egregie; & ipsius denique summi vir, quæ piis mentibus grata æque ac jucunda semper fuit, memoria ab hominum oblivione facile vindicabitur. [plurium hortatu scripserat auctor,] Hæc videlicet fuere causæ, cur ego superioribus annis, non equidem sponte mea, sed amplissimis viris, in primisque Michaelæ Bonello, Cardinale Alexandrino, mox vita functo, ac deinde Sebastiano Gislerio, Strongolensium Episcopo, ejusdem Pontificis consanguineis; atque aliis, quorum a nutu

**discedere mihi non licebat, sæpius impellentibus; Pii vitam ac res gestas litteris consignandas, parendi voluntate magis, quam perficiendi facultate, susceperim.**

**Opus igitur cum ex aliis multis ac probatis auctoribus, tum ex variis ac certis, quæ idem Cardinalis ceterique multi locupletes & oculati testes mihi suppeditarunt, monumentis ac testimoniis, [jam impressum ac probatum opus] bona fide collectum, etsi minus pro dignitate, sane quidem pro ingenii mei tenuitate acrique historicæ veritatis studio, Deo bene juvante, conscriptum; summorumque virorum, harum rerum peritorum, in primis vero gravissimo tuo, Pater Beatissime, dum Cardinalis esses & Clementis VIII in Urbe Vicarii munere fungereris, iudicio cognitum & approbatum, vix dum typis mandatum erat; cum ecce Te ad Ecclesiæ suæ sanctæ tenenda gubernacula, nihil ejusmodi cogitantem, [offert recens creato Papæ Paulo V,] pro singulari sua providentia Deus evocavit. Et sane non casu aliquo, sed divino consilio factum videtur, ut hoc qualecumq; opus, jamdiu quidem inchoatum, sed variis de causis sæpius intermissum, Tibi quasi de industria reservatum dicaretur; ut ejus potissimum fultum patrocínio, augustissimoque nomini consecratum prodiret in lucem, cui uni omnium maxime deberi constaret. Nam & sanctissimi Pontificis vita resque præclare gestæ, nulli magis quam summo Pontifici, ejus in locum & potestatem successori, cum relegendæ tum imitandæ, opportune vel aptius proponuntur: & Pii V virtutum recordatio haud injucunda esse potest ei, qui Christianæ pietatis cultor & propagator egregius, Pium ipsum semper mirifice coluit; & cum aliarum virtutum omnium splendore, tum in primis singulari morum integritate, eximia mansuetudine, summa prudentia conspicuus, eum & moribus & vita sic exprimere videtur, ut admirabili sapientissimorum S. R. E. Patrum consensu, ita Deo bene providente, illi succedere, atque adeo Christi vices in terris meruerit sustinere.**

Huc accedito, quod sicut optimum & eruditissimum virum, [Gisteriorum Patrono,] Marcum Antonium Burghesium, genitorem tuum, pro singulari ejus virtute ac pietatis studio, Pius plurimum diligebat; eumque propterea Christi pauperum, quos idem Pius in visceribus sinceræ caritatis suæ semper gerebat, Advocatum in Urbe jampridem constitutum benigne conservabat in officio, fidelique illius opera libenter utebatur; ita magna plane Sanctitatis tuæ in Gislerios, ejusdem Pontificis consanguineos, omni tempore benignitas extitit: quam illi tum potissimum agnovere, cum annuente Clemente VIII, & Collegii sui Ticinensis a Pio V erecti causam tibi delegatam de jure dirimi, ac sapientissimo judicio tuo magnis laboribus terminari, & memoratum Sebastianum Episcopum abs te tam libenti animo consecrari viderunt. Quibus & aliis nominibus, illi se tibi plurimum debere profitentur; hujusmodique beneficia non tam se tenere, quam auctoritate ac beneficentia tua obtinere lætantur.

Itaque videre videor, in maximo delatum meritis tuis Pontificatum gratulantium numero, Pium V, tui amantissimum, e cælo initum tibi honorem summopere gratulantem; [digno illius Successori] ac non modo tecum in hac electione prorsus admirabili, sed cum universo quoque populo Christiano præclare actum esse lætantem; atque ope divina, quam tibi summis votis implorat, sperantem fore, ut quæ ipse bene gessit, tu optime repræsentes; & quæ Pius V, senio prope confectus morteque præreptus, inchoata reliquit; ea aliaque longe majora Paulus Quintus, ætate constanti integraque valetudine, felicissime prosequatur atque perficiat, ut in hoc tuo augustissimo atque (ut speramus) diuturno Pontificatu, cultus Dei longe lateque propagetur, Christiana disciplina restituatur, Ecclesiæ dignitas & jura lapsa reparentur, præclara instituta retineantur, depravata corrigantur, profligentur hostes Catholicæ religionis, suos justitiæ, suos ceteris virtutibus locus

restituatur. Hæc, & id genus alia Pontificiæ potestatis munera præclara, [eique post faustas apprecationes,] Pauli, Leones, Gregorii, Clementes, Pii, ceterique omnium virtutum laude præstantissimi antecessores tui posteris successoribus suis imitanda reliquerunt. In hæc, ut cœpisti, incumbere te summopere lætantur: atque in his te excellere maximis votis exoptant, sperant, magnisque apud Deum precibus cum universa Ecclesia, sive quæ in cælis, sive quæ in terris est, enixe comprecantur. Ut summus hic Pontificatus, ad gloriam Dei & ad communem Christianæ Reip. salutem tibi divino consilio delatus, sicuti hoc initio omnium bonorum animos singulari gaudio complevit; ita, ut cœpit, felicissime procedens, imaginem quamdam referat veterum sanctissimorum Pontificum, sitque nostris ac futuris temporibus universæ Ecclesiæ Dei maxime salutaris.

Merito igitur hæc tibi, Pater Beatissime, debetur historia: cujus ut optimus censor, ita sane omnium summe legitimus iudex patronusque clementissimus, [se quoque dedicat.] & veritati testimonium, & operi iudicium, & auctori patrocinium cum sacratissimo Apostolicæ benedictionis munere benigne præbere, ut maxime potes, ita maxime ut velis, supplex sacris pedibus tuis advolutus rogo Sanctitatem Tuam, Beatissime Pater, Deus Opt. Max. ad Ecclesiæ suæ sanctæ utilitatem, quam diutissime tueatur incolumem; & quæ sancte meditaris, optatum exitum ut feliciter consequantur, clementer efficiat. Romæ, Nonis Julii, MDCV.

## PRÆFATIO.

Magno ac prorsus divino consilio Titum Cretensium Episcopum, & una cum eo Christianos universos, in primis vero sacrorum Antistites, Paulus Apostolus hortabatur, [Boni exempli ergo incarnatum Christum,] ut in omnibus bonorum operum sese præberent exemplum. [Tit. 2.]

Intelligebat enim egregius Doctor ille gentium, mortalium animis ita natura comparatum esse, ut ad virtutem, sine qua vel bonus vel beatus esse nemo potest, præclaris actionibus potius, quam præceptis omnes impellantur: & cum ceteris in rebus omnibus, tum vel maxime in deligendo aut instituendo genere vitæ, clarorum virorum facta quam verba libentius consectentur. Itaque summus idemque sapientissimus rerum omnium opifex ac moderator Deus, divinas leges, ad quas, tamquam ad certissimas regulas, humanæ dirigerentur actiones, dedisse non contentus; ipsemet e cælo venit, hominisque formam induit, ut homines admirabili exemplo suo, & revocaret a vitio, & ad amplectendam colendamque virtutem incitaret. Parum enim erat, inquit B. Augustinus, Dominum hortari homines verbo, nisi firmaret exemplo. [In Psal. 63.] Cælestis porro hujus divinique humanæ vitæ magistri præclara tam præcepta quam exempla sectati, cum innumerabiles alii sanctissimi homines, [imitati ejus Vicarii,] tum in primis qui personam ejus in terris potestatemque gessere, nobis eadem ad imitandum & vita & moribus expressa reliquerunt. Viderunt prisca illa secula quamplurimos viros, plane divinos ac virtutum omnium laude florentissimos, qui veros Christi veri Dei ac Domini nostri Vicarios agentes, Ecclesiam ejus cum optimis & institutis & legibus constituerunt, tum vero etiam clarissimo sanctarum actionum splendore mirifice collustrarunt; neque tunc viventes solum, sed posteros etiam omnes, ad illustria ipsorum sectanda vestigia, stimularunt.

[2] Viderunt majores nostri, vidimus & nos singulari Dei beneficio legitimos eorum successores, pari auctoritate ac dignitate præditos, nec dissimili virtute ornatos; qui veterum sanctimoniam & studia diligenter æmulati, eximia virtutis quisque suæ nobis dedere documenta; [& inter hos B. Pius V,] atque rerum magna cum laude administratarum amplitudine, immortalem sibi apud

Deum & homines gloriam pepererunt. Quorum in numero Pium hujus nominis Quintum, Pontificem sane Maximum (cujus præclara facta plerique omnes, qui hac luce fruuntur, vel percepisse auribus, vel oculis etiam spectasse potuerunt) cum primis elucere, prudens aut pius nemo negaverit. Quoniam igitur, ut scite Sapiens quidam dicebat, usque eo nobis bona prosunt exempla, ut magnorum virorum non minus recordatio quam præsentia juvet; & gloriæ Dei, & Reipublicæ Christianæ commodis conducere merito existimatum est, [cujus Vita Latine editur omnibus utilis,] si tanti Pontificis vita ac res gestæ Latinis quoque litteris consignarentur: cum præsertim historiæ hujus utilitas non ad unum tantum hominum genus (id quod in aliis sæpe solet evenire) sed ad omnes omnium ordinum gradus vel maxime pertineat. Religiosum fortasse profiteris institutum? En habes egregium hic obedientiæ, castimoniæ & paupertatis, & quod maxime admirare simul & imitare, in summa potestate insigne Christianæ humilitatis ac pietatis exemplum. Secularibus alius rebus addictus, vel domi vel foris rem aut publicam aut privatam administrat? Sed huic etiam non desunt hic pietatis prudentiæque plena consilia; quibus instructus, & propriæ & alienæ consulens saluti, cuncta sapienter moderetur. Militaribus alii studiis ducuntur, bellisque vel gerendis vel legendis valde delectantur? Habent & hi saluberrima præcepta, & quæ jucunde perlegant; non inania aut profana; sed gravia, eademque pia, bella maxima; & omnium fere, quæ umquam de Christiani nominis hostibus reportatæ fuerint, victorias celeberrimas. Hinc denique habent (quod caput est) Pontifices & Episcopi, [maxime Pontificibus & Episcopis] unde ad rem Ecclesiasticam omnem, sive ordinandam, sive tuendam, sive amplificandam petant exempla, ad veræque religionis cultum retinendum magis ac magis incendantur: idque eo etiam ardentius, quod veterum sanctorum Patrum vitas lectitare, eorumque res bene gestas identidem memoria repetere, proprium

Sacerdotum ornamentum esse, sacris litteris erudimur. [Exod. 28., Lib. 1 epist. 24. & Pastoral. par. 2. cap. 2.] Præceperat namque Dominus olim, ut Patriarcharum nomina ad pectus inscripta perpetuo gestarent summi Sacerdotes, quod Gregorius Romanus Pontifex sanctissimus interpretans, Adscriptos patres, inquit, in pectore semper ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc Sacerdos sine querela vivit, cum exempla Patrum præcedentium intuetur, ac Sanctorum vestigia sine cessatione considerat.

[3] Ceterum hæc summorum virorum auctoritate jussuque scribere ingressi, nihil in medium afferemus, quod a probatis auctoribus locupletibusve testibus non acceperimus; [scripta sincero judicio,] aut quod nimia libertate quemquam jure possit offendere. Nam licet alienæ auctoritatis imperio, non tamen ad alienæ voluntatis arbitrium, sed sincero candidoque animi judicio, gravem hanc, licet viribus meis imparem, scribendi provinciam suscepi. Ac, quæ tria jurantibus proposita esse oportere, divina tradunt oracula, ne quid falsum, alicuive noxium aut futile proferatur, ea mihi, mortalibus rebus jampridem abdicatis, perfectioris vitæ studia utcumque profitenti, humanique nihil, sed unam Dei gloriam hominumque salutem spectanti, cum in omni vitæ ratione, tum in primis in hoc gravissimo scribendi genere summa religione custodienda esse existimavi: statuique potius multa alioqui vera, citra tamen ullam historicæ dignitatis injuriam, pio silentio præterire; quam ad alicujus gratiam de meo quidquam affingere, aut ea tangere, quæ nulli prodesse, sed vel Deum vel homines quoquomodo queant irritare. [& optima fide,] Quæ quidem omnia, ut quantum in me esset optima fide præstarem; nullis laboribus parcens aut impensis, complures tum in Urbe, tum foris, eosque locupletissimos & oculatos, qui Pio in omni fere vitæ gradu familiares extiterant, testes consului; epistolas aliaque multa hinc

inde mihi suppeditata manu scripta volumina diligenter inspexi. Quæ vero alii de Pio scripta reliquere, ex iis (nonnullis, quatenus fuerit opus, prætermisissis; multis vero etiam, ni fallimur, verius explicatis; plurimis denique, quæ illi non attigerant, memoratu dignis adjectis) illustre cunctis ordinibus virtutum omnium, in hoc Pontifice splendentium, sincera fide proponetur exemplum. Sicut enim ex igne suapte natura emicat splendor, ex unguentoque præstanti suavis diffunditur odor, quod ait S. Basilius; [Orat. in S. Gordium] sic e sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit emolumentum. Sed jam ad institutum aggredior.

## LIBER PRIMVS.

Res gestæ ab ejus ortu ad Pontificatum usque, & in eo circa Urbem & ditiones subjectas statuta.

### CAPUT I.

#### Ortus ac monastica disciplina.

[4] In ea Cisalpinæ Galliæ regione, quæ ad Liguriam pertinet, in ditione Mediolanensi, insigne ac pervetustum oppidum est, Dertonensis diæcesis, sex millia passuum ab urbe Alexandria distans, Boschum appellatum. Id ubertate soli, cæli temperie, incolarum frequentia ac pietate præstans, [Natus Boschi in Liguria,] Alexandrini agri finibus continetur, & Comitibus titulo a proprio Domino tenetur hoc tempore. Tenuerunt antea Marchiones, ex iis præcipui, quos septem in Italia septingentis ferme jam ab hinc annis Otho II Augustus instituit, magnisque muneribus exornavit. In hoc oppido, Gislericæ gentis, quæ perantiqua & nobilis ex urbe Bononia ob civiles discordias varias in regiones commigrasse perhibetur, veluti propaginem quamdam, [ex Gisleria familia,] anno a Virginis partu millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, consedissee ferunt; ac deinceps, uti fert rerum



humanarum vicissitudo, licet ad inopiam redactam, inter primas tamen ejus loci familias honestum perpetuo gradum tenuisse. Illud vero satis constat, Gisleriorum plerisque per idem tempus in civili tumultu Bononia pulsus, qua excesserant, portam in odium seditionis protinus obstructam, deinde in hujus honorem Pontificis suo tempore ex Bononiensi Senatus-consulto apertam, ornatam, ac Piam nominatam fuisse, cum olim porta S. Isaiaë diceretur. Quod ibi in lapide excisa hujusmodi testatur inscriptio. Portam, civilis seditionis causa centum & amplius annos obstructam, Pio V. P. M. in summa civium tranquillitate, Ioan. Baptista Doria, Bononiensis Præses, [(quæ & Bononiæ amplæ fuit)] publico commodo atque ornamento aperiri, construi, Piamque nominari voluit, ex S. C. MDLXVIII. Civitatis inde pace composita, numquam ex ea familia defuerunt, qui, sicut etiam antea, summos magistratus & honores popularibus suffragiis consecuti, domi forisque præclare se gesserint. Sed hanc stirpem multo ante, quam Gislerii Bononia pellerentur, Boschum incoluisse, cum Pius ipse Pontifex asserebat interdum, tum etiam pluribus & certis ejus loci probatur documentis.

[5] Ex hoc igitur loco familiaque anno salutis MDIV ad XVI Kal. Februarii, [an. 1504, 17 Ianuarii:] qui dies S. Antonio sacer est, Julio II Romano Pontifice, Maximilianoque Austrio ejus nominis primo imperante, Paulo Gislerio patre, matre vero Dominina Augeria, honestis piisque conjugibus, ortus est Michael: hoc enim Pio ad sacrum fontem nomen est inditum. Qui annos natus quatuordecim, cum optimam indolem præseferret, a vilioribus artibus, [Michael dictus.] quibus eum parentes pro rei familiaris tenuitate nitebantur addicere, singulari animi ingenuitate prorsus abhorrens (utpote ad altiora ac majora natus) quoquo modo poterat excolendo virtutibus ingenio sese cœpit exercere: divinoque spiritu commotus, eam vitæ rationem ineundam sibi esse constituit, qua posset & Deo liberius inservire, & terrenarum

illecebrarum laqueos evadens ad cælestia facilius aspirare. Quo igitur pietatis in studio fuerat educatus a puero, [Ordinem Prædicatorum ingressus,] in eo egregie proficiens, antequam rerum caducarum labe commacularetur, suo retento nomine, sanctissimi Dominicani Ordinis habitum induit. Idque in Vico-Iriæ, quæ nunc Vogeria dicitur, in domo ejus sodalitatis, quæ severiorem disciplinam in Gallia Cisalpina proficitur. Ubi cum magnam de se expectationem concitasset, Vignebanensi cænobio, & piorum sodalium frequentia, & duriore genere vitæ, & litterarum præterea studiis per eos dies admodum celebri, [variis locis docet:] adscriptus, eo commigravit. Nec ita multo post, cum ibi præclara probitatis & ingenii documenta dedisset, Bononiam studiorum causa missus, in iis ita profecit, ut brevi temporis intervallo dialecticæ, philosophiæ, theologiæque docendæ munus Patres ei demandarint, atque erudiendis variis in locis adolescentibus eum destinarint. Doctoris vero munere tanto cum auditorum fructu, sive rerum cognitionem, sive morum spectes integritatem, sexdecim functus est annos, ut ejus esse discipulum felicitati tribui soleret.

[6] Inter hæc Genuæ factus Sacerdos, anno a Christo nato MDXXVIII, rei que divinæ primum faciendæ, ac suos bellorum cladibus afflictos consolandi causa Boschum profectus, [fit Sacerdos an. 1528,] cum direptum oppidum & a Gallorum exercitu duce Lautrechio succensum offendisset; pro sua in patriam pietate propinquis & amicis pie recreatis, Sezadii, qui pagus inde nec longe distat, solenni ritu sacrorum primitias obtulit Deo. Cum vero Ticini Fratres suos de superiore loco doceret, optimarum artium scientiarumque positiones publice defendit Parmæ, [propugnat theses de summo Pontifice,] in frequentissimo Ordinis sui conventu; ubi & præstantem sui felicitatem ingenii, & eximiam erga sacrosanctam Sedem Apostolicam fidem, quod nec sine divino fieri

dixeris consilio, probe declaravit. Nam ex triginta propositis enuntiatis, bona pars erat de tuenda Romani Pontificis auctoritate, & contra hæreses, quæ iis temporibus insurgabant. Quibus in studiis si quid vacui dabatur temporis, ut in omni vita, ab otio turpi semper abhorruit: nam & in otio sine desidia, & litterarum in negotio non sine pietatis ardore versabatur: haud ignarus, ut otium sine litteris esse vivi hominis sepulturam, ita litteras & scientias absque caritatis officiis inflare hominem potius, quam ædificare. Itaque præclaris & illustribus sanctorum Patrum vestigiis insistens, ad vitæ perfectionem solidiore fundamento stabiliendam augendumque spiritum religionis, assiduum sacræ precationis usum adhibebat; [& virtute egregia præluceat,] ac S. Dominici aliorumque sanctitate præcellentium virorum, præsertim eorum qui ejusdem fuerant instituti, vitas lectitabat. Porro ceteris frequentius ad officia divina statis horis convenire, aliaque monastica vel humillima prompte obire ministeria, nullius respuere consuetudinem, sed omnibus comem se facilemque præbere; afflictos recreare, errantes corripere, ignaros docere, labantes confirmare, cunctis ad perfectioris vitæ formam præclaro virtutum exemplo præluceat; nullum aut levitatis aut vanitatis indicium præ se ferre. Quod si inter æquales, ut fit, animi gratia eum joculari contigisset; eam omnino decori rationem semper habuit, ut illius jocos & magna gravitate temperatos, ac sapientiæ plenos esse intelligeres. Et quemadmodum iis, qui religionis laude ceteros anteibant, se comitem adjungere; ita quoad ejus fieri poterat, obtrectantes homines maledicosque refugere solebat.

[7] Ordinis sui cœnobiis præfuit, bis quidem Viglebanensi, Soncinensi vero Albensique semel. [cœnobiis utriusque sexus,] Quo in munere, non ambiendo sed obediendo suscepto, domi forisque pascendo Dominico grege, pastoris vigilantissimi, egregiique religiosæ disciplinæ

magistri, tam verbo quam exemplo partes implevit: ac variis in locis sacratarum Virginum curam ita gessit, ut earum complures cœtus ad perfectam religionis disciplinam egregie conformaverit; ubique in omni rerum administratione sine querela, immo summa cum integritatis, prudentiæ & pietatis laude versatus: quas & alias ipse virtutes, priscos illos ac sanctiores Christianæ militiæ duces imitatus, sic expressit, ut eas non tam usu comparasse, quam in mores ac naturam convertisse videretur. Albensi cœnobio cum præsideret (ut interim omittam, [cum laude præest.] quod postea commodius de Comite Trinitatis suo loco narrabitur) eximia Michaelis fortitudo, gregisque Dominici tuendi studium in primis enituit. Nam cum in bello Subalpino, quod per id tempus Hispanos inter & Gallos exardebat, tercentum milites, seu necessitate adacti seu prædandi libidine adducti, monasterium cui ipse præerat expilaturi, Albam convenissent, nefariumque opus perpetrare conarentur; eos ille non armis, sed gravi oratione repressos, ut alter Leo Magnus, cui erat successurus, repulit fugavitque.

[8] Ceterum licet corpore non admodum firmo, sed imbecillo potius esset, [verbo & exemplo sua det assiduitatem ad officia divina,] tamen sobrietatis ope incolumem sese, atque ad ordinarios labores communisque vitæ rationem idoneum, perpetuo conservavit. Divini vero cultus sive diurnam sive nocturnam exercitationem numquam aut remisit ipse, nisi cogente necessitate, aut Fratres suos remittere permisit. Hoc enim sacris in collegiis instituto accurate retento, ibi omnia & ad victum & ad alios usus necessaria, Deo providente, cumulate suppeditari. Quam ad rem ut semper vigiles se solictosque præstarent, simulque sacrarum litterarum in studia diligenter incumberent, Fratres suos identidem hortabatur. Ex his veluti duobus & pietatis & eruditionis uberibus (quod ille a sanctis Patribus traditum usurpare consueverat) lac spirituale

sugi oportere, utpote sine quo humanus animus prorsus exaresceret sterilisque redderetur. Illud vero etiam dicebat interdum, religiosum hominem a suo conclavi semotum, nihilo melius habere sese, quam ex aqua pisces extractum. Quare quamdiu cœnobia gubernavit, juvenes domi fere semper continuit, neque nisi admodum raro, gravique de causa suos prodire patiebatur: [& amorem cellæ,] alienum enim esse ab regulari homine atque instituto, temere per urbes vicosque vagari, ac facile se in laicorum consuetudinem dare. Quod ipse non verbo solum, sed exemplo quoque docens, quoties pro rerum ac muneris sui necessitatibus prodibat in publicum, magno sociis suis magnoque aliis erat Christianæ moderationis religiosæque disciplinæ documento. Sensibus namque religiose compositis oculisque demissis, [ipsa ab compositis mores dictus S. Bernardinus,] cum in eo summa quædam tum animi tum corporis conformatio mirabiliter eluceret, atque omnibus in rebus singularem quamdam modestiam & gravitatem præ se ferret, eam sibi reverentiam apud omnes peperit, ut non amplius Michaelis, sed S. Bernardini nomine passim appellaretur: quippe qui ipsum sanctissimum virum, ut moribus, ita & corporis gracilitate & aspectu venerando, egregie referret: atque hæc quidem opinio fama sic increbuit, ut hoc nomen, an illud ei proprium esset, non pauci dubitarent.

[9] Per multos autem annos toto Quadragesimæ tempore sacras conciones magno pietatis ardore, parique cum audientium fructu variis in locis habuit: & cum ceterorum cujusvis ordinis, [Confessarius diligens] tum vero etiam principum virorum, apud quos pro suæ fama virtutis magna erat in gratia, sacras confessiones frequenter audiebat. In iis erat Alfonsus Avalus, Vastii Marchio, ditionis Mediolanensis pro Carolo V Cæsare Hispaniarum Rege Præfectus: qui pro sua pietate eum, licet ab urbe Mediolano viginti fere millia passuum absentem

Viglebanique residentem, conscientiae suae judicem ac vitae moderatorem elegit; ejusque virtuti valde fidens, eleemosynarum quas egentibus erogare consueverat eum sibi ministrum esse voluit. Quae vero in usus suos tribuebantur, ex iis nihil omnino retinebat sibi: [communis & pauperis vitae amans,] sed omnia, ut regularem decet hominem, in commune conferebat: quin etiam ab iis rebus; quae sibi necessariae ad usum videbantur, religiosae paupertatis cultor egregius interdum abstinebat. Viglebani, sodalibus suis eum cohortantibus, ut e collata stipe pecuniarum aliquid reservaret, quo pallium, pluvio tempore Mediolanum ad Marchionem proficiscenti sibi necessarium, conficeret, minime id quidem expedire respondit: sed uti ceteris praepositum se bono illis exemplo esse oportere: mendicantes pauperes debere una qualicumque tunica contentos esse: inanem illorum esse paupertatis professionem, qui more divitum splendide vestiuntur.

[10] Ceterum pauper ille quidem erat ac tenuis, sed cultus tamen munditiaeque studiosus: propterea dicere solebat; [vereque humilis] paupertatem semper quidem sibi valde placuisse, sordes vero numquam. Ad Ordinis vero sui comitia, sibi que assignata domicilia, ne ab instituti sui legibus vel modice declinaret, pedes proficiscebatur. In itinere sarcinulas suas humeris impositas gestabat ipse, raro cum comitibus sermonem conferens; sed vel recitandis precibus, vel rebus divinis meditandis pie occupatus. Ambitionis autem vanitatem ita fugit, ut ne minimam quidem ejus dederit suspicionem: sed ad omnes dignitates, gradus, & honores absque ulla sua contentione, imo pene coactus, [inter officia sibi ab Ordine imposita,] ut passim dicemus, evectus est. Provincialibus Fratrum suorum in comitiis, ob summam omnium de illius integritate existimationem, saepe lectus est Judex extraordinarius: atque ubi justitiae ratio virtutisque decus ageretur, tam inexorabilis fuit, ut nemo

magis. Quibus in comitiis, quandoque Definitor, ut appellant, quod munus ad Provincialis Præsidis dignitatem proxime accedit, electus est.

[11] Ægre porro magnoque cum timore administrationis alicujus, præcipue vero monasticæ præfecturæ atque regendarum animarum onus, utpote Angelicis humeris formidandum, [pro suo adversus hæreticos zelo,] impositum subibat: viroque sibi admodum familiari serio dicere consueverat, ob salutis suæ declinanda discrimina, ubi sine divini honoris aut virtutis detrimento id fieri potuisset, hujusmodi se dignitatum gradibus libentissime abdicaturum: ratus cum illis maxima pericula esse conjuncta: ac propterea sacri Quæsitōris, violatæque religionis Judicis muneri sustinendo, quod minus ejusmodi periculis esset obnoxium, si ad id suscipiendum adigeretur, pro ardenti suo in exterminandis hæreticis desiderio ac tuendæ Catholicæ fidei studio, se propensiores esse demonstrabat. Quod munus a S. Dominico singulari Dei providentia divinitus institutum, atque in Ecclesia Catholica receptum, ob idque in sacra Dominicanorum Fratrum familia hereditario quasi jure deinceps perpetuo retentum, quam utile ad evellenda ex agro Dominico hæresum zizania, atque ad Catholicam fidem sive protegendam sive propagandam necessarium semper fuerit; uberrimi ac salutare, qui in Christiano orbe ad gloriam Dei ejusque Ecclesiæ salutem pietatis fructus in dies percipiuntur, luce clarius ostendunt. Præclarum hoc igitur sanctumque in hæreticos inquirendi officium, Superiorum jussu sibi delatum, [amat officium Inquisitoris.] tam ardenti animo Michael suscepit & exercuit, ut & acerrimum Christianæ veritatis protectorem, & S. Dominici alumnum egregium se ubique semper exhibuerit. Atque inde summus ille rerum omnium moderator Deus, qui suaviter omnia disponit, quique pios ministrorum suorum conatus actionesque sanctas & benigne fovere & large remunerari pro immensa sua

bonitate consuevit, fidelis famuli sui cum virtutem probandi, tum personam ac nomen illustrandi sumpsit occasionem: quæ fuit hujusmodi.

## CAPUT II.

### Munus Inquisitoris, etiam generalis, impositum.

[12] Sub idem tempus Rhæti, qui nunc Grisones appellati, Alpes incolunt, qua Germania ab Italia dividitur, ob magnam cum hæreticis Helvetiorum pagis vicinitatem & usum, utpote imperita gens naturaque rudis, hæresos veneno tabescebant. Atque hæc pestis manabat latius, [Ob hæreses in Valle-Telina & Clavenna,] in vallesque Telinam seu Volturenam & Clavennam, primarias Comensis diœcesis partes, jam penetraverat: verendumque erat, ne ob assiduam cum illis populis consuetudinem & mercimoniorum commoditatem, sensim omnem Cisalpinam Galliam labefactaret. Huic tam gravi morbo depellendo tantoque vitando periculo, cum magno præsentique opus esset remedio, re diligenter considerata, inveniri nemo potuit, qui ad sacrum Quæsitoris munus Comi gerendum aptior & melior esse videretur Michaele Gislerio: quique minus pro Catholica religione ullum periculum extimesceret, ac vitam ipsam, si opus esset, [constituitur Inquisitor Comi,] profundere dubitaret. Hoc igitur officio in hisce rerum angustiis ei delato, in id tam acriter incubuit, ut nullus ferme inibi fuerit aut locus, quem ille non perlustrarit; aut incola, quem vel in rectam religionis viam reducere, vel in officio continere non contenderit. Haud veritus, ad omnia perscrutanda, in eas se valles vel noctu conferre: ad eam rem usus inprimis opera Bernardi Odescalchi Comensis Patritii, qui a propinquis suis, eas valles incolentibus, de rebus hæreticorum omnibus certior fiebat. Is erat e sodalitate Crucis ejus civitatis, vir pius, & apud Cardinales sacræ Inquisitioni præfectos valde gratus.



[13] Sed quoniam inter alias pessimas hæreticorum artes in suis proseminandis erroribus, præcipua semper ea fuit ac forte omnium perniciosissima, ut speciosis titulis, editis pervulgatisque libellis, venena sua longe lateque diffunderent, hominesque mellito ac pestifero poculo seductos perderent: hanc potissimum fallendi viam, quam scilicet in Gallia Germanique & alibi viderant sibi belle processisse, ad Catholicos quoque Itatorum animos pessime, si possent, imbuendos, inire perniciosi illi diabolicæ doctrinæ magistri constituerunt. Hoc igitur consilio cum hæretici Lutherani Calvinianique dogmatis, librorum, abs se conscriptorum, & in Pesclavio Rhæticiæ ditionis, imo hæreticæ factionis oppido, typis excusorum, [12 sarcinas librorum hæreticorum intercipit:] duodecim sarcinas ex Volturena valle exportandas curavissent; ut subinde variis in Italiæ civitatibus, præsertim Cremonæ, Vicentiæ, Mutinæ, Faventiæ, & in Calabria Consentia, atque aliis in locis, quibuscum negotiorum consuetudo ipsis intercederet, per Comensem mercatorem disseminarentur; ea de re Michael admonitus, vidensque id magno Italiæ exitio fore, si pestilentia dogmata passim & impune legerentur; de repente pro sua auctoritate libros penes publicanos interceptit. Quamobrem mercator ad sacrorum Vicarium Comensiumque Canonicorum collegium, vacante illa Sede, confugit. Itaque, rogante mercatore, nec mora, ad tollendos libros Vicarius accurrit. At vero Michael, [resistentes excommunicat,] qui prior eos pro jure suo recte repetierat, cum intercepti libri sibi minime redderentur, sed potius mercatoris civis causa multorum fulta patrocínio defenderetur, in ejus criminis affines anathematis sententiam tulit; ac de re tota Romam perscripsit ad Cardinales violatæ religionis Judices, nempe ad Joannem Petrum Carafam, qui postea lectus Pontifex Paulus IV est appellatus; ad Rodulphum Pium Carpensem, & ad Marcellum Cervinum, qui mox Pontifex fuit Marcellus II; & ad Joannem Toletum; viros omnes Christianæ religionis studio flagrantissimos. Qui,

re cognita, Michaelisque probata sententia atque constantia, Vicarium ipsum & Canonicos Romam citarunt: quod ii præsertim Inquisitori essent acriter minitati.

[14] Hac citatione civitas illa commota Michaellem habere odio cœpit. Itaque magno infimæ plebis, puerorum, aliorumque vulgarium adolescentium globo coacto, [cum magno vitæ periculo.] arreptisque lapidibus ipsum urbem ingredientem (nam extra muros cœnobium est) primum petulanter compellare; tum impressione facta, præcipites aggredi non dubitarunt: ille vero in fugam conversus, in Odescalcorum ædes vix se proripere quivit. Interea Vicarius & Canonici ad Ferdinandum Gonzagam, Mediolanensis provinciæ Præfectum, auxilii gratia perfugiunt: illud objicientes, quod ipse civitati tumultum injecisset: atque ut ea re supersederetur, impetrarunt. Non tamen ille ob id incepto sibi abstinendum, aut deserendum officium, imo vero fortius insistendum existimavit. Ira percitus Gonzaga, gravi pœna proposita, mandat illi, ut mane postridie ejus diei (quod utique nimis breve temporis erat spatium ejusmodi itineri circiter triginta millia passuum conficiendo) adesset Mediolani. Per idem tempus de insidiis, quas ad eum ut in comminatas pœnas incideret retardandum, adversarii paraverant, Michael admonitus; lecto sibi certo itineris duce, atque ea, qua Berlasina (ubi S. Petrus Martyr occubuit) recta pertransitur, via prætermissa, per Licinii forum (Incini-plebem vocant) profectus, noctu pedes tantopere contendit, ut ad præscriptam sibi horam coram Gonzaga constiterit: qui truci aspectu eum intuitus, audire noluit, imo ceteris dimissis, in cubiculum sese abdidit. Tum vero Michael, [Mediolani in carcerem conjiciendus,] agnito nobili viro, Præfecti familiari, eum rogat, ut quid sibi Princeps de ipso velit, ab eodem diligenter exquirat. Rogata præstat ille, refertque ipsum in eo consilio esse, ut Michael arctissimam in custodiam conjiceretur: quod tamen divino atque amici illius

intercedentis beneficio non evenit. Quocirca veritus ipse, ne notam aliquam aut dedecus importune subire cogere, magnis itineribus Romam contendit.

[15] Hoc loco jucundum ejus tum patientiæ tum modestiæ documentum, futuri Pontificatus haud inanem, [Romam contendit:] licet ironiæ plenam prædictionem, silentio non præteribo. Urbem ingressus, cum ex itinere lassus ac jejunosus, sub noctem ad Sanctæ Sabinæ Ordinis sui cænobium mula vectus se contulisset; qui tum loco præerat, homo forte paulo durioris ingenii, virum non agnoscens, ægre hospitem excepit: ratusque fortasse proprii commodi & ambitionis causa eum advenisse; Quid tu, inquit, tibi in Urbe quæritas? num existimas te summum fore Pontificem? scilicet isti (Cardinales designans) te sunt electuri. Ad hæc vir Dei, se Christi causa venisse, ejusque honorem & gloriam auctam quærere, præterea nihil; sibi vero qualecumque brevis temporis hospitium, ac pro mula fœni modicum rogare. Utcumque igitur acceptus, eidem proinde Cardinalibus, quæcumque in ea causa gesta fuerant, tam ardenti in religionem animo præsens omnia renuntiavit; ut quamvis Canonici Romam evocati, multorum haud recte de re doctorum ope & gratia niterentur, nihil tamen effecerint: sed re præclare confecta, [& exitum optatum nanciscitur:] ex sententiaque feliciter expedita, summam inde laudem ipse consecutus est. Quamobrem eam de ipsius virtute amplissimi illi Patres opinionem concepere, quæ de optimo ac fortissimo viro, ad beneque merendum de Ecclesia Dei egregie animato, concipi posse videbatur. Inter hæc objicienti, satius fuisse in his contentionibus cum viris primariis mitius agere; Michael ardore virtutis incensus; Si quis, inquit, ad homines, violatæ religionis Judicum ministris vim inferentes, respectum habet humanum, is male affectum animum se habere ostendit.

[16] Ea tempestate, Curiaë, quod est primarium Rhætorum oppidum, duo ad eam Ecclesiam designati Canonici, de electione in judicio contendebant. Horum alter e Plantarum, e Salicum alter erat familia. Planta pluribus suffragiis nitebatur: sed quia hæreticus erat perditisque moribus, [Curiam ablegatus Canonici hæretici electionem irritam facit:] ejus electio Pontificis auctoritate comprobari non poterat. Res coram sacræ Inquisitionis Cardinalibus Romæ agebatur: qui Michaelis virtute in re Comensi egregie probata atque perspecta, eum ad quærendum in Plantam, quæstionemque legitime formandam, in Rhætiam legaverunt. Nonnullis vero, ut alieno habitu eo proficisceretur, ob effugiendas hæreticorum Dominicani Ordinis acerrimorum hostium insidias, consulentibus; habitum nullo pacto immutare se velle respondit: quin etiam in eodem ipso habitu, si opus esset, pro religione libenter se mortem oppetiturum, quando id sibi divino beneficio licuisset. Profectus igitur quæstionem habuit, & habitam litteris consignari; atque ab hæreticis, cognitam viri virtutem ac sanctimoniam reverentibus, detrimenti nihil ipse passus, hæreticum electum condemnari curavit.

[17] Inde Bergomum pro tempore missus Inquisitor, singulari animi fortitudine, nec sine gravi vitæ suæ discrimine, contra Georgium Medulacum, insignem hæreticum, judicium instituit. Is erat eloquentia, qua civium causas tuebatur, & affinitate, [Bergomi Medulacum hæreticum,] qua nobiles sibi multos devinxerat, in civitate potens in primis & clarus: ex quo fiebat, ut Inquisitores, quamquam illius scelera minime ferenda judicarent, in eum tamen animadvertere, ne se suaque in maximum periculum adducerent, non auderent. At vero Michael, absentis Inquisitoris locum & potestatem nactus, pestem illam e civitate alioqui Catholica, prius quam altiores radices ageret, penitus evellendam existimavit, Medulaco in carcerem conjecto, in eumque judicio legitime

constituto. [carceri tradit,] In quo magno illi adjumento fuit gratia & auctoritas Comitis Joannis Hieronymi Albani, celebris jurisconsulti, ac perpetui sacræ Inquisitionis egregiique patroni: quem deinde ipse Pontifex, pii hujus officii memor, in amplissimum Cardinalium collegium, pro eximiis ejus virtutibus ac meritis, cooptavit. Is ergo, ut miserum illum propinquum suum ad sanitatem revocaret, una cum Michaele plurimum, sed ne quidquam, cum elaborasset; demum carni & sanguini religionem præferendam ratus, & ad Inquisitorem conversus, legibus ut in eum ageret, enixe rogavit. [ab eoque elapsum restitui curat:] Interim reo noctu per vim ab amicis suis e carceribus erepto, cum & illum in vincula reducere, & tot sontes cives justis pœnis afficere, esset omnino difficillimum; ut omnes ejus criminis affines, Catholico ritu facinoris se pœnitere profiterentur, Michael effecit: Medulaco, statim ipsius Albani ope in custodiam restituto: qui postea Venetias relegatus, ibidem in carcere periit infelicitè.

[18] Nec ita multo post, Bergomum, cum potestate Apostolica, ab Julio Tertio Summo Pontifice ac memoratis Cardinalibus denuo Michael destinatur, [in Episcopum, suspectum quæstionem clam habet:] ut in Victorem Superantium, nobilem Venetum, ejus civitatis Episcopum, de hæresi delatum, inspiceret ac legitimam quæstionem institueret. Irrepserat namque in eam urbem hæretica pestis, contracta potissimum ex hæreticorum lectione librorum; quibus depravatus etiam Antistes, iis duas arcas repleverat; easque in suburbana villa, ne deprehenderentur, clausas abscondi curaverat. Ex quo fit etiam perspicuum, id quod ante memoravimus, quam periculosus atque adeo perniciosus semper fuerit ejusmodi libellorum usus, quo veluti virulento pabulo non solum Christi oves, sed Pastores quoque aliquando fœde corrupti contabescunt. Cum igitur sine gravi & aperto quærentium periculo res inspicere non posset, quod & a

Magistratibus & ab aliis quamplurimis Episcopus vehementer protegeretur; Michael negotio fortiter ac prudenter insistens, testimonia clam excipi, quæstionem haberi, & in commentarios referri caute procuravit. Quod ubi compertum est, Episcopus Magistratusque miserunt, qui eum ad necem conquirerent. Inter alias vero illi structas insidias, illud fuit sane facinorosum, cum Nonis Decembris anni MDL, [non sine suo summo periculo.] intempesta nocte, armata manu, cœnobium, in quo ipse quiescebat, aggressi, Dei ministrum inde eripere maleque habere tentaverunt. Quo ille cognito, surgens e lectulo, ad inexpugnabilem sacræ precationis arcem de more confugiens, divinam opem supplex imploravit. Nec irritas famuli sui preces esse voluit Deus, qui de cælo respicit in preces humilium, protectorque est omnium sperantium in se. Mox enim fidei plenus, ac cælestibus munitus armis, irruentem cohortem una voce ita repressit, ut in fugam omnes conversi, damni nihil intulerint.

[19] At ipse memor Dominici præcepti monentis; Cum persequentur vos in una civitate, fugite in aliam: Bergamo de nocte discedere, rustico duce, properavit. [Matth. 10] Aviis itineribus discedenti paratas in via recta ab adversariis insidias, divino potius quam humano consilio, mirabiliter evasit: conscriptam vero quæstionem, ne periret, apud Aurelium Grianium Franciscanum caute deposuit; eaque mox recepta, ad Urbem remigravit. Ubi rem bene gestam omnes, præsertim Cardinales sacræ Inquisitionis Præsides, [& Romæ procurat depositionem illius.] laudibus extollere; eximiamque Michaelis cum prudentiam tum fortitudinem, religionisque tuendæ studium prædicare. Romam proinde ductus Antistes, multorum licet gratia fretus, in S. Angeli arcem inclusus, iudicium subiit: & convictus est fœdorum hæreticæ pravitatis errorum, exemplique perniciosissimi: ex quibus comperiebatur, eum factum ex pastore lupum pessimam tenere artem, e Lutheri Calvinique colluvie haustam,

inficiendi Christi gregis, nisi tot tantisque malis divina providentia per ipsius Michaelis antevertisset industriam. Ille vero tandem Ecclesia privatus Venetiis, seu veneno, seu, ut alii volunt, mærore confectus interiit. Itaque sublata hæretica pestilentia, civitas Bergomensis alioqui pia, & avitæ Catholicæque religionis cultu jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ inclyta, in sinceræ pietate professione deinceps perseverat.

### CAP. III

[20] Post hæc autem anno MDLI, mense Junio, Theophilo, Dominicani Ordinis in Urbe Proinquisitore (quem generalem sacræ Inquisitionis Commissarium appellant) officio simul & vita functo, cum plerique spectatæ virtutis viri in demortui locum apti proponerentur; Cardinalis Carafa, [Commissarius generalis Inquisitionis] primarius illius Congregationis Præfectus, Michaellem, summa Collegarum atque adeo Julii Pontificis voluntate, sua sponte ad id muneris aptiorem judicavit & elegit. Erat videlicet Michael cum aliis amplissimis Patribus egregie probatus & carus, tum in primis ipsi Carafæ atque Carpensi: qui eum familiarissime & accipiebant & complectebantur; &, quo ipse incensus erat studio religionis illecti, [carus Cardinali Carafæ] simplicique aperto ac minime fucato hominis ingenio delectati, conferendis cum eo sermonibus animos explere suos haud satis posse videbantur. Propterea Carafa ministris mandarât suis, ne illum adventantem, ut fit, adesse prænuntiarent aut prohiberent ingressu, sed in ejus intima cubicula statim ingredi libere permetterent. Itaque sæpius, remotis arbitris, secedentes, inter se quam diutissime colloquebantur: quod ut commodius fieret, palatii sui, quam incoleret, ei partem assignavit; familiaribusque suis atque aliis dicebat interdum, Michaellem sane maximum Dei famulum esse, summisque & honoribus & dignitatum gradibus dignum.

[21] Dum igitur hoc ipse fungeretur officio, ut alias ubique, peregrinam ac strenuam, tum Catholicæ tuendæ fidei, tum hæreticorum erroribus convellendis, pertinacibus plectendis, resipiscentibusque clementer habendis, operam impendit. [conversos benigne fovit.] Quos enim vel privatis colloquiis ad saniora consilia revocasset, vel publice ejuratis erroribus, legitimis pœnis affectos, vere pœnitentes, & ad meliorem frugem conversos agnovisset; eos perhumaniter acceptos consolabatur, pie fovebat, & ad mensam sibi convivas excipiebat: qua etiam in eos humanitate postea factus Cardinalis utebatur. Ceterum cum ab omnibus avaritiæ sordibus longissime se abesse semper ostendit, tum vero magnam temperantiæ, magnam beneficentiæ ac piæ liberalitatis laudem tulit. Suis namque stipendiis & oblatiis eleemosynis, quamquam sibi minime supervacuis, non quoslibet aut indignos, sed egenos, viduas, ac pupillos, quorum ipse parens vere dicebatur, virtuteque præditos homines benigne sustentabat: eratque ad conferenda, quam ad accipienda beneficia promptior: & quoties de aliis licebat sibi bene mereri, summopere lætabatur.

### CAPUT III.

**Dignitas Episcopalis & Cardinalitia, ac summi Inquisitoris collata. Libertas in sententia dicenda.**

### CAP. IV

[22] Interea vero X Kal. Aprilis anni MDLV, migravit e vita Julius Pontifex, subindeque Marcellus II ei subrogatus, qui duos & viginti dies vixit in Pontificatu: cui X Kal. Junii ejusdem anni, [Vacante Sede summi Inquisitoris Vicarius] suffectus est Jo. Petrus Carafa, Card. Neapolitanus, Paulus IV appellatus. Per hosce comitiales dies sacræ Inquisitionis Cardinales absolutam gravissimarum rerum cognitionem atque judicium, facta ei libera & ampla potestate (paucis nonnullis atrocioribus causis exceptis)



per se decidendi quæstiones fidei, causas definiendi, reosque vel absolvendi vel condemnandi, præter ordinem Michaeli detulerunt: quæ potestas par deinceps ex hujusmodi occasione nemini data. Paulus vero non solum in ejus muneris administratione Michaellem confirmavit, sed eum etiam Nepetæ Sutriique dixit Episcopum. Quæ quidem Ecclesiæ duæ tenuis redditus, inter se modico locorum intervallo distantes, [deinde Episcopus Nepesinus & Surrinus] via Flaminia, XXV ferme ab Urbe lapide, jamdiu ab uno reguntur Antistite. Hanc ergo Episcopalem provinciam sponte deferente atque adeo mandante Pontifice, invitus quidem susceperat, anno MDLVI mense Septembris, sed susceptam egregie deinceps triennium & amplius administravit. At vero quod ab ejusmodi onerum periculis perpetuo cavendum sibi esse statuisset, eam dignitatem subire initio recusanti, ac potius ad monasticam quietem redire flagitanti, Paulus minus indulgens; *lis, inquit, te compedibus illigabimus, ut ad cœnobiticam vitam jam amplius reverti non possis. Quibus ille verbis innuere volebat, se illum inter amplissimos Romanæ Ecclesiæ Patres relaturum. Itaque creatione proxima eum Pontifex in fratris filii cubiculum accersivit, quem ipso die mane legeret in Senatum, quod tamen tunc non evenit. In quo Michael nihilo secius, ac si magnum periculum evasisset, confestim Senatu dimisso lætus; Effugimus, inquit, effugimus. Mox cum ipso Pontifice & cum aliis colloqui cœperat, animo pacatissimo ad omniaque bene parato. Quæ res fuit a multis observata diligenter, aliis, quod desponsæ dignitatis expers inde regrederetur, digito eum indicantibus, ac per jocum compellato pudorem injicere conantibus; aliis vero constantiam ejus, & quam ipso vultu præ se ferebat, moderationem animi demirantibus.*

## CAP. V

[23] Anno denique post Christum natum MDLVII, Idibus Martiis, in amplissimum Collegium cooptatur, Cardinalis Alexandrinus appellatus (accepto nomine ab urbe Alexandria, [denique Cardinalis creatus] quæ, ut ostendimus, parum abest a Boscho patria sua) Tituli primum quidem S. Mariæ supra Minervam, quæ insignis Prædicatorum Fratrum ædes tunc primum ejus causa dari cœpit in titulum Cardinalibus, deinde S. Sabinæ ejusdem Ordinis: demum, rebus ita ferentibus, ad prioris Ecclesiæ titulum revocatus est. Ceterum Paulus, cum religionis cultum ac morum disciplinam valde collapsam restituere, sibi que ad tam gravem rerum molem sustinendam, præter ordinarios adjutores, quempiam inviolatæ fidei iudicio intimum administrum adsciscere statuisset, novo munere sapienter instituto, id Alexandrino detulit; eumque summum ac perpetuum in universa Christiana republica Inquisitorem, in amplissimo Cardinalium cœtu, magna cerimonia declaravit; quem ceteri omnes, seu delegati seu ordinarii iudices, [& summus Inquisitor] etiam Episcopi, in ejusmodi causis agnoscerent Superiorem: atque ut id Cardinalibus tantum in posterum mandaretur, instituit; eis & administris certum stipendium constituturus: decrevitque ne sacri interregni tempore vacaret, instar officii summi Pœnitentiarum. Sed ut ante, ita post ipsum Michaellem, supremum Inquisitorem fieri vel appellari, nemini datum esse constat; Pontificibus id sibi reservantibus, Inquisitionisque cura certis, qui ex instituto Pauli III ad hanc rem eligi solent, Cardinalibus, ut antea, delegata.

[24] Hoc igitur munere sic est ipse perfunctus, ut cum præcellenti dignitate parem quoque integritatem ac diligentiam conjungeret, & industriam omnino consentaneam gravissimi Pontificis voluntati. Qui sicuti rebus optime ordinandis dare operam cœpit, [nihil inde elatior] ita præclare cœpta optatus finis esset consecutus, ni ardens in Italia bellum cogitationes ejus

prævertisset. In amplissimo ordine Michael ita se gessit, ut ea dignitas, probitatis ac virtutis suæ index splendorque potius extiterit, quam ut illius animus inde fuerit ullam in partem vel leviter immutatus. Quin solitam humilitatem suam, modestæque vitæ cultum ita diligenter præstitit, usuque retinuit, ut præterquam in publicis actionibus monasticos habitus deponere numquam voluerit. Sed quæ mens, qui mores illi fuerint, in tam sublimi gradu collocato, quid Pontificem ad eum promovendum impulerit, quid inde propinquos agere vel sentire præscriberet, denique quam castus & integer in rebus ecclesiasticis, etiam amicis & affinibus, conferendis extiterit, vel ex una, quam ad Paulinam sororis suæ filiam manu sua scripsit, epistola, velut ex ungue leonem licet agnoscere. Quæ quidem epistola quoniam ad harum rerum veritatem magis illustrandam pertinet, operæ pretium fore visum est, eam a me ex ipso exemplari Latine conversam hoc loco subjungere.

[25] Hodie litteras tuas, III Kalend. Martii datas, accepi: ex quibus mihi perjucundum fuit intelligere, tibi cum marito tuo, probo viro, optime convenire: ambosque, uti pios Christianos decet, [quod vel epistola ad neptem declarat,] de quo minime dubitabam, in timore & amore Dei vitam instituere. In quo si, uti speramus, perseveraveritis, divinæ illius majestati erit cura de vobis deque rebus vestris, quoniam timentibus Deum omnia cooperantur in bonum; beatique sunt illi, quorum consilia omnia ad unum Deum diriguntur, eumque spectant unum, qui cunctis mundi thesauris longe præferendus est, ac pluris quam mille mundi, si tot essent, æstimandus: cetera namque universa, nisi ad Deum referantur, inania sunt omnino, ac veluti fumus evanescunt. Nec tibi subeat inaniter gloriari, te filiam esse sororis Cardinalis: illud potius debes animo diligenter advertere, indeque summo & omnipotenti Deo immortales gratias agere, quod vel hinc te ad colendam virtutem alliciat ac moneat; ut

**caveas, ne ab his exiguis degeneres virtutibus, quibus avunculum tuum Deus pro immensa misericordia sua munire dignatus est: quibusque permotus ejus in terris Vicarius, nullo majorum splendore, nullis humanis opibus aut artibus, nullis denique Principum commendationibus aut propriis divitiis (quippe qui pauperrimus, si quis alius in Dominicana familia, sed tamen tenuitate sua contentus esset) eum in sacrum Collegium Apostolicum, Romanæque Ecclesiæ Senatam adscripsit. Itaque Deum precare, non ut eum amplius extollat in terris, sed æternum beatus in cælis: ac scito longe majores nunc ejus esse labores, mentis inquietudinem atque molestias, quam dum privatam in cænobio degeret vitam.**

**[26] Quod autem de Giberti mariti tui fratre scribis, sic habeto, ecclesiastica beneficia non carni & sanguini, sed virtutibus deberi: & cum in hanc usque diem absque hujusmodi mercimoniorum negotiis vitam duxerim, nolle me, hac ætate senescente, conscientiam meam onerare. [qui suos illi affines promovendos commendarat.] At si Reverendissimus vester Dertonensis aut alius Antistes, harum rerum bene peritus, de illius sufficienti eruditione mihi perhibuerit testimonium, libentissime, quod illum obtinere deceat, ut consequatur, enitar. Quod porro ad Gibertum attinet, cum primum per facultates meas licuerit, ejus opera libenter utens consulam commodis ejus. Deum rogate, ut quod ad majorem gloriam suam bene sibi visum fuerit, nobis omnibus evenire disponat. De Juliano, adhuc est nimis adolescens: & ego majori gravor familia, quam ut ferant tenuissimi redditus mei, in magna præsertim annonæ caritate: quod si Domino placuerit, me commodiore uti conditione, ipsum & alios adjuvero, modo velint virtutem colere, recteque vivendi leges tenere; non, ut quidam alii, qui suis moribus effecere, ut mihi valde refrixerit animus, ne patriæ nostræ cives apud me deinceps esse velim; majorem fidem, probitatem, sinceritatem, & humanitatem in extraneis expertus. Atqui**

Dei benignitate, familia utor iis moribus prædita, ut ad eam amandum impellar, ac si mihi singuli filii essent, non administri. Vale, salutaque meis verbis sorores tuas & cognatos. Romæ VI Kal. Aprilis MDLVIII.

[27] Extant & aliæ, quas vidimus, ejusdem fere argumenti, ad ipsum Gibertum manu sua rescriptæ litteræ, quibus eum vir summus ac summis rebus semper occupatus, non minus perite quam pie & humaniter commonet, ne quid in eodem fratris negotio contra sacras leges committat, sed ut omnia caste ac secundum Deum rite fieri procuret. Quæ idcirco memoravimus, ut vel hinc intelligas, eum cognatos & cives suos humiles non despexisse, [domesticos instar religiosorum instituit:] aut quo jure quaque injuria ditare & extollere studuisse: sed suæ, eorumque sempiternæ saluti pie consulendo, humanitatis pariter & caritatis officio numquam defuisse. Ceterum quod ad Paulinam de familia sua scribit, ea fuit ita pauca, vix ut viginti homines, hique omnes probatæ vitæ, in illa censerentur: utpote modicis adhuc facultatibus, quæ toto Cardinalatus tempore ad quinque millia nummum aureorum non pervenerunt. Volebat omnino, ut domestici omnes religiosorum hominum instar vitam instituerent: eosque antequam nomen in familiam darent, ut non in aulam, sed sacrum in cœnobium ingredi se cogitarent, testatus præmonebat. Sæpe vero illis sacrosanctam Eucharistiam administrabat ipse, ita se cum iis gerens, ut non minus amantissimi parentis, quam domini ardenti caritate flagrantis officia cumulate præstaret, inque rebus omnibus illis subveniret; præsertim ægrotantibus; accurate providens, ut certo domus loco separatim constituti, diligenti cura idoneorum ministrorum & officio curarentur: in eamque rem sumptus omnes ad obolum usque de suo ipsius ære persolverentur.

[28] Quatuor porro annos & amplius, cum Ecclesiæ præfuisset Paulus Quartus, anno a Christo nato MDLIX,

quintodecimo Kal. Septembris cessit e vivis: cui post quatuor fere mensium interregnum subrogatus est Joannes Angelus Medices, [factus Episcopus Montis regalis in Subalpinis,] Cardinalis Mediolanensis, Pius IV nuncupatus. Qui licet nonnullis, ejusdem Pauli favore & clientela antea nitentibus, aperte sit adversatus, & in plerosque principes viros ejus consanguineos graviter animadverterit; Michaelem tamen in ipso summi Inquisitoris munere firmatum esse voluit; ac paulo post, ut pro status sui dignitate melius ipse posset inde sibi providere, eum a Nepesino Sutriquoque Episcopatu, ad regendam Montis-regalis in Subalpinis Ecclesiam transtulit. Cujus quidem Ecclesiæ administratione suscepta, cum in ea multa & rite providenda & pie ordinanda esse animadverteret, tollendosque varios depravatos mores & corruptelas, quæ in eam, utpote hæreticis vicinam, irrepserant decursu temporis, quo a ceteris Pastoribus, gravi cum illius Christiani gregis detrimento, jamdiu recognita non fuerat; illam accurate sibi visendam & componendam existimavit. [eo dirigit iter] Atque eo versus iter ingressus, nocte sanctorum Apostolorum Petri & Pauli festum diem insequente, anno MDLX, ad Lucenses balneas pervenit: ibique dies aliquot posuit ad eas adhibendas aquas, curando stranguriæ morbo, quo sæpe gravissime cruciabatur: quique tandem causa fuit, ut concreto auctoque in vesica duro ac diro calculo, uti postea narrabimus, mors illum celerius abriperet.

[29] Inde porro solvit Genuam, quæ honoris causa quatuor triremes ei obviam misit. Dux Sabaudicæ Emanuel Philibertus, Princeps cum aliis nominibus, tum in primis Christianæ pietatis laudibus clarissimus, summis eum honoribus excepit, [Ecclesiaque lustrata] biduum cum illo jucunde commoratus. Ecclesiam denique suam perlustravit, rebusque omnibus, quas oportebat, quoad ejus fieri potuit, optime emendatis atque compositis,

ægre ferens ad hæreticorum punitionem civilem potestatem sibi defuisse, amicorum rogatu Boschum divertit: ubi summis & honoribus & gaudiis acceptus, egregiam suam in patriam caritatem quamplurimis ac variis in omnes, præsertim in egenos carceribusque detentos, pietatis officiis humanissime testatus est. Inde ad Viglebanense cœnobium (ubi adolescens regularis disciplinæ, uti memoravimus, scientiarumque tirocinia fecerat) pari lætitiæ & honoris significatione fuit exceptus: deinde Mediolanum delatus, ibique a Magistratibus virisque principibus illius civitatis honorifice habitus, Romam revertitur die S. Catharinæ sacro, anni paulo ante memorati. Atque hæc quidem reversio mirifice grata fuit cum amicis suis omnibus, [Romam revertitur,] tum vero multis amplissimis Patribus, inprimisque Ranutio Farnesio S. Angeli Cardinali: qui donec vixit eum semper plurimi fecit, & vero pro singulari suo iudicio sæpe prædixit, facile futurum, ut S. Petri clavium potestas illi gerenda traderetur: sed immaturæ mortis injuria optatum sue presensionis eventum videre non potuit.

## CAP. VII

[30] Jam vero ad sacræ Inquisitionis administrationem rediit Alexandrinus, cunctisque salutaris illius Officii congregationibus, ut antea, numquam non interesse voluit. Agebatur per idem tempus Tridenti sacrosanctum & œcumenicum Concilium, [In consultationibus sub finem Tridentini Concilii Romæ habitis] quod jamdudum a Paulo III institutum, sed deinde sæpius intermissum, a Pio IV denique repetitum, tandem hoc anno MDLXIII summo Christianæ reipublicæ bono, Deo bene juvante, conclusum & absolutum est. Ergo quæ res in eo gravissimæ tractabantur, de iis Romæ itidem agi cum vellet Pontifex, in ejusmodi conventibus accuratum Michaelis studium & operam adhibere consueverat:

ejusque solidæ & probatæ doctrinæ, & vere gravium sententiarum, a liberali & ingenuo animo proficiscentium, maxima semper habita ratio est. Privatis namque rationibus omnino posthabitis, cum in iis, tum etiam in aliis omnibus cætibus, & privatim & publice, quid secundum Deum & e Christiana republica sibi esse videretur, libere pronuntiabat. Nam illi in rebus omnibus ut spectata virtus & integritas auctoritatem, ita conscientia optimæ mentis sententiæ dedit libertatem: [graviter ac libere sententiam dicit] neque enim ignorabat, summum ac præcipuum Cardinalis officium esse, tam in privatis quam in publicis consiliis apud Pontificem, probum se ac fidelem consiliarium ubique præstare, ac libere profiteri, nihil sibi, esse antiquius Dei gloria & Christianæ reipublicæ salute.

[31] Itaque talem se Alexandrinus erga Pontifices exhibebat, quales S. Bernardus Cardinales requirit, cum ad Eugenium Pontificem Max. scribens, eum inducit videre cupientem Ecclesiam Dei talibus innixam columnis, eoque sacrorum Senatorum munitam consilio, ut, si Pontifex Summus vellet aliquatenus deviare, illi non sinerent, frænarent præcipitem, dormitantem excitarent; quique pro sua reverentia & libertate extollentem se reprimerent, excedentem corrigerent; constantia vero & fortitudine nutantem firmarent, erigerent diffidentem: qui denique pro sua fide & sanctitate, ad quaeque sancta, ad quaeque honesta eum & alios provocarent. [Lib. 4. de consider.] Hæc igitur præclara sanctissimi viri de Cardinalis officio documenta, atque alia ejusmodi probi Senatoris munera, fortiter & opportune, exequi non omisit Alexandrinus. Atque ut de multis pauca colligamus, VIII Idus Januarii ipsius anni MDLXIII, cum Ferdinandum Medicem, [ne adolescentes Principum filii Cardinales creentur] Cosmi Florentinorum Ducis filium, teneræ fere puerum ætatis, & Federicum Gonzagam, filium Federici Mantuæ Ducis, adolescentem, Pontifex (id quod mox



fecit) sacrum in Senatum legendos proposuisset; statim a prandio, quod in anniversario Pontificiæ coronationis die Cardinalibus Principumque Oratoribus de more dari consueverat, Cardinalibus ipsis convocatis, cum illisque communicato consilio, ea de re singillatim omnium sententiam rogavit. Quæ cum ex ordine dicenda esset Alexandrino, is mirifica libertate respondit fere in hæc verba:

[32] Cum habeatur hoc tempore, Beatissime Pater, Sacrosancta Tridentina Synodus, in qua, præter accuratam religionis dogmatum tractationem, in Ecclesiasticam disciplinam ac mores sancte restituendos summis laboribus incumbunt tot tantique Antistites; [vehementer dissuadet.] ii sane hujusmodi creatione valde offensos se arbitrarentur, si de hujus habenda ratione dignitatis decreto vix dum absoluto, statim derogaretur. Quare non possum equidem non ire in alia omnia: neque huic ego sententiæ unquam plane subscribam. Præterea quorsum evasura sit ætas adolescens, cum omnino sit incertum; cumque in his dignitatibus conferendis expectanda sit ætas legitima, eam potissimum expectare debentii, quibus meritis ita ferentibus, sacræ Purpuræ dignitas deesse numquam poterit. Huc accedit, hic non esse aut locum aut tempus legendorum Cardinalium: locum quidem, quia ex more in eorum publico consessu legi consueverunt: tempus vero, quoniam cum illico sit a prandio (quod sane plurimum exaggeravit) id maximos hominibus sermones dabit. Ceterum Cardinalis S. Angeli, qui præter alios audierat hæc omnia, summam viri libertatem, ardensque sacræ disciplinæ studium admiratus, dicebat postea, quemcumque vel pretiosissimum thesaurum, quem unquam habere potuisset, se libenter impensurum, si ejusmodi, quæ nemo alius dicere ausus fuerat, [idque se fecisse profitetur.] ipse ad Pontificem verba facere valuisset. Nec ita multo post Florentiæ Ducis Orator, cum

illius nomine pro more venisset ad agendas gratias cum aliis Cardinalibus, tum vero etiam ipsi Alexandrino; protinus is; Non est, inquit, quod mihi gratias agas: quippe qui huic electioni non modo non faverim, sed valde sim etiam adversatus: non quod Medicæam gentem oderim, sed quod ita mihi conscientiæ ratio præscriberet. Ac recte quidem id nulla se invidia adductum fecisse dixit: nam, ut ex dicendis patebit, eam ipse domum & dilexit plurimum, & non mediocriter exornavit.

[33] Sed illud quoque in hoc genere memorabile. Sub finem hujus Pontificatus, Maximilianus Cæsar eo nomine II, & alii plerique Germaniæ Principes, graviora scelera perniciosaque exempla hac via cautum iri prætendentes, per litteras ac nuntios Pontificem urgebant, ut Germanis Sacerdotibus, Græcorum exemplo, [ne matrimonium concedatur Sacerdotibus,] uxores ducendi faceret potestatem. Quod etsi Christianis moribus, Apostolicis præceptis, sacris legibus, atque omni ecclesiasticæ disciplinæ omnino repugnare constabat; Pontifex tamen, ut quid dicto factoque opus esset gravius decerneret, tantorumque Principum petitionem haud prorsus contemnere videretur; rem nonnullis Cardinalibus ad id selectis expendendam ac definiendam detulit. In iis ergo cum esset Alexandrinus, sacras leges Deique honorem omnium Principum gratiæ cunctisque rebus humanis præferendum ratus, singulari constantia atque animi libertate ita sese opposuit, ut ejusmodi postulata nemo aut ardentius oppugnarit, aut acrius rejicienda esse contenderit: [dissuadet & evincit] potissimusque ipse auctor fuisse dicitur, ut Pontifex id nullo pacto faciendum esse responderet. Non enim fas esse, mala facere, ut eveniant bona: neque cujusvis rei gratia contra leges omnes prostituendum esse, atque adeo profanandum sacrosanctum Sacerdotium, quod sine sancta castitate aut rite constare, aut Deo placere non posse, Catholica & Apostolica semper docuit Ecclesia. Hæc igitur & ejusmodi

alia gravissima illius responsa præter ceteros admirans Annibal Bozzutus Cardinalis, non minore prudentia quam dignitate generisque splendore insignis, dicere consueverat, Cardinalis Alexandrini sententiam in amplissimo Collegio plus ponderis havere (absit invidia verbo) quam ceterorum omnium, alioqui sapientissimorum, Patrum simul juncta suffragia.

[34] Obstitit præterea vehementer eidem Pontifici, Avenionensis legationis munus Alexandro Farnesio Cardinali abrogare, [item ne legatio Avenionensis Card. Borbonio decernatur,] Caroloque Borbonio ejus collegæ mandare cupienti: quod ea res & gravi Catholicæ religioni periculo, & sacrosanctæ Sedi parum honorifica fore videretur. Nam inde futurum, ut hæretici magis insolescerent, cum illius se imperio traditos vidissent: cujus, alioqui probe Catholici, studia in gentem suam, hæretica fraude ex parte deceptam, propensiora fore sperarent: cum nemo nesciat, dominandi libidinem & cognationis vinculum, ad hominum, præcipue Principum animos immutandos, valere quamplurimum. Addebat, non admodum esse Gallicæ Regis promissis nitendum, Avenione hæreticos haud victuros pollicentis: tum quoniam is fere puer esset, aliorumque regeretur arbitio; tum quia si domi suæ id ille præstare nequivisset, eo minus sperandum in aliena ditioe hoc ab eo præstitum iri. Quare partim ex his, partim ex aliis, quæ nunc omittuntur, contentioibus contrariisque sententiis, [idque cum aliqua offensa Pontificis,] ad sacrum Inquisitionis magistratum pertinentibus, fuere qui dicerent fore, ut a Pontifice in Adrianæ molis arcem includeretur. Quibus ipse, Mihi, inquit, locus numquam deerit in Ordinem meum redeundi, quoties ob testificationem veritatis in hoc collegio permanere non potero. His ergo atque aliis ejusmodi rebus forte motus Pius IV noluit, ut amplius ille palatinas ædes incoleret, supremique Inquisitoris auctoritatem ei non nihil imminuit.

[35] Interim is, quem ante memoravimus, e calculo contractus morbus ac dolor, mense Julio Michaellem tam vehementer afflixit, ut in summo vitæ discrimine constitutus, per octodecim dies sanguinem, urinæ loco, reddiderit. Quocirca de se ad felicem obitum componendo, deque parando sibi sepulcro cogitare cœpit: quod ejusmodi esse voluit, [in morbum lapsus disponit de sepultura,] quale in medio templi solo S. Mariæ supra Minervam hodie conspicitur, cum hoc epitaphio. Ad laudem D. O. M. Fr. Michael Gislærius, ex oppido Boschi, Agri Alexandrini, Ordinis Prædicatorum Dei misericordia tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, noscens terram terræ se redditurum, ob certam resurrectionis spem, in Virginis Dei genitricis templo, ejus & Sanctorum ac piorum viventium cupiens adjuvari suffragiis, locum hunc vivens sibi statuit: in quo cadaver, cum suum obierit diem, poni curavit, annum agens ætatis suæ LX, & humanæ salutis anno MDLXIV. Confirmata porro valetudine, ad Ecclesiam suam, ut Christi oves sibi concreditas verbo & exemplo pasceret, redire cogitans, [ad Ecclesiam suam redire,] sacram deversi generis suppellectilem & scripta, cum itineris impedimentis, per mare dedit avehenda. Sed ille, cujus divino consilio cuncta gubernantur, quique pro sua in nos clementia, quos diligit, arguit & flagellat; quemadmodum in afflictione corporis, sic in rerum externarum detrimento patientiam ejus ac virtutem magis voluit experiri: ideoque permisit, ut non procul ab Herculis portu onerariam piratæ caperent diriperentque. Quo quidem ille accepto nuntio, non tam ceterarum rerum, quarum damnum facile pertulit, quam scriptorum, quæ maximi erant momenti, gravem sane jacturam ægre admodum tulit. [variis modis prohibetur.] Inde recrudescente morbo, discedendi consilium immutavit: idque eo magis, quod sacræ Inquisitionis Cardinales, discessionem ejus moleste ferentes (quippe qui sui ipsorum, uti) dicebant ipsi, consiliorum quasi moderatorem amitterent) impetrassen

a Pontifice, Romæ ut sese contineret, illi mox in Pontificatu divino successurus.

## CAPUT IV.

### Summa Pontificis Romani collata dignitas

## CAP. VIII

[36] Mortuo Pio Quarto ad v Id. Decembris, anno a Christi ortu MDLXV, novendialibusque justis ei rite persolutis, pridie festi diei S. Thomæ Apostoli, Patres novum Pontificem lecturi in comitorum conclavi sese concluderunt. [In Conclavi pro creando novo Pontifice,] Ferme omnium erat opinio, ob Cardinalium frequentiam, qui ad quinquaginta convenerant, & quod multi essent, quibus Pontificatus variis de causis desponderetur, fore, ut plurimis contentionibus diutius protraheretur electio. Longo tamen usu compertum est, non Cardinalium multitudinem efficere, ut id negotii citius aut serius conficiatur; sed potius (si humana spectaverimus) eorum studia, qui pro sua auctoritate in conclave se partium duces rebus agendis exhibent. Comitiorum Principes, quique opibus, auctoritate & gratia præstabant, erant Carolus Borromeus & Marcus Sitticus Altaempsius, Pii IV sororum filii, Alexander Farnesius Pauli III Pontificis nepos, Hippolytus & Aloysius Atestini Ferrarienses, & Ferdinandus Medices. Primi duo collegas complures recentibus & magnis beneficiis devinctos habebant: quoniam quinque & quadraginta, eosque lectissimos viros, Pius IV in amplissimum ordinem cooptaverat. Horum plerique memorem & gratum in demortui Pontificis propinquos animum præstabant, [studio S. Caroli Borromai] studiaque sua Borromæo in primis deferebant. Erat is tum Archiepiscopus Mediolanensis, ætate quidem juvenis, moribus tamen ac prudentia gravis: dignitate, clientelis & amicorum studiis clarus; sed vitæ sanctitate,

cujus jam tum præclara fundamenta jecerat, rerumque pie gestarum magnitudine clarior.

[37] Huic a legibus, quæ ambitum arcebant, & quid in hac reservandum esset præscribebant, minime discedere; [proponitur Ioannes Moronus,] sed quod ad Dei gloriam ejusque Ecclesiæ dignitatem pertineret, facere propositum erat. Quæ res, ut plurimi Cardinales ejus præsidii spe tenerentur, horumque rationes & cogitationes ab ejus arbitrio penderent, sic effecerant, ut qui Borromæo probatus esset, omnibus probatus fore videretur. Ejus ergo studium in Joannem Moronum Card. Mediolanensem versum erat: quod quamvis initio dissimulare placuisset; tamen postea conciliatis multorum animis, ei se suffragaturum aperte præ se tulit. Moronus variis virtutum præsiidiis & ornamentis longe clarissimus, atque haud scio an omnium sapientissimus habebatur: a patre Hieronymo, regendi scientissimo, a teneris annis ad publicarum rerum administrationem eruditus; Pauli III, a quo Cardinalis creatus fuerat, disciplinæ alumnus; magnis negotiis publicisque muneribus sæpe præfectus, denique plurimis ad Reges & Principes legationibus egregie perfunctus, quibus rationibus Ecclesiæ dignitas pararetur & augetur, optime didicerat: quod ei quoque amplum & gloriosum erat, Tridentino concilio Legatus Apostolicus præfuerat, idque tam felici ac memorabili exitu concluderat, ut qui Principes illud diutius trahi & apertum esse cupierant, tam præclarum facinus arguere non auderent. Hujus auctoritati, perpetuo bene actæ vitæ tenore partæ (ut est virtus invidorum querelis & calumniis semper objecta) unum maxime officiebat, quod sub Paulo IV, quasi de religione minus recte sensisset, accusatus judicium subierat: in quo tamen sese optime purgaverat, egregieque suam probaverat innocentiam. Itaque Borromæi & aliis Morono suffragantibus; nonnulli, qui clandestina prensatione adversati erant, parefacta mox

voluntate, aperte restitere; datisque suffragiis, ex his quatuor ad rem conficiendam desiderata sunt.

[38] Ubi de Morono inane inceptum evasit, Borro mæus ad Gulielmi Sirleti creationem animum transtulit. [dein Guilelmus Sirletus,] Erat Sirletus, non summo quidem loco natus, sed integerrima vita, castissimis moribus, summa pietate ac multiplici eruditione præditus. Linguarum autem, præsertim Hebraicæ, Græcæ & Latinæ cognitione omnium facile princeps, in sacrarum litterarum studio versatus, ita omnibus doctrinæ suæ copiam fecerat, ut nemo ferme unus reperiretur, cui carus ac jucundus non esset: quam remotus a studiis ambitionis semper fuisset, illud testimonio extitit, quod Pium IV, ne se legeret Cardinalem, supplex obsecraverat. Alexandrinus vero in cellula abditus, assiduis precibus & quotidianis Missæ sacrificiis intentus, nihil præter Dei gloriam & commoda publica spectans, Sirletum ornando Ecclesiam ornari, [cui Gislerius summe studebat,] Christianæque reipublicæ bene consultum iri putabat. Itaque re audita, non modo studium suum Borromæo ultro pollicitus est, sed Patres etiam obibat, miscendoque preces & consilia, omnium gratiam Sirleto conciliare studebat. Sed his & Sirleti meritis & amicorum studiis non æque omnes suffragabantur: nonnullis fieri non posse existimantibus, ut homo novus, publicisque in negotiis & magnis rebus gerendis minime versatus: sed tantum libris & scientiarum studiis deditus, tantam majestatem tantamque auctoritatem capere posset aut sustinere.

[39] Quare propositis multis aliis viris, Pontificiis plane virtutibus ac meritis præcellentibus, de quibus singulis hic referre non est opus, ceteris posthabitis, [postea ipse Gislerius,] demum in Alexandrinum sunt studia conversa; Borromæo inprimis & Altaempsio summis votis eum Pontificem deposcentibus. Perspecta namque in Sirleti negotio optima Alexandrini ad honestos ac pios viros

propensione, vitæque præterea sanctissime ac religiosissime acta, sic Borromæi animus ei devinctus est, ut quem antea plurimum dilexerat, postea studiosissime coleret: & quem initio inter alios tacite designaverat, ad eum legendum vehementius animum adjiceret. Ut ergo quæ cogitaverat, a suis præcipueque Morono & Farnesio probari intellexit, ceterorum animos illi conciliare, in eamdemque sententiam trahere contendit. Summis Alexandrini meritis ac virtutum ornamentis tantum obstabat humana quædam opinio, eum Pauli IV, cujus fuerat alumnus, actionum vindicem fore, & Pii IV propinquis & clientibus adversaturum; denique superioris ingenii, [humano omni respectu post habito.] quam ut illum ferre multorum infirmitas posset, a plurimis existimari. Sed inanes omnes humanarum cogitationum contentiones timoresque egregia Borromæi, cujus potissimum rebus timebatur, & aliorum magis piorum Patrum, divina potius quam humana respicientium, & privatis rationibus publicam salutem præferentium, virtus, Deo bene juvante, facile superavit: persuasitque id, quod eventus indicavit, fore, ut Alexandrinus, si legeretur, nihil præter Dei honorem & Ecclesiæ decus hominumque salutem spectaret.

[40] Electionis igitur auctoribus rem conficere maturantibus, unus ipse de quo agebatur, quique sanctis precibus, [qui frustra obnixus] ut diximus, intentus, procul a negotiis & ambitione, satis sua sorte contentus, quiescebat, abnuere; Pontificiæ majestatis altius fastigium dicere, quam ut ipse consilio & gravitate id tueri se posse confideret: perfecto viro & quasi divino opus esse, qui in Apostolicæ Sedis custodia, velut in specula locatus, tutam Ecclesiam vigiliis & providentia præstare posset. Quid agerent, etiam atque etiam providerent: non deesse viros omnibus numeris absolutos, quibus tam gravis provincia longe melius mandari deberet. Inter hæc Borromæo & Farnesio eum urgentibus, hortarique, rogare,



**& meritis cumulare laudibus non desinentibus; Deum precatus, ut ea res Ecclesiæ Dei fauste ac feliciter eveniret, [in Sacellum deducitur:] mox e cubiculo eductus, in sacello, ubi creati Pontificis adoratio fieri solet, constituitur.**

**[41] Triplex creandi summi Pontificis ratio est. Prima, ut quisque ex Patribus eos quos deligit, codicillis, proprio chirographo conscriptis & annulo obsignatis, nominavit, [atque per viam non scrutinii] codicillos in calicem, quo in sacro Missæ faciendo eo die usi sunt, quique in medio altari collocari solet, infert. Ea re peracta, Patres ordine considunt: tum Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum primarii (Decanos appellant) qui huic negotio custodes & inspectores adhibentur, calicem de altari sublatum super mensam in medio positam, ubi & conspici & audiri undique possint, deferunt. Codicilli ab Episcoporum Decano de calice singillatim deprompti, Diaconorum Primati recitandi traduntur. Cardinales singuli libellos, ubi omnium collegarum nomina descripta sunt, præparatos habent: his eorum nomina, qui suffragiis Pontifices designantur, excipiunt, & punctis notant. Qui duas ex tribus partes suffragiorum expleverit, is summus Pontifex lectus ducitur. Huic suffragii ferendi rationi Scrutinii nomen impositum. [aut accessus,] Si vero accidat, ut nemo legitimum suffragiorum numerum tulerit, a Collegii Primate edicatur, cuique ex Patribus liberum esse, vocis suffragio, cujus iudicium gravissimum censetur, ad eos qui nominati sunt quibusque non sit suffragatus, accedere. Huic alteri creandi Pontificis instituto, ob id Accessus nomen indidere. Tertia eligendi ratio, postremis temporibus crebrior & usitatior, ab re Adorationis nomen sumpsit: quæ tum inducitur, [sed ad orationis] cum coacto legitimo Cardinalium numero, communi consensu & viva voce ac salutatione, qui maxime probatus est, summus Pontifex declaratur.**

[42] Cum igitur, ut ad rem redeamus, inter paucos Cardinales de eligendo Alexandrino conveniret, iique jam eum in sacellum, ut diximus, pertraxissent; simul atque id ceteri omnes rescivere, [eligitur Pontifex,] mirabili quidam animorum consensione, tremebundi tamen, ipsiquemet sibi vix credentes, non sine divini Spiritus impulsu, ad eum adorandum certatim properarunt. Ita qui opibus humanis, qui gratia, qui artificio conciliandæ benevolentiae omnibus erat inferior; divino nutu, præter omnium expectationem, ceteris, qui in spem summi honoris nati & erecti videbantur, superior factus est: & cum alii multi tamquam Isai filii adducerentur eligendi, non respexit Dominus vultum neque altitudinem eorum: sed hunc, veluti alium Davidem, in summa præstantis pietatis humilitate jacentem, erexit & elegit, qui in medio Fratrum ungeretur.

[43] Adoratione facta, ut designati summi Pontificis assensione comprobaretur electio, resque tota constituta stipulationis formula publicis monumentis mandaretur, lex jubebat: id vero hujus vocis pronuntiatione fieri consuevit, Acceptamus. [secum multum sollicitus,] Urgente Farnesio, uti S. R. E. Procancellario, ut id extemplo faceret; secum ipse reputans, amplissimum se quidem honorem, sed eum omnium gravissimum, periculique & solitudinis plenum accipere, cogitabundus respondere cunctabatur: incertusque inter spem & metum, tacitis cogitationibus hinc inde pendeat animi. Primum, qui vellet tam grave onus subire, cujus sub mole sortissimi ac præstantissimi quique viri prope succubuissent. Se intra parvæ cellæ angustias jam inde fere a puero educatum & assuetum, cum Regibus ac Principibus agere non consuesse. Altera ex parte veniebat in mentem cogitare, eam se dignitatem nec optasse unquam, eoque minus ad illam obtinendam operam ullam seu studium aut se adhibuisse aut pro se ab aliis adhiberi curavisse. Anceps hæc deliberatio cum eum paulisper tenuisset, [& tandem munus acceptans]

divinæ demum providentiæ confidendum ratus; quæ quocumque se moveret, quod generi humano prius ac potius esset, efficeret; ad spem rei bene gerendæse excitari sentiebat. Itaque prolato, quod lex exigebat, verbo, graviter suspirans, delatam dignitatem suscepit. Quæ dies orbi Christiano felix illuxit VII Id. Januarii sub vesperum, anno a Virgineo partu MDLXVI.

[44] Rogatu Borromæi, ut is avunculo haberetur honos, Pius, qui fuit hoc nomine Quintus, appellari voluit. [Pius V appellatur:] Inde in S. Petri templum ex more delatus, coram sacrosancta Eucharistia supplex procubuit, & imis precibus auxilium inito honori passis manibus oravit. Ibi, ex quanta humilitate ad quantum culmen divino consilio evector esset, recordanti, lacrymæ profluxerunt: tantumque abfuit, ut inter hæc agenda speciem ullam se effuse & inaniter efferentis temereque gestientis præberet: ut, [& miram animi tranquillitatem præsefert.] quod magni excelsique animi & humanos honores humanæ fragilitatis regula metientis est, in quotidiano & consueto oris habitu, virile mentis robur præ se ferente, se spectandum obtulerit. Illud quoque sedati ac tranquillissimi animi argumento fuit, quod cum proxima nocte quieti se tradidisset, tam arctus eum somnus complexus est, ut, quod numquam ante acciderat, quodque dysuriæ morbus prohibebat, undecim continentes horas sopitus conquieverit.

[45] Ceterum electionem hanc multi, divinitus, ut ferunt, admoniti praeviderunt; variaque signa e caelo edita praeemonstrarunt. Franciscus Gonzaga Cardinalis, in comitiis graviter ægrotans noctuque experrectus, creatum iri Pontificem Cardinalem Alexandrinum præsensit: [Creatio hac prævisa a Card Gonzaga moribundo,] eumque se uti Pontificem Maximum libenter adorare professus, sub mortem, quam obiit pridie quam fieret electio, familiares suos in clamavit; conquerens, ea

de re nihil ab illis sibi renuntiatum. Idem fere paulo ante acciderat Genesio Lucensi, Dominicani cœnobii ad Minervam Præfecto: [& Priore Dominicano.] sed is præterea viderat, Pontificem sibi cito ex oculis evanescere: quod ille portendere interpretabatur, illius Pontificatum haud diuturnum fore. Idque cum ipse paulo post enuntiasset Pontifici; is, Laetatus sum, inquit, in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Londini in Anglia super eam insulam, tunc impiæ Elisabethæ Reginae Catholicos persequentis tyrannide oppressam, crinitus cometes per eos dies apparuit, [denuntiata per Cometam in Anglia,] ignesque de cejo terribiles ac sanguinei coloris; immanis præterea magnitudinis manus, districtum intentans gladium, minarum ac dirarum indicium, & mox intorquendi ab hoc Pontifice in eam Reginam, ut infra suo loco demonstrabitur, Apostolicæ potestatis gladii, eam uti hæreticam a fidelium communionem præcidentis, & omni regnandi jure spoliata declarantis, haud obscurum prodigium.

[46] Illud quoque Boschensibus miraculo fuisse narrant. [Boschi a nuntio subsistere coacto indicata.] Galliarum Regis tabellarius, Pontificis creationem enuntiaturus, Roma per dispositos equos in Galliam properans, cum ad oppidum Boschum pervenisset, ignarus eam Pii patriam esse; divino potius quam humano ductu, præter consilium, ab ordinaria, qua extra loci muros recta pertransitur, declinans via, id oppidum est ingressus; ac celeri cursu transire conanti, quo vehebatur equus, in medio foro pro summo parochiæ templo, tam pertinaciter substitit, ut quibusvis adhibitis stimulis progredi, quasi alter Balaam, nullo modo posset. Accurrentibus auxilii causa multis, atque equum undique nequidquam extimulantibus, ac demum unde, & quo pergeret, & quid novi esset, percunctantibus; ubi Cardinalem Alexandrinum creatum esse Pontificem Maximum, seque ea de re litteras ad Galliæ Regem afferre significavit; statim equus per se

repetito cursu, cœptum iter insistere; subindeque re divulgata, summis gaudiis exultare omnes, ad templa confluere, immortales Deo gratias agere, atque alia multa publicæ lætitiæ signa edere cœperunt. Postera vero die ab ipsomet Pio certiores facti, planius intellexere, admirabundique prædicavere, non sine divino consilio cecidisse, ut tantæ lætitiæ nuntio, quasi e cælo misso, pridie mire dignati fuissent.

## CAPUT V.

### Res gesta Pontificatus initio: Ecclesiastica disciplina restituta.

[47] Iam vero tota Urbe Christianoque orbe creati Pontificis fama vulgata, [Creatus magno Hispaniarum Regis gaudio,] pro variis hominum studiis atque opinionibus, ut fit, varie affecit animos. Philippus II, Hispaniarum Rex maximus, re & cognomento Catholicus, pro eximia sua in Ecclesiam Dei pietate, hoc accepto nuntio, vehementer inde lætatus, quantas maximas potuit immortalis Deo gratias egit, lætitiæque suam cum aliis Principibus viris, plenioribus atque amplioribus verbis, coram & per litteras communicavit, sibi ceterisque pollicens futurum, ut hoc Pontifice Christiana disciplina ad priscos mores redigeretur, magnaque ad pietatem & ad Sedis Apostolicæ dignitatem fieret accessio. Quæ spes, singulari cumulatâ gaudio, & aliorum piorum animos cepit; eosque, ut ostendemus, minime fefellit. Plurimos tamen, præsertim in Urbe, [Romanos mœrentes consolatur:] animi vere pii Pontificis ejusque studiorum ignaros, metu interprete omnia in deteriora vertente, mœror ac pavor ingens invasit, nemine sere sibi non timente ab hominis severitate: cum aliud nihil, quod ei populus objiceret, haberet. Id ipse cum præsensisset, quid de sua ad Pontificatum assumptione populus sentiret, quæque de se vulgo esset expectatio, ex familiaribus suis percunctanti responsum est, priscae ac

**nimis duræ severitatis metum animos incessisse. Quibus ipse, Confidimus, inquit, Deo, ejus ope nos ita facturos, ut majorem ac longiorem ex obitu nostro, quam ex hac suscepta dignitate mœrorem homines capiant. Atque ita plane contigisse, eumque e vita cedentem ingens sui desiderium, communi ac diuturno bonorum omnium cum dolore, reliquisse, exitus declaravit.**

**[48] Ceterum cum probe intelligeret, ad regendos cum quiete ac moderatione homines, nihil aptius esse quam diligi, nihil alienius quam timeri: nec ulla re propius homines ad Deum accedere, quam salute hominibus danda; Pontificii muneris initia a caritate in pauperes, & in alios liberalitate atque clementia, voluit exordiri: quæ res & emolumento & dignitate captas alienas mentes, ad benevolentiam, qua regna stabiliuntur magis quam armis, allicere & in officio continere facile poterat. Die festo S. Antonii, quo die in lucem editus est, [coronatus 17 Januarii] Pontificia corona, summa cerimonia rite decoratus fuit. More institutoque superiorum temporum, ipsa celeberrima coronationis hora, inconditæ multitudini in S. Petri aream confluenti, [pecuniam tunc spargendam & convivio impendendam,] publicæ lætitiæ causa pecuniæ dispergebantur: ruenteque quam tumultuosissime turba, & aliis alios prementibus, & in præripienda pecunia collidentibus, ætate tantum & viribus validiores & audaciores hoc munere potiebantur: reliqui vero non solum ea liberalitate excludebantur, sed ex his plures obtriti & conculcati miserabiliter interibant. His incommodis ut mederetur Pius, atque ut sublato periculoso turbulentæ largitionis instituto, pauperum tenuitati prudentius consuleret, destinatam huic operi pecuniam, ac præterea mille aureos, quibus quotannis eodem die convivium magnifice & splendide Cardinalibus, [in pauperes distribuit:] & Regum Principumque Legatis instruebatur, piorum cœnobiis egentibus & aliis inopibus erogavit, eo convivii more deinceps omnino sublato:**

nusquam eam impensam poni tutius, ac sanctius posse ratus; quam si recisis sumptibus minime necessariis, & relicto quoad fieri liceret saeculi splendore, aliorum inopiæ & necessitati succurreret. Neque enim quod Cardinalibus aut Oratoribus cura & sumptu majore epulas non apparasset, sed quod afflictas pauperum familias benigne non sublevasset, horribili illo ac pertimescendo magni Judicii die a se repositam esse rationem intelligebat.

[49] Habita præterea ceterorum pauperum ratione, & relato ab hominibus, quibus id negotii datum erat, numero, [magnaque erga varios munificentia usus,] eos propensius & largius eleemosynis sustentavit. Virginibus plurimis, quibus aut nullum, aut exiguum erat patrimonium, pecunias dotis nomine large suppeditavit. Triginta & octo tenuioris census Cardinalibus viginti millia & nongentos aureos inter se viritim dividendos tribuit. Singulis sacræ Rotæ judicibus ducentenos dedit. Cardinalium familiaribus, qui comitiorum conclavi præfecti magnos labores & vigiliis sustinuerant, aureorum decem millia dono dari, immunitatesque & beneficia ante in eos collata nihil imminuta esse jussit. Multis aliis, quorum opera fideque optima Sedes Apostolica adiuta atque ornata fuerat, præmia decreta & honores aucti. Ab singulorum Cardinalium mortuorum heredibus quingenteni aurei annulorum nomine exigebantur; eam pecuniam, ac præterea aureorum decem millia erigendo sacrarum Virginum Dominici ordinis cœnobia, quod in Quirinali colle magnifice constructum est, attribui voluit. Hæc munificentia, [animos dejectos erigit:] quo minus erat exspectata & quo magis comitate condita, eo gratior extitit atque jucundior: disiectaque curarum ac metus caligine, alii quasi luce libertatis & ingentis humanitatis odore recreati, ad spem tranquillioris vitæ erigi, alii nec opinatam magnitudinem animi suspicere, omnesque summi & infimi uno ore

dignum summo honore cum admiratione prædicare; eumque tamquam salutis omnium præsidem, quasi e cælo missum venerari. Nonnullis tamen rem a longe, non inspecta causa, ut sæpe fit, judicantibus, quod sequitur, visum est legibus minus consentaneum, datumque probro largitionis: sed ab his, qui facti causas melius inspexere, secus iudicatum. Res ita se habuit.

[50] Annibal Sitticus, Altaempsii Comes, Marci Cardinalis frater, Paulo antequam Pius IV e vita migraret, ducta in matrimonium Cardinalis Borromæi sorore, in subsidium dotis ab avunculo Pontifice centum millibus aureorum donatus fuerat. Super ea re diploma conscriptum, [Dotis a decessore promissæ dimidium,] Pontificioque signo munitum extabat: verum Pontificis morte consecuta, pecunia ex ærario deprompta non fuerat. Itaque, licet donationis jus Annibali animum ad spem obtinendi muneris facere potuisset; tamen sive causæ diffideret, quod, quæ a legibus & jure civili pendent, varias & ancipites interpretationes interdum reciperent, sive plus spei in summi Pontificis benignitate poneret; ad pedes Pii provolutus, exposita juris sui ratione, rem omnem ejus arbitrio voluntatique permisit; suppliciter tamen rogare, sortis suæ rationem habere vellet, tristemque nobilis Equitis tenuisque Pontificii propinqui conditionem miserari. Ad conciliandam Pontificis gratiam id maxime juvit, [liberaliter donat Altaempsio,] quod de jure suo cedere maluisse, quam cum tanto Principe pertinaciter contendere Annibal visus esset. Is enim erat Pius, qui legum sententias ad facilitatem æquitatemque revocaret: statueretque magnanimi Principis esse, potius aliis de suo largiri, quam ulli quidquam detrahere. Quare cum neque eum, qui se iudice & arbitro uteretur, fiduciæ fructu defraudatum vellet, neque tamen superioris Pontificis in suos indulgentiæ adstipulari placeret (quippe qui in sacro Senatu ei, hoc ipsum consultantis, unus fere ex omnibus Patribus constanter obstitisset) excogitato aptissimo



æquitatis temperamento, mediam viam inter summum jus & gratiam iniit: atque omnium ferme Cardinalium, & Ludovici Requesensii, Catholici Regis in aula Pontificia Oratoris rogatu, aureorum quinquaginta millia ei numerari jussit. Itaque non illi potestas ulciscendæ simultatis, sed benignitatis ostendendæ fuit occasio: resque ipsa docuit, quam inani opinione ducerentur, qui eum Pii IV propinquis minus benignum, aut præteritarum offensionum vindicem fore suspicabantur.

[48] Sed quo in alienos indulgentior, eo severior fuit in suos. Jam enim duo ab inito Pontificatu menses abierant, [multorum rogatu pronepotem Cardinalem creat:] cum carni & sanguini non acquiescens, assiduis Cardinalium inprimisque Farnesii ac Principum virorum precibus vix adduci potuit, ut Michaellem Bonellum, sororis suæ nepotem, Dominicani ordinis Sacerdotem, Perusii Theologicis studiis operam navantem, legeret Cardinalem. Statuerat namque ex propinquis suis neminem ad altiorem gradum provehere; neque hunc, præstanti alioqui virtute probatisque moribus ac doctrina præditum, a perfectioris vitæ cursu ad aulicas, licet sacras, dignitates avocare. Sed summis viris id efflagitantibus, ac multa, quibus id e Christiana republica esse videretur, obtendentibus, demum annuendum existimavit: eumque in amplissimum Collegium statis temporibus post sacros Cineres rite cooptatum, galero tituloque suo decorari, Alexandrinumque nuncupari voluit: [& in negotiis adiutorem habet.] mox illum negotiis agendis sibi adiutorem sic adhibuit, ut ipsemet tamen intelligere moderarique vellet omnia, graviora præsertim, ne per alios deses quiescendo Pontificatum administraret. Sed qua in hunc atque alios affines suos moderatione se gesserit, loco suo plenius postea narrabimus. Ecclesiam vero suam Montisregalis integerrimo ac doctissimo viro, Vincentio Laureo, Calabro, qui deinde fuit Cardinalis, Episcopo ab se lecto, regendam contulit.

**CAP. X**

[49] Romani vero Pontificis munus illud Pius dicebat esse præcipuum, summa ope conniti, ut in urbe Roma, ex qua tamquam ex fonte universum in Christianum orbem omnis religionis omnisque virtutis ac sanctitatis cum documenta exempla derivantur, & divinus cultus, & ecclesiastica disciplina, & urbanorum denique omnium mores, quoad ejus fieri potest, integerrimi conserventur. Itaque primo sui Pontificatus anno ac deinceps, in eam potissimum curam incubuit, ut sacrosanctæ religionis cultum, [Domesticis & familiaribus rectam vivendi normam præscribit:] ubi lapsus esset, ad pristinum splendorem in Urbe revocaret, atque omnium ordinum & vitam & mores ad veræ pietatis rationem restitueret. Quod ut sedulo facileque præstaretur, in primis eam ipse sibi familiaribusque suis vivendi legem imposuit, quæ in rebus omnibus ad virtutis imitationem ceteros excitaret & anteiret: ut, quemadmodum Salvator noster ab suo & Apostolorum exemplo Ecclesiæ conformationem est orsus; sic ipse a se primum & ab aulicis suis Christianæ rei ordinationem voluerit exordiri. Intelligebat enim frigide admodum ac fere nequidquam alios ad modestiam, ad liberalitatem, ad justitiam, ceterasque virtutes per eum incitari, cujus aut vitam aut domum, vel ambitio, vel avaritia, vel injustitia, vel alia ejusmodi vitia commacularent.

[50] Itaque primum omnium domesticos suos ac familiares omnes ad se convocatos, ad omnem ambitionis vanitatem, arrogantiam, invidiam, intemperantiam, avaritiam, discordias, atque alias id genus animorum pestes nocentissimas, maxime vero otium, uti vitiorum omnium fomitem, diligentissime cavendum ac propulsandum, & ad sanctitatem vitæ, ad integritatem & innocentiam, in primis vero ad pietatem in Deum, mutuamque inter se caritatem perpetuo retinendam

gravissime cohortatus, quid a quoque præstandum esset, declaravit. Nolle se in aula sua quemquam tolerare, cujus & spectata virtus & vita optime instituta non fuisset. Quare se quisque ita componeret ac compararet, ut in omnibus exemplo esset Christianæ modestiæ, religionis ac pietatis. Verum de his commodius ac plenius, de ipsius domestica disciplina scribentes infra, commemorabimus. Advocari porro jussit Magistratus & Judices omnes Urbanos, adhibitis etiam Cardinalibus, qui aliquam publicæ jurisdictionis vel administrationis partem attingerent: quibus legem præscripsit & rationem cognoscendi & explicandi causas, ut divino instinctu illam haberi orationem plerique testarentur.

[51] Cardinales adhortabatur, nullius causam nisi illis verbis, Quantum patitur justitia, commendarent; [Cardinales adhortatur ad vitam sancte instituendam,] considerarentque secum diligenter, quibus quantisque tempestatibus Christiana respublica concuteretur eo tempore: horrenda illa esse flagella Dei, mortalium peccata vindicantis, dum viderent omnes Ecclesiam, tum a grassantibus hæreticis undique oppugnari atque affligi, tum ab immanissimo ac potentissimo Turcarum tyranno gravissime divexari. Tempus hoc minime negligi oportere. Cardinales imprimis decere, ut se ipsi familiamque suam ordinent, studioque veræ pietatis Deum offensum placent, atque universis gentibus præclara præbeant exempla virtutum, ipsis enim & Episcopis præcipue dixisse Christum: Vos estis lux mundi, & Vos estis sal terræ. [Matth. 5.] Itaque secum reputarent identidem, se tamquam clarissima mundi lumina, in summo Ecclesiæ vertice divinitus constituta, tantum virtutis splendorem cunctis præferre oportere, ut non minus vitæ sanctitate ceterisque animi ornamentis, quam excelso dignitatis gradu universis hominibus ad gloriam Dei præcellere viderentur: neque enim Sacerdotes & Cardinales vulgari quodam Christianorum officio, ac mediocri solum piæ

vitæ cursu contentos esse debere; sed altiorem quamdam sibi que propriam atque adeo necessariam virtutis rationem illis a Deo impositam esse: cum illorum vitam in edito loco positam esse diceret, in qua ceteris hominibus exemplum ad imitandum proponeretur. Quocirca dandam illis esse operam, ut non modo manum, linguam, mentem ab omni sceleris contagione castam & integram custodirent; [ex proprii officii ratione:] sed vitam quisque suam familiæque mores iis virtutibus instituerent, quarum laude ordo Sacerdotalis, qui ad humani generis procurandam salutem divinitus est institutus, maxime decoratur ac continetur. Itaque sanctarum legum ecclesiasticarumque sanctionum patronos ac vindices fortissimos sese præstarent; fideles, sapientes, & integros consiliarios, quod proprium illorum esset officium, Pontifici se ubique præberent: nihil omnino vel ab se vel ab aliis postularent, quod cum ceteris sacris legibus, cum vero Tridentini Concilii decretis adversaretur: nihil enim tale ab se umquam illos impetraturos. Ceterum se fore ad universa eorum sana juvanda consilia ubique paratissimum: facturumque ope divina, ut & Christianæ Reipublicæ & privatis eorum etiam rationibus, quantum æquitas ferret, perpetuo consuleretur.

[52] Tum ad Judices conversus, eos admonuit, viduarum, pupillorum ac pauperum in primis, [Iudicibus æquitatem commendat:] suis in judiciis, curam gererent: quod si quis extra justitiæ formulam eis commendatus fuisset, illum malam causam habere existimarent. Itaque justitiæ rectum iter tenerent, cujus flectendi nemo ex Pontificia familia auctor eis aut suasor esset futurus: mandaverat namque familiaribus suis, ne in eas res, quæ ad jus dicendum pertinent, ullo modo interponerent sese, aut Iudicibus causas commendarent. His igitur atque aliis ejusmodi verbis omnes ad munus quemque suum recte præstandum adhortabatur. Ceterum probos & integros juris administros, quibus ad rempublicam capessendam,

non pecunia, sed virtus aditum aperuisset, rebus gerendis causisque expediendis præfici curavit; memor sententiæ illius, Qui emit (nempe justitiæ ministerium) necesse est ut vendat.

[53] Subinde Patriarchales quinque Urbis Ecclesias invisit: [visitat Ecclesias Patriarchales,] nempe S. Joannis Lateranensis, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii extra muros, & S. Mariæ Majoris; & ad earum singula Collegia gravem æque ac piam orationem habuit: omnesque ad sui muneris functionem, & ad vitam suam, utpote ad quam populi mores soleant conformari, sanctius instituendam, & ad divinum cultum, antea curatum negligentius, majore studio retinendum, vehementer est cohortatus. Ac propterea statim Visitatores delegit præstantes viros, qui sacras omnes Urbis ædes obirent, summa cum potestate & aulicos & sacros homines quoslibet ad meliorem frugem corrigendi. In iis fuere Nicolaus Ormanetus Veronensis, & Alfonsus Binarinus Bononiensis, viri spectatæ probitatis & eruditionis, Christianæque disciplinæ studio flagrantissimi: qui in hoc rerum ordinandarum negotio egregiam illi operam navaverunt. [effigies deorum eliminat ex Vaticano,] Inanium porro deorum effigies, ab ethnicis relictas, magnisque sumptibus olim ornatus causa in Vaticano sacrique Palatii theatro collocatas, tamquam iis locis prorsus indignas, confestim alio jussit asportari, easque populo Romano largitus est; edicens hujusmodi ornamenta Capitolio, ubi deinde posita sunt, indecora minus esse, quam Pontificio domicilio.

[54] Inter hæc gravissimum edictum, de expellendis ab Urbe atque omni ditone Pontificia meretricibus, evulgavit. [meretrices curat aut expelli,] Eo namque istarum & numerus & petulantia jam excreverat, ut egregias Urbis domos ac vias publicas habitantes, piorum & præsertim exterorum graviter offenderent oculos. At

vero triumviris Urbis Conservatoribus, huic legi acriter obsistentibus, idque e Republica non esse, maxime ob locandarum ædium detrimenta, contendentibus, Pius illico silentium imposuit: scilicet Romani Senatus officium esse, impudicarum muliercularum causam tueri; ob idque Principis sui auribus obstrepere, ac pudicitiae leges tollendas curare. Ad hæc indignatus adiecit; nisi illæ Roma cederent, se una cum universa curia ex Urbe migraturum. Excessere tandem; illæque præsertim, quæ præ ceteris offensionem incautis hominibus fore, divinæ que majestatis offendendæ majores occasiones præbituræ videbantur, nominatim sunt relegatæ. Nonnullas vero, ut pejora scelera vitarentur, remanere permisit; quas in unum Urbis angulum rejectas, ac remoto ignobilique loco conclusas esse constituit; ea lege, ne inde egrederentur; quæ secus facerent, virgis cæsæ in exilium pellerentur. Illis vero duo vel tria templa, quo ad rem divinam & sacras conciones convenirent, designavit. Hæ leges fuere statim salutares: nam ex iis multæ viris in matrimonium traditæ; [aut in angulo Urbis concludi,] aliæ vero complures studiose ac diligenter conditionem exquisivere, qua ex illa turpitudine & contumelia eriperent sese, laudabilemque vitam ac piam instituerent. Adjecit etiam vere Pius pater, eleemosynam suam non defuturam, uti non defuit, præsertim iis, quæ propter paupertatem signiores ad pietatem fieri viderentur. Illud præterea multas a flagitiosa illa vita deterruit; quod eas Pius decrevisset sacra carituras sepultura, ac in sterquilinio sepultum iri, quæ in ea vitæ fœditate absque Sacramentorum communione e vivis excessissent.

[55] Neque vero id remedii prætermittendum, quo plurima in hospitibus publicis & cauponis crimina resecabantur. Graviter enim severeque interdixit, [reprimit computationes in hospitibus,] ne quis eorum, qui Romæ degerent, convivandi aut computandi gratia, illa adiret loca; nec quisquam in iis ludere permetteretur. Ac

licet complura nummum aureorum millia vectigalis nomine ex vino cauponarum ærario publico quotannis accederent, qua pecunia onera ac sumptus Reipublicæ sustentabantur; ad hæc tamen detrimenta Pius connivere maluit, quam ad tot flagitia, quæ cum divini honoris contumelia, & animarum privatarum que domorum pernicie, perpetrabantur. Hospitia igitur jam antiquo libera vectigali, & tamquam ipsa sibi reddita, a peregrinis tantum frequentabantur; & advenarum, quorum causa fuerant instituta, inserviebant commoditati. Ad hæc luxum vestium & conviviorum tota Ecclesiæ ditio repressit. Denique nihil erat, quod vel ad divinum cultum, vel ad mores optime formandos attineret, quod non summo studio ad suum pristinum nativumque splendorem revocare niteretur: neque hoc solum gravioribus, sed levioribus etiam in rebus accuratissime procuravit. [Constit. 39.]

[56] His autem atque aliis ejusmodi quamplurimis, quæ passim infra scribentur, institutis & exemplis effectum est, ut & Pontificis aula & Urbs ipsa tota novam quamdam, ac plane piam induisse faciem videretur. Nam vidisses interea ludos, commessationes, fabulas, ludicra certamina, ac ceteras scelerum occasiones obsolescere; [hinc novæ Ecclesiæ data facies,] divina vero diligentius officia coli, frequentari conciones sacras, visitari hospitales, pauperum domos, sacrosanctam tum Confessionem tum Communionem tota Urbe majore frequentia celebrari; vectigalia ac portoria partim sublata, partim remissa, omnemque ejectam esse in rebus sacris pecuniæ conditionem; nullum ferme potentiæ vel gratiæ locum relictum; spectatæ religioni ac virtuti omnia tribui; Episcopatus, dignitates & sacerdotia considerate ac prudenter conferri; ornari viris Ecclesias, non hominibus aut pensionibus onerari; Clericorum disciplinam sancte restitutam, sacrarum ædium administrationem ad probatum veterum morem pene

perductam; purgatam Urbem flagitiis, sublatae calumnias; res ac rationes inique contractas rescindi, nullam fœnoris iniquam conditionem esse permissam; non extrahi lites, sed maturo iudicio dirimi: nam ipse audire, cognoscere, videre volebat omnia Pius Pontifex & eorum, quibus utebatur actionum administris, [Pio V omnia recognoscente.] relationem omnem repellebat, in qua vel minima nota subesset odii, amoris, cupiditatis. Quæ quidem omnia eo faciliora cuique reddebantur, quo clariora præceptis ejus exempla prælucebant: quales enim in Republica Principes sunt, tales & reliqui solent esse cives: eaque Principum conditio est, ut quidquid faciant, præcipere videantur. Quare cum recte facere Princeps cives suos faciendo doceat, ad Christianam Rempublicam bene ordinandam Pius non tam imperio sibi opus esse putabat, quam exemplo.

## CAPUT VI.

**Sacrosanctum Tridentinum Concilium inductum ac primo circa res Ecclesiasticas.**

### CAP. XI

[57] Hæc igitur, & id generis alia complura, cum per terrarum orbem evulgata eximio piorum gaudio prædicarentur; increbuerat fama, in ejus Pontificatu imaginem quamdam veterum Sanctorum Pontificum elucescere; ac magna piaque lætitia perfusi Principes viri per litteras invicem gratulabantur, [Concilium Tridentinum curat promulgari & observari,] utrumque Dei in nos singulari beneficio factum esse, ut sacri Tridentini Concilii præscripto intelligerent homines, quales esse deberent Christianæ religionis Antistites; & non multo post, eum qui a Concilio requiritur, Pontificem Maximum haberent. Enimvero providens animo Pius, nisi ejusdem decreta Concilii, tot tantisque & Summorum Pontificum & Principum & Antistitum, cum impensis, tum etiam



laboribus, ad convellendas hæreses corruptelasque tollendas, divinitus constituta diligenter servari curarentur, omnia pessum ac perditum ire; in illud incubuit accuratissime, ut ad universa tam in Romana curia, quam in toto orbe Christiano restituenda, Concilium ipsum ubique gentium & evulgaretur, & in mores induceretur: existimans hoc salutari remedio, hisce temporibus inprimis accommodato, Ecclesiæ statum, tot depravatis moribus collapsum, & erigi pie, & restitui facile posse.

[58] Factus igitur ipsius Concilii, ut acerrimus vindex, [Præsules vel ad suas Ecclesias redire se abdicare jubet:] ita propagator ac propugnator egregius; primum Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, ceterosque præterea sacrați ordinis omnes, præsertim qui curam gererent animarum, ad suam quemque diœcesim atque provinciam administrandam jussit proficisci. Quod ut serio citoque præstaretur, in dies magis urgebat; illisque mensem indixit, quo vel ad suas ecclesias sese conferrent omnes, vel se abdicarent beneficiis, quibus etiam privatos esse voluit, qui edicto non paruissent. [Epist. 1 & 2 lib. 1] Ad omnes porro Christiani orbis Antistites Apostolicas litteras dedit, pastoralis officii, ut vidimus, paternæ que caritatis plenas; quibus eos ad ipsius Concilii decreta pie suscipienda riteque exequenda, & ad pascendos verbo & exemplo Christi greges summopere cohortabatur: atque ut nomina omnium, qui doctrina & virtute in cujusque Episcopi ditone præstarent, conscripta sigilloque munita ad se transmitterent, admonebat; præmia, sacerdotia, aut alia publica munera cuique pro meritis delaturus. Inde multa ad universam rem Christianam publicam sanctissimis legibus ordinandum variis temporibus decrevit atque constituit. Quæ quidem hoc loco, non temporum, sed rerum quodam ordine utcumque servato, ne ad eadem sæpius recurrat oratio, fere omnia summatim referemus.

[59] Rem divinam horis vespertinis, præsertim in Paschatis Natalisque Domini pervigiliis, vel noctu, ac præter antiquam Ecclesiæ consuetudinem faciendi potestatem abrogavit. [Constit 5, 12] [Ritus sacros, ordinat] Græcis ne Latino, Latinis vero ne Græco ritu sacra conficerent, interdixit. Missalem librum, Breviarium, stas & arbitrarias preces, ac Beatæ Mariæ Virginis officium ordinavit, atque restituit: hoc recitantibus Apostolicæ indulgentiæ præmio concesso. [Constit. 64, 106, 122.] Sacrum Catechismum ad Parochos, quo præcipua Catholicæ doctrinæ dogmata luculenter explicata continentur, per viros Christiana eloquentia, & eruditione insignes, Latine confici primum, & ubique gentium evulgari, [Catechismum ad Parochos, evulgat] mox in Italicum, Gallicum, Germanicum, ac Polonicum sermonem converti curavit. Ut autem Deo rebusque divinis, & sacris locis debitus cultus deferretur; & ubi lapsus esset, restitueretur; Gregorii IX. Romani Pontificis decessoris sui, [curat decorem domus Dei,] Conciliique Tridentini decretis inhærens, constituit, ut ad ecclesias humilis ac pius esset accessus, quieta ac devota statio, religiosa & intenta supplicatio. Absint tumultus & clamores; facessant vana, fœda & profana colloquia, risus immoderati & strepitus omnes judiciorum, inambulationes, & alia, quæ divina perturbare possunt officia; nec pauperes in templis stipem emendicare ullo modo permittantur, sed pro foribus ecclesiarum stare non prohibeantur. Hæc vero omnia sacrorum administri diligenter procurent, secus propositas pœnas luituri. Sepulcra vero supra solum eminentia, vel altius posita tolli jussit, [& festorum observantiam,] ossaque vel cineres in illis conditos effossa terra in loco sacro sepeliri. Festis diebus ne mercatura fiat, nec aliis profanis ac servilibus operibus vacetur; sed omnes, qua par est pietate, sacras ædes frequentent; rebus divinis, aliisque caritatis ac religionis officiis intenti.

[60] Simoniacam pravitatem, nefaria in Deum Sanctosque maledicta, præposteram libidinem, concubinatum severioribus legibus ac pœnis eodem decreto coërcuit. [Epist. 13 l. 2] Sacras indulgentias, licet perpetuas, cuivis loco concessas, [Indulgentias pecuniarias abrogat.] quas consecuturos certa conferre symbola oporteret, quæque stipem emendicandi potestatem facerent, irritas esse decrevit. Quæ quidem quæritandi ratio ob ea, quæ ab hominibus ad id delectis proficiscebantur incommoda, magnam apud omnes in invidiam erat adducta, utpote plena dolis atque fallaciis: quandoque enim ejusmodi quæsturæ circumforaneis, atque aliis sordidis hominibus venditabantur, qui non gloriam Dei, non animorum salutem, sed turpe lucrum affectabant. [Constit. 30, 99] Sacrosanctæ Inquisitionis munus, [Inquisitionis munus amplificat,] quod illi maxime pro ardenti suo Catholicæ fidei studio semper cordi fuit, amplissimis decretis communivit; & anathematis execrationem, & alias gravissimas pœnas constituit in eos, qui salutaris illius officii ministros vel impedirent, vel offenderent, vel bona diriperent, aut carceres effringerent, aut ejus denique jura quoquomodo violarent. [Constit. 83, 84] Sacræ vero Pœnitentiariæ ministris concessas facultates & indulgentiæ munera, aliis melioribus subinde constitutis, omnino sustulit, atque hunc Magistratum sanctius correxit, ac moderatus est. Omnes porro Christiani orbis in partes cohortationes ejus & decreta perlata sunt, ad instituendas societates & scholas, [commendat scholas pias] quæ sacra catechesi pueros, & rerum divinarum ignaros erudirent; iis tum ediscentibus, tum etiam edocentibus divino indulgentiæ collato beneficio. [Constit. 130] Sanctissimi nominis Dei seu juramentorum sodalitatem, quæ ab Ordine Fratrum Prædicatorum originem ducit & incrementum, tantum in locis ipsius Ordinis, vel ejusdem Superiorum concessu in aliis etiam ecclesiis, deinceps institui posse sancivit.

[61] Pium ac salutarem precationis ritum, quod S. Virginis Mariæ Rosarium appellant, [rosarium B. Mariæ,] a S. Dominico institutum, & ab Ecclesia Catholica receptum, maximoque cum animarum fructu jam ubique gentium apud Christianos usitatum, gravi decreto renovavit, & amplissimis sacræ indulgentiæ donis illo pie utentes, vel publicam processionem, quæ ab ejus sodalitiis Fratibus singulis mensibus fieri consuevit, devote comitantes exornavit: atque hujusce sacri instituti societatem, cum Apostolicis suis decretis & muneribus, ubique locorum communicandi & erigendi, uni summo Dominicani ordinis Antistiti pro tempore existenti aliisve ab eo delegatis potestatem fecit. [Constit. 86] Edixit porro ne in popularibus concionibus aliisve publicis in conventibus, [præscribit quomodo de ejus Conceptione loquendum,] ubi promiscua virorum ac mulierum multitudo convenire solet, de B. Virginis Mariæ Conceptione disputare, alterutram partem damnando propriamque asserendo sententiam; vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare deinceps quispiam auderet, sub gravibus pœnis statim post factum subeundis; ac Sixti IV Tridentinæque Synodi super hac re decreta confirmavit. [Const. 114] Ceterum quamdiu per Apostolicam Sedem res definita non fuerit, fas esse viris doctis in publicis academiæ disputationibus, de illa quæstione in utramque partem disserere, dum tamen neutra ut falsa reprobetur, nec ulla offendiculi subsit occasio. Et cum Pius esset S. Thomæ Aquinatis doctrinæ studiosissimus, in eumque afficeretur pietate singulari, [Cultum S. Thomæ Aquinatis promovet:] ut ejus festus dies in Regno Neapolitano celebraretur, reliquis vero Christiani orbis in regionibus tamquam unius ex quatuor Ecclesiæ Doctoribus recoleretur, gravissimo decreto constituit; ac septenos & amplius annos indulgentiæ singulis, ejus sacellum Neapoli ad S. Dominici causa religionis invisentibus, tribuit (quo loco videlicet ejus sancti viri doctrina, ex ore Christi de cruce

admirabiliter eum alloquentis, divinitus comprobata fuit) aliis vero locis centenos dies tantum concessit. [Constit. 36]

[62] Decrevit, qua ratione parochiarum ecclesiæ suis quæque ministris attribuerentur; earumque Rectores ad residendum, [Ordinat residentiam Parochorum:] si opus esset, per Ordinarios Parochorum: compellerentur. [Constit. 65] Quo in negotio præclara multa restituit & emendavit; fecitque ut multis in locis, ac potissimum in Sardinia, earum plurimæ fundarentur, in quibus perpetuas instituit vicarias. Et quoniam nonnulli Episcopi Tridentinum decretum, de assignatione portionum vicariis perpetuis facienda, minus exequabantur; ejusmodi portionum quantitatem sacrorum Antistitum arbitrio sic æstimandam esse statuit, ut nec major centum, nec minor quinquaginta nummum aureorum summa sit, [portiones Vicariorum,] computatis omnibus etiam incertis emolumentis, exceptis quibusdam conditionibus, de quibus in generali ac perpetua ejus hac de re constitutione latius exprimitur. [Constit. 47, 139] Statuit præterea de beneficiorum resignationibus, quæ nempe in manibus Antistitum jure fieri, [resignationem beneficiorum,] quæque non fieri queant. Præsertim vero cavet, ne illa ad resignantium cognatos, hereditario quasi quodam jure, pervenirent. [Constit. 32, 58] Atqui plerisque per hanc occasionem, & ob alias restitutas res, Romanam curiam eversum iri conquerentibus; Præstat, inquit Pius, Curiam vel potius hominum corruptelas, quam religionis atque adeo Ecclesiæ Catholicæ statum evertere. Plurima decrevit, & de cavenda ecclesiasticarum rerum alienatione, & de simul jungendis beneficiis, [aliaque circa res & beneficia ecclesiastica,] & item de Clericorum spoliis rite distribuendis. Sanctoribus præterea legibus sacerdotiorum, quas vocant, confidentias adstrinxit: quas etiam qui male exercerent, gravi eos anathemate notavit; eosdemque bonis omnibus

**ecclesiasticis, ac publicis muneribus abdicatos, ad eadem dehinc in habiles declaravit. Decreto sanxit, ut beneficiorum fructus, lite pendente, apud personam a Judice deligendam deponerentur, quibuscumque statutis nihil obstantibus. Quæ vocant indulta Cardinalium super ecclesiasticorum beneficiorum collatione, unde multiplicia Reipublicæ Christianæ manabant incommoda, partim sustulit, partim etiam temperavit: consuetudinemque aliquid recipiendi in beneficiorum collatione prorsus abrogavit. Ad ipsa vero beneficia, quæ per litteras Pontificias minus integre fuissent expedita, regrediendi jura rescidit.**

**[63] Edixit, ut Clerici, quos propter Christum spectaculum fieri oportet mundo, Angelis & hominibus, maxime debeant ab his spectaculis, [honestatem Clericorum,] quæ Christum non sapiunt, abstinere. [Epist. 42 lib. 3] Ne talis, tesseris, pagellis pictis, & omnino alea, aut ullo præterea vetito & indigno ludi genere ludant, neve ludorum ejusmodi spectatores adsint. Ne comessionibus, choreis, comædiis, aut minus honestis conviviis intersint; cauponasque aut tabernas, nisi longioris itineris causa, ne ingrediantur. Ne cuiquam propinent, vel provocati ad bibendum respondeant: sed sobrie, modeste & caste ex doctrina Apostolica vivant. Ne feminas, etsi nobiles, assectentur; neque officii causa stent circa mensam, illis accumbentibus. In famulatu vero, etiam Ecclesiasticorum hominum, vilia officia aut opera, quæ Clericali dignitati non conveniunt, minime faciant. Qui vero in his deliquerint eos graviter, pro personæ conditione & modo culpæ, plectendos esse statuit. Beneficiarios autem, qui citra legitimum impedimentum, statas preces, quas vocant Horas Canonicas, non recitent ad omissions ratam, quam ipse præscripsit, beneficiorum fructibus privari; qui vero pensionem aut res alias ecclesiasticas ut Clericus perciperet, eum ad B. Mariæ Virginis psalmodiam recitandam sub iisdem pœnis**

obnoxium esse statuit. Item ne Laicis aut clericis uxorem habentibus, aut bigamis sacræ pensiones solverentur. Condendi testamenta, [condenda ab iis testamenta.] ecclesiasticasque res atque adeo vectigalia & emphyteutica bona in spurios (quamvis natalibus restitutos) vel legitime natos, vel extraneos distribuendi facultatem sacris viris abrogavit. [Constit. 117] Cumque ex his quidam filio suo paterna bona ex testamento reliquisset, Pius, decreto in id potissimum interposito, testamentum ipsum & alia ejusmodi nulla esse declaravit. Eo usque videlicet hoc genus intemperantiæ ecclesiasticis in hominibus execrabatur ipse, ob ea quæ in populos inde mala recidebant exempla: & item, quoniam ea ratione & ecclesiis, & egenis, & vero etiam legitimis heredibus hujusmodi bona præripiabantur. Concilii Trid. decretum de Clericorum saecularium ad sacros Ordines promotione, ad Clericos etiam regulares non professos pertinere constituit.

## CAPUT VII.

### Edicta de Regularibus, Ecclesiæ juribus & aliis rebus.

Omnes mendicantium cœnobitarum Ordines ab omni genere vectigalium, exactionum, ac militum hospitio liberos & immunes, [Sancit mendicantibus propria,] veteribus privilegiis confirmatis, esse statuit, eosque multis decretis exornavit: ac ne ipsorum fratrum vel monacharum illis subjectarum administrationi, nisi quatenus Tridentina Synodus præscripsit, sese immiscerent Episcopi; sed omnia Præfectis eorum curanda relinquerent, interdixit. [Constit. II.] De sacra vero familia, quam Franciscani instituti Observantium vocant, ad pristinam disciplinam revocanda, præclara multa decrevit, atque restituit; cum illaque Fratres, quos Amadæos & Clarenos appellabant, penitus consociavit: ejusque familiæ Præfectis Tertium S. Francisci Ordinem,

quem de Pœnitentia nominant, omnino subjecit, hujusque labentem disciplinam ordinavit: quos vero Conventuales nuncupant in Hispania suppressit, eosque ad ejusdem ordinis Observantes aggregavit. [Constit. 41] Declaravit, ut Dominicanæ familiæ Fratres, ceteros mendicantes cœnobitas omnes, etiam eos, qui ordinis sunt sanctæ Trinitatis, ubique locorum anteirent. Ordinis fratrum Servorum Beatæ Mariæ disciplinam restituit, sanctissimisque legibus ordinavit. Decreta cuncta, per quæ religiosos cujusvis sodalitatis homines in aliam societatem præter juris communis ordinem recipi licebat, penitus delevit. [Apostatis,] Regularium apostatas omnes severiore anathemate percussit: ne tamen ex desperatione miseri durius aliquid de se statuerent, abhortatus est Generales Antistites, ut singuli suorum ordinum desertores, si qui essent, reciperent, illosque benignitate paterna conservarent foverentque.

[65] Religiosas Militias emendavit, cavens ne in illas adscripti, [militaribus,] sive Clerici sive Sacerdotes, ullum ecclesiasticum beneficium, præter illa quæ propria essent Ordinis sui, possent obtinere, neque Militiis ipsis vel earum Hospitiis beneficia liceret applicari. Ne consequendi ecclesiastici beneficii male usitatam, quam vocant, Expectativam dare sacrarum Militiarum vel Sodalitatum vel Hospitiorum Magistri possent. Nonnullis piorum societatibus, quæ sub voluntaria religiosaque degebant obedientia, a secularibusque Presbyteris habitu distinguebantur, ut tria solennia religionis vota profiterentur, edixit. Superiorum Pontificum decretis inhærens constituit, ut monasteria aliaque sacra loca, quibus ecclesiastica beneficia deinceps non vacantia essent adjuncta, & quorum fructus in ærarii Pontificii libris æstimati reperiuntur, ipsi ærario quindennem pensionem ad ratam fructuum quintodecimo quoque anno persolverent. Sacris in cœnobiis aut aliis Deo dicatis locis aut in eorum ædibus milites hospicio excipi aut diversari



lege prohibuit. [sanctimonialibus,] Sacratarum Virginum & septa bene concludi, & vitam moresque ordinari sancivit: cavitque sub anathematis pœna, statim post factum subeunda, ne deinceps umquam monasterii septa egrederentur, nisi ex causa vel magni incendii, vel morborum, lepræ vel epidimiæ quæ tamen morborum causa a Superioribus suis cognita prius & scripto approbata fuisset. [Constit. 8] Mulieribus autem cujusvis status, gradus & ordinis, Regularium virorum cœnobia ingrediendi facultatem omnem abrogavit: excommunicationis latæ sententiæ pœna proposita iis, quæ secus facere deinceps auderent.

#### CAP. XIV

[66] Et quoniam omnis fere Pii cogitatio studiumque eo erat intentum, ut sacrosanctæ Ecclesiæ amplitudinem, dignitatem ac jura tueretur; edito gravissimo decreto statuit, ne ulla civitas vel locus Ecclesiæ vectigalis umquam alicui in jus ditionemve concederet, [Vetat loca Ecclesiæ alienari,] aut per alicujus vitæ spatium, sive ad tertiam sobolem, sive alia ratione rem alienante, gubernandus traderetur. [Constit, 53.] Jurejurandoque adegit Cardinales omnes, & alios eamdem dignitatem subinde accipientes, ne umquam hujusmodi decreto derogandum putarent: neque id ipsum conantibus futuris Pontificibus assentirentur, nec ejus sacramenti religione solvi se vel postularent umquam vel paterentur. Quod si ullo tempore, sive clam sive palam, de iis rebus sic alienandis quidquam persuadere contendissent; e vestigio & anathematis execrationem aliasque præterea pœnas subirent, & perduelles infamesque inde censerentur; & quicumque ex illis in Pontificem lectus umquam fuisset, is legis ejusdem se acerrimum vindicem ac patronum præstiturum, iterum in eamdem legem juraret. Hoc autem decretum, quam Ecclesiæ salutare atque utile deinceps extiterit, illud præter cetera

superioribus annis declaravit; cum eo quasi clypeo muniti Cardinales, [& sic Ferraria Ecclesiæ manet restituta.] Alfonso postremo Ferrariæ Duci, sub Gregorio XIV Ferrariensem provinciam, certum & antiquum Sedis Apostolicæ patrimonium, olim illis Ducibus in ditionem traditum, ad incapaces successores transferre conanti, Pontificiaque auctoritate id firmari efflagitanti, sapienter ac fortiter obstitere: ex quo paucis post annis proinde factum vidimus, ut eodem Duce vita functo, singulari Clementis Octavi Pontificis Maximi constantia, virtute atque laboribus, Ferraria ipsa omnisque illa amplissima ditio ad Romanæ Sedis jura liberamque summi Pontificis potestatem & administrationem, incredibili bonorum omnium gratulatione, immortalique ipsius Clementis gloria, tandem redierit.

[67] Ceterum Pius ut Urbem & Ecclesiasticam ditionem a latronibus liberam ac tutam redderet & conservaret, edictum promulgavit, [Edicto purgat ditiones suas a latronibus.] quotannis publice prælegendum, contra homicidas, prædones, exules, & alios maleficos homines, eosque vel receptantes vel protegentes vel eorum etiam consortes: decrevitque ut id hominum genus, ac regno Neapolitano extorres, nullo modo possent in Ecclesiastica ditioe consistere; inito pacto cum Rege Catholico & cum Etruriæ Duce, ut ii cujusvis essent juris, sive in Pontificio, sive in Neapolitano Regno, seu in Etruria caperentur, sibi invicem in vinculis puniendi traderentur: exulum vero patrocina in judicio suscipi vetuit, nisi prius se in carcere constituerent. Sicariorum atque ejusmodi pestilentium hominum perfugia in Urbe sustulit: [sicariis,] cavitque ne tormenta ignea breviora binis, aliave arma tribus minora palmis, sub perduellionis pœna gestarentur: in eos etiam gravi intento anathemate, qui ejusmodi armorum licentiam dare deinceps ausi fuissent. Ne viatores vim aliquam aut injuriam paterentur, acres pœnas decrevit in eos vel principes viros vel populos, qui fines suos a

latronibus non custodirent: ac si quis in via spoliatus exinde fuisset, locorum, in quibus latrocinium esset commissum, vel Domini vel incolæ, damna præstare cogebantur. Quod contigit in Piceno, ubi cujusdam castelli homines, cum ad sarcienda patrati apud se latrocinii detrimenta compellerentur, Pontificique ut decreti severitatem remitteret, submissee supplicassent; non modo nihil impetrarunt, sed illud etiam responsum retulere, nisi majore diligentia ac studio fines suos tuerentur, fore, ut majore quoque pecunia jacturas hominum in posterum compensarent. Finitimos præterea Principes graviter adhortatus est, [& piratis:] ut triremes per mare dispositas haberent; quarum præsiidiis littora oræque Italiæ a prædonibus & piratis defenderentur: ad Trajanumque Portum atque aliis maritimis locis turres extruxit & speculas, quibus omnis facultas piratis adimeretur ea vexandi loca, iisque nostri contra Turcas tutis perfugiis uterentur. Per hunc modum terra marique, Christianæ Reip. tranquillitati bene consultum.

[68] Grave pariter & amplum decretum edidit de nautis & naufragis, [opitulatur naufragis,] eorumque rebus non occupandis aut impediendis; sed ab his qui possent benigne juvandis, & qua par esset Christiana caritate conservandis: quod ut libentius præstaretur, singulis Christi fidelibus, in hoc pietatis genere studium suum & operam ponentibus, denos annos indulgentiæ ac totidem quadragenas de injunctis eis pœnis Apostolica auctoritate relaxavit. [Constit. 7] Christianos vero, [& Christianis mancipiis] qui apud Turcas servi reperti essent, una cum bonis suis omnibus deinceps humaniter accipi, ac liberos dimitti jussit, a piorum communione segregans eos omnes, qui huic legi minime pererent. Qui autem ex servis facti Christiani, ad Urbis Conservatores pro tempore existentes libertatis causa confugerent, eos per eundem magistratum libertate donari, civesque Romanos effici posse statuit. Corcyrense xenodochium, in

quo universæ Christianæ classis contra Turcas bellantis ægroti ac vulnerati curarentur, ut ampliaretur piorumque subsidiis auctum sustentaretur, lege sancivit. In medicos, qui lapso triduo ægros peccata sua ritu Catholico non confessos curassent, confirmatis aliorum Pontificum decretis, multas pœnas constituit; langeuntium propinquos ac familiares, ut etiam Parochis eorum enuntiarent morbum, adhortans. [Constit. 3] De nuptiis rite celebrandis, [multa ad politiam utilia sancit,] de consanguinitatis vel affinitatis gradibus fideliter exprimendis, cum quispiam se legibus exsolvi postulat; de impedimentis publicæ honestatis, & cognationis spiritualis, & affinitatis ex fornicatione contractæ, multa decrevit. Scita ac leges populi Romani super dotium moderatione comprobavit: ne videlicet summa dotis, una cum ipso mundo muliebri, major esset quatuor millibus quingentisque nummis aureis: quæ lex, alioqui civitatibus salutaris, jam exolevit.

[69] Doctoris ornamenta conferendi potestatem Palatinis in Urbe Comitibus, aliisque nonnullis Romanæ curiæ Collegis abrogavit; ne amplius, ut plerumque fiebat, ad ejusmodi gradus imperiti homines, & indigni proveherentur: qui postea ad publica, sacraque ministeria, atque adeo ad Episcopalem dignitatem, non sine gravi Reipublicæ damno, assumebantur. Sanxit, ut togati laici, qui Clericorum in morem vestiebantur, capitis tegumentum in occipite replicatum induerent; ut vel inde a clericis discernerentur; sicuti jam olim fieri consueverat. Declaravit, quæ jure, quæque injuria pecuniæ permutatio fieret: ac contrahendorum censuum certis adhibitis conditionibus formam præscripsit. [Constit. 79] [spectacula cruenta, prohibet,] Cruenta turpiaque daemonum, ut appellabat ipse, non hominum spectacula, in quibus taurorum ac ferarum congressiones seu agitationes, plerique multis in locis, ad virium suarum & audaciæ ostentationem, publice & privatim exercere

consueverant, unde hominum cædes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriebantur, gravi decreto prohibuit: qui secus facerent, protinus anathematis pœnam incurrisse censerentur. [Constit. 48] Liberales & item operosas artes fovit egregie: ac multa aureorum millia in lanificium, quod ipse in Urbem induci curavit, impendit. Agriculturam itidem magnis, uti dicemus, affecit beneficiis.

[70] Plurima de carcerum Visitoribus & Judicibus eorumque collegiis ordinavit. [Constit. 16] [& officiorum nundinationem.] Tribunalia ac Romanæ civitatis magistratus omnes, ab imo ad summum usque, correxit melioribusque legibus temperavit. Qui autem dignitates & officia, quibus jurisdictionis administratio esset adjuncta, vel pecunia vel aliis malis artibus ambirent seu etiam assequerentur (quod jure civili cautum est) in eos propositas gravissimas pœnas innovavit & auxit; quibus pœnis obnoxios fore quoque declaravit, qui ob id pretium vel promissionem acciperent vel operam suam huic rei utcumque præstarent: usque adeo videlicet rectam juris administrorum electionem, justitiæque ministerium, quam integerrimum esse cupiebat. Fraudes, luxum, [ejusdem decreta in decoctores.] & æris alieni dispendia coërcuit: cum enim illi esset allatum, nummularium quemdam pro sua intemperantia decoxisse, eum alioqui nobilem, fustuarii pœnas luere mandavit, subinde constituens, eos, uti latronibus deteriores, non solum profanos, sed etiam sacratos homines, exceptis Episcopis, capitali supplicio plectendos esse, qui non fortuitis eventis, sed sua lipsorum vel incuria, vel luxu, vel aliis explendis voluptatibus, creditores suos cessione bonorum elusissent; quique re sua familiari aut dilapidata aut abscondita, aes alienum dissolvere noluissent. [Constit. 112] De ordine servando, in satisfaciendo creditoribus Præsulum in Romana curia decedentium, leges æquitatis

plenas dedit: ceterorum in creditorum concursu, miserabiles personas præferendas esse statuit.

[71] Hebræos Urbanos, in regionem ad Marcelli theatrum illis attributam, concludi iussit, [& Iudæos.] noctu foribus obseratis; animadvertens in illos, qui foris eo tempore deprehensi fuissent, ac Pauli IV super ea re constitutionem innovavit: nec ita multo post eos omnes depulit e tota ditione Pontificia, præterquam ex Urbe Roma, ubi ad lucem veritatis facilius converti possent: & item ex Ancona maritima civitate, ne videlicet Orientis mercimonia prorsus impedirentur. [Constit. 6] Edicto præterea vetuit, ne Christianum quempiam ad opus conducerent (cum antea Christianis bajulis uterentur) vel eorum, quibuscum negotiarentur, domus limen intrarent. [Constit. 80] Sciebat enim, id quod perpetuo res ipsa docuit, Hebræorum consuetudinem & familiaritatem Christianis populis periculosam, pravaramque opinionum quasi seminarium semper extitisse, perinde ac fuit olim ipsis Hebræis cum Ethnicis consuetudo. Verumtamen cum alias sæpe, tum imprimis postquam ad summum Apostolatus officium evector est, ut ipsemet de se testabatur, numquam destitit, hortando, docendo, monendo; confisus fore ut eorum quamplurimos ad Christi fidem adduceret. Neque vero irriti omnino, Dei benignitate, labores ejus fuerunt: quando satis multi utriusque sexus, in iisque nonnulli ex primariis, ut infra suo loco demonstrabitur, ab ipso salutari aqua perfusi, Christianam religionem susceperunt. Ad extremum ita multa sunt, quæ vel tollendis de medio corruptelis, vel rebus sancte restituendis præclare decrevit atque constituit, ut ex iis justum volumen confici facile queat. Quæ quidem ego, ne lectori molestus sim, consulto prætereo: reliqua vero, quæ memoratu digniora visa fuerint, quoniam secum longiorem trahunt narrationem, infra suis quæque locis passim commemorabimus.

## LIBER II.

**Præstita pro fide Catholica in Germania, Gallia & Belgio. Suppetiæ datæ contra Turcas in Melita insula & Pannonia.**

### CAPUT I.

**Pro fidei Catholicæ in Germania restitutione & conservatione varia præscripta.**

[72] Interea Pius non earum modo rerum, quæ vel ad Romanæ civitatis totiusque Pontificiæ ditionis administrationem, vel ad omnes Ecclesiasticæ disciplinæ partes pie formandas & ordinandas pertinerent, curam gessit diligenter; sed eo sive tuendæ sive amplificandæ religionis flagrabat ardore, ut simul & universæ Christianæ reipublicæ moderationi, & gravissimis regnorum negotiis accuratam impenderet operam; nihilque vel in maximis ac potentissimis Principibus dissimulandum putaret, quod eidem religioni adversari videretur. Inter cetera vero, quæ ut primum est ad Pontificatum evector, sedulo curare consilia cæpit, illud imprimis fuit; quod labentem Catholicæ religionis cultum, & Apostolicæ Sedis auctoritatem, valde periclitantem in Germania, restituere ac tueri omni ope contendit. Cum enim Maximilianus Cæsar, ut Turcicum exercitum Pannoniæ imminentem coërcendi consilium caperet, Imperii comitia Augustam Vindelicorum indixisset; in his siveulantibus hæreticis, sive minus piis viris conniventibus, per speciem sedandi nonnullas de religione turbas resque civiles componendi, [Ad comitia Imperii Augustana,] præter cetera proposita erat ejusmodi quæstio definienda, qua ratione ac via Christiana religio ad meliorem ac rectiorem intelligentiam seu formam reduci posset. Quod sane consilium haud omnino sanum, cum sacris legibus repugnaret, prorsusque derogaret sacrosanctæ Romanæ

**Ecclesiæ auctoritati, [pro auctoritate Ecclesiæ stabilienda,] ad quam unam, utpote omnium Ecclesiarum magistram ac judicem, pertinet sacræ religionis dogmata proponere, declarare, & constituere; erat plane graviter pertimescendum, ne quidpiam inibi contra Catholicam veritatem decerneretur, gravisque Pontificiæ potestati inferretur injuria, cum præsertim id in sacri interregni tempus incidisset. Ceterum hoc ipso valde lætabantur hæretici, novarumque sectarum cupidi; quippe qui Cæsaris animum in sua ipsorum studia propensum videre viderentur, ob idque futura erant comitia frequentissima.**

**[73] Hoc igitur tam grave periculum ut averteret Pius, ad Joannem Franciscum Commendonum Cardinalem, virum summa virtute singularique prudentia præditum, atque optime de Christiana republica meritum, ex Polonia (ubi erat apud Sigismundum Regem a superiore Pontifice Legatus) ad Urbem redeuntem litteras ac diplomata misit; [& fide restituenda,] quibus ille commonefieret, ut ubivis gentium litteræ ipsæ redderentur, inibi subsisteret; intelligeretque se ad Cæsarea comitia, de conservanda Apostolicæ Sedis auctoritate, ac de Catholica fide in Germania tum restituenda tum etiam protegenda, Legatum Pontificium destinari. [Epist. 14. lib. 2] Legationis ergo suæ litteris Augustæ acceptis, Cardinalis vidit sibi mandari a Pontifice, ut antequam ea res in comitiis ageretur, coram Imperatore atque omnibus Principibus publico in consessu graviter denuntiaret, nisi eam cogitationem abjicerent, futurum ut Pontifex omnem auctoritatem in eos Principes, [Cardinalem Commendonum ablegat:] tam laici quam sacrati ordinis, reprimendos exerceret, ac multo magis in ipsum Cæsarem, quem & Imperio, & ditionibus, & omnium jure successionum, & quibuscumque præterea rebus potiturum ille se confideret, esset facile, privaturus. Legatus autem variis & cum ipso Cæsare & cum aliis Principibus habitis sermonibus, ad Pontificem scripsit, rem eo loco esse, ut**



absque illa publica denuntiatione ex sententia cuncta successura sperarentur. Sed enim Pontifex pro magno suo in ea re studio, ut absque alia recusatione idem ediceret, denuo Cardinali præcepit. Verum enimvero, mandatum hoc quam graves Principibus illis offensiones afferre posset, Legatus prospiciens (cum præsertim id non esset necessarium, re jam Pontificis nomine diligenter procurata, ut ejusmodi articulus nullo modo tangeretur, ut re ipsa contigit) conscientiaæ suæ magis, quam Pio præcipienti parere non dubitavit. Itaque per litteras Pius edoctus, [ejusque factis acquiescit:] quæ rationes ad mandatum non efficiendum Legatum impulissent, præter consuetudinem fere omnium Principum, consiliorum suorum constantiam tueri potius quam ministri integritatem probare nitentium, summa significatione lenitatis manu sua rescripsit, quidquid ab eo gestum esset æquo animo sibi tolerandum videri: quin etiam illi se gratias agere, quod jussis suis non obtemperasset. In quo apertissime declaravit, se præter unam Reipublice, salutem, nihil omnino spectare, nihil intueri.

[74] Legato præterea mandavit, ut præter explicatam rationem Cæsari denuntiaret, [monet Cæsarem, ne causa religionis laicis committatur,] Pontificem committere nullo modo posse, uti causa religionis ullum vel leve detrimentum pateretur. Laicos homines audere de rebus fidei vel tractare vel definire, intolerabilem esse temeritatem. Neque in eo genere deesse Catholicorum exempla Imperatorum, qui hisce de rebus audire, ne dum decernere nolissent; sed omnia, ut par erat, sacrosanctæ Sedis Apostolicæ judicio ac moderationi dijudicanda reliquissent: Gloriosissimique Principis & numquam satis laudati Constantini exemplum posse cunctis abunde sufficere. Quod deinde in Concilio Chalcedonensi Martianus Cæsar secutus, præter cetera in ea Synodo restatus esset, se ad protegendam fidem, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi

**Principis Constantini, Synodo interesse voluisse; ne populi dehinc pravis opinionibus separarentur. Basilium pariter Augustum sub finem octavæ Synodi aperte professum fuisse, profanis viris vel in quovis dignitatis gradu collocatis, atque adeo ipsis Imperatoribus, nefas omnino esse vel miscere in ecclesiasticis causis, aut Ecclesiæ Romanæ sive auctoritati sive sanctionibus obsistere; ac si Angelus de cælo delapsus aliter docere velit, atque ipsa docet Ecclesia, ut ait S. Paulus, anathema censendum. Quapropter Cæsarem rogabat Pius, uti privatis rebus omnibus posthabitis, simpliciter & aperte Catholicos adjuveret: præsertim eo tempore, quo magna inter sectas hæreticorum discordia præbendi ejus auxilii opportunam daret occasionem: ut vel hac ratione quot quantisque in erroribus illi versarentur, facilius intelligerent, atque ad pristinam fidem avitamque religionis obedientiam promptius redirent: nimirum absoluto jam ac sancito sacrosancto Concilio Tridentino. [Gal. 1.]**

**[75] [urget ut Concilium Tridentinum promulgetur,] Cujus quidem Concilii promulgationi observationique pro virili sua ut favendum Cæsar arbitraretur, Pius hortabatur. Quod si in Imperio toto id obtineri non posset, interim ad rem feliciter aggrediretur: ac vel in Salisburgensi, Constantiensi, Augustensi, Frisingensi, Bojodurensi sive Pataviensi, Brixinensi & Tridentina diœcesibus, & promulgandum & servandum curaret: quæ res esset & omni Italiæ singulari contra hæreticorum vel fraudes vel minas præsidio ac munitioni, & ceteris præterea civitatibus & diœcesibus exemplo futura salutari. [Epist. 4, 9, 10, & 13 l. 1] Ad hæc ageret & cum ipso Cæsare, & cum sacratis Imperii Septemviris, & cum Archiepiscopis, ut, quoniam Otho Cardinalis idemque Episcopus Augustanus, ne diœcesanam Synodum suam Tridentini Concilii in mores inducendi causa celebraret, a multis fuerat impeditus, Moguntinus ejus Metropolitanus, ceterique omnes suam quisque Synodum concelebrare statim**

aggrederentur, ne Suffraganei ea in re diutius retardarentur. [Epist. 39 lib. 4]

[76] Præterea vero cum intelligeret Pius, Coloniensem Archiepiscopum designatum, ne sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem stata formula profiteretur, indies subterfugere (quod tamen omnes ab eodem edito Concilio, non modo in Italia, verum etiam in Gallia, Hispania, Polonia, Pannonia, & item in Germania designati sacrorum Antistites facere cœpissent) cumque alios ex Septemviris duos Coloniensis Archiepiscopi excusationi causæque favere idem rescivisset, Legato jussit, Cæsari ac Cæsarianis Consiliariis, Ecclesiasticis Septemviris, atque aliis insuper quibus opus esset, omnino persuadere niteretur, quo tam pia salutariaque decreta omnes usu retinenda curarent: alioquin ab se Coloniensem Sede privatum iri. [Epist 27 lib. 1, Epist. 41 lib. 4] Id quoque periculi Cæsar averteret imminentis, ne electo Archiepiscopo Magdeburgensi ex humanis erepto, [& Catholici Episcopi substituantur,] Sedes illa ab Saxoniae Septemviro teneretur, qui tres alias Ecclesias jam occupaverat. Quod si Argentinensis senior Episcopus mortem obiisset, quando omnes illi Canonici, tribus exceptis, Lutherana peste laborabant; caveret Cæsar, ne hæreticus Episcopus sublegaretur: secus enim fore ut Ecclesia illa diœcesisque omnis in suam perniciem prorsus lapsa concideret. Quamobrem curandum videri, ut Catholici adjutores illis darentur, vel certe alio genere præsidii res ibi Christiana communiretur.

[77] Omnibus porro Catholicis Germaniæ Principibus denuntiaret, cupere Pontificem, sibi ab eis pro sua quoque prudentia salutaris consilii aliquid dari de iis rebus, quas ipsi optimas vel dictu vel factu arbitrarentur, ad Catholicam fidem in illis regionibus aut tuendam aut amplificandam, & ad convellendas hæreses inducendumque usum Tridentini Concilii, & ad

necessarium vacantibus sacerdotiis modum adhibendum, denique ad retinendam suam ipsorum auctoritatem ditionemque, sive Ecclesiasticam sive civilem pie conservandam: amari vero ab se omnes caritate singulari, atque pro ipsis protegendis intentatum se nihil relicturum. [ut hi consecrentur & visitent diœceses,] Denique illis sacrorum Principibus hæc mandaret singillatim, ut qui solenni cerimonia consecrati non essent, ii primo quoque tempore consecrarentur, divinaque mysteria peragerent, & ad populum cuncti sacras conciones haberent interdum: ut vel semel in anno totam, [monachos & clericos corrigant, ] aut certe potioem diœcesis quisque suæ partem, obirent ipsi: sacra cœnobia curarent instaurari: desertores omnes ac deploratos monachos expellerent ac profligarent. [Epist 20 l. 2] Quod si cœnobitæ ibi defuissent, se satis multos optimis moribus ornatos; ex Italia Belgarumque regione delectos, eo dimissurum. Archidiaconos & alios quoslibet Ecclesiastica dignitate præditos, ad modum cuiusque gradui consentaneum vitam instituere compellerent, neque ea in re cuiquam indulgerent. Caverent etiam diligenter, ne in diœceses suas hæreticorum libri comportarentur: etenim huic pesti non occurrere, nihil esse aliud, quam animarum in perniciem consentire, hæreticisque aperte favere. [libros Catholicos excudi curent:] Proinde omnes efficerent, ut quamplurimi Catholici libri excuderentur: nam hæreticos libris ab se editis majorem, quam alia ratione, Ecclesiæ cladem intulisse: itaque illos facile convictum iri, si optimorum auctorum libri exquirerentur; quibus modico pretio divenditis, commodius possent hæreticorum fraudes & errores aperiri.

[78] [hæreticos denuntient caveantque,] Legatus caute & prudenter ageret, ut a quovis hominum genere quæreret, an quispiam vel Italus, vel Belga, vel Hispanus hæreticorum in Germania consuetudine, ad Catholicos populos ac provincias labefactandas, uteretur: atque in

ea re nullis aut impensis aut vigiliis, ut de rebus omnibus Pontifex certior fieret, parcendum putaret. Principes etiam viros & Antistites omnes commoneret, ne unquam hæreticos in suis vel ædibus vel ditionibus tolerarent: curarentque sedulo, ut ad Pontificis aures perveniret, huic se monitioni prorsus obtemperasse. Quod si Catholici viri, probitate & eruditione præstantes, apud illos invenirentur; qui contra hæreticos concionari, vel alia ratione pro re Christiana insudare parati essent; ea de re scriberent ad Pium qui pro sua liberalitate virorum ejusmodi opera uti, [insignes Concionatores & Theologos foveant.] eosdemque justo præmio cumulate cohonestare studisset. Id porro diligenter operam darent omnes, ut suum quisque Theologum, cum doctrina tum integritate vitæ præcellentem, penes se alerent & haberent: neque erudiendorum in Seminariis adolescentum Clericorum, ad præscriptam rationem sacri Tridentini Concilii, curam negligerent. [Epist. 27, 30 lib. 3] Præterea vero, cum in Spirensi Vuormatiensique diœcesibus adversus Catholicos omnem impietatem Elector Palatinus exercuisset; ageret Legatus, ut neque Principes neque sacri Proceres Catholici, [Palatini conatibus obsistatur.] neque Cæsar ipse tam immane scelus dimitterent impunitum, sed acriter id vindicarent: nam hujusmodi flagitia dissimulare aut toleranter ferre, nihil aliud esse, quam hæreticos Principes ad ecclesiasticos vicinos suos perdendos incitare. In quo Pius operam suam omnem & opem prolixè pollicebatur; ut vel inde intelligent homines, eum in re tanti ponderis officio suo numquam defuisse. Denique Baviariæ Ducem, [Ducem Baviariæ laudari jubet.] spectatæ Principem integritatis ac religionis, & confirmaret in officio, & ad liberos suos iisdem virtutibus instituendos, segregandosque omnino ab hæreticorum consuetudine, atque omne studium conferendum ne quispiam ejusmodi peste affectus ejus in aula delitesceret, pie cohortaretur. Quæ quidem fere omnia atque alia multa generis ejusdem, jubente Pio, Legatus,

quoad ejus fieri potuit, egregie præstari curavit. Itaque piorum conatum sanctorumque consiliorum haud contemnendus extitit fructus. Sed hæc dum ita curantur, Melitensium periculis occurrendum fuit.

## CAPUT II.

Suppetiæ contra Turcas datæ: succursum insulæ  
Melitæ & Pannoniæ.

### CAP. II

[79] Inter alias enim multas easque gravissimas, in quas Pii pontificatus incurrit, rerum difficultates, acris in primis plenaque timoris atque periculi fuit obsidio Melitensis. Satis constat, Melitam Libyci maris insulam, non modo Siciliæ cui adjacet, [Melitensi insulæ ante a Solimano diu obsessæ succurrit,] LX millia passuum ab ea distans, sed etiam omnis fere Italiæ contra barbarorum impetus tutum propugnaculum, sacræ militiæ S. Joannis Hierosolymitani hospitio inclitum, ad Romanæ Ecclesiæ præsidium maxime pertinere. Id scilicet Solimanus Turcarum Imperator, Christiani nominis hostis acerrimus, non ignorans, atque in Italiam sibi aditum aperire cupiens; paulo ante hunc Pontificatum ingenti classe, ducentis ac sexaginta fere instructa navigiis, Melitam expugnare, ac per quatuor menses gravi obsidione divexare instituit. Et cum magna Melitensibus damna intulisset, jamque arcem, cui a Sancto Erasmo cognomen est, per vim in potestatem redegisset; propugnantium militum virtuti demum cedere coactus, gravi suo dedecore, parique detrimento & indignatione inde recesserat: e suis triginta millibus, e nostris vero ferme novem millibus in ea obsidione desideratis. Sed ne recuperatis viribus, majore impetu ac furore eo reverteretur, nemo non timebat: maximos enim ob id bellicos apparatus Constantinopoli fieri, nuntiabatur. Itaque Joannem Valletam, Hierosolymitani Ordinis Magistrum, ut quam designabat

novam urbem condere, omnique genere præsidii communire quamprimum aggredetur, [pecuniis pro nova urbe condenda, & militibus alendis:] graviter cohortari atque impellere Pius non desistebat: triaque millia militum, quos in eam daret expeditionem, stipendiis affecit: & quæ Pius IV desponderat, aliaque longe majora subsidia libenter se præbiturum ostendit. [Epist. 3 lib. 1] Ac protinus aureorum quindecim millibus donavit milites Melitenses: & alia præterea quina millia in menses singulos in eam fabricam per septimestre contulit.

[80] Sed quoniam & tantæ molis ædificium, & grave a potentissimo hoste imminens periculum, majora postulare videbantur auxilia, quæ ab aliis Principibus tributum iri spes erat exigua; auctore Valleta exierat rumor, Melitensium militum Magistrum, nisi Christiani Principes opem ei ferrent in tempore, cum Ordine suo, relicta Melita, se in Siciliam recepturum, Qua de re Pius ab ipso Valleta certior factus, simulque de variis quibus ille premebatur angustiis edoctus, ut mæretem hominem sublevaret & in officio contineret, non solum quanta posset maxima illi subsidia tribuere, sed vitam etiam ac sanguinem pro honore Dei Melitensiumque salute profundere se probe paratum esse respondit. [Iubilæum concedit suppetias ferentibus,] Itaque statim amplissima Apostolicæ indulgentiæ munera cunctis Christi fidelibus proposuit, eosque ut erratis expiatis divinam opem Melitensibus implorarent, ac pro suis quisque facultatibus eis succurrerent, patria caritate provocavit. Ex quo Pontificiæ indulgentiæ piorumque liberalitatis beneficio, per Italiam Galliamque præstito, haud modicus pecuniæ numerus collectus est. [Epist. 28, 29, 30 lib. 1] Quod ne in Hispania quoque fieret, regionum administratorum, inde cogendæ pecuniæ bonam partem in Guletanam munitionem conferendam esse prætendentium, fecit exceptio. At vero cum in Lusitania itidem atque Indiis, ut edixerat, Jubileum ipsum minime vulgatum fuisse Pius

intellexisset; id ære ferens, eo mox abrogato, per exhortatorium diploma sacrum Apostolicæ benedictionis munus tantum obtulit iis, qui ejusmodi subsidium benigne deinceps contulissent.

[81] Inter hæc autem Philippum Hispaniarum Regem, ac Neapolis Siciliæque Proreges, per litteras ac nuntios, ad promissas Melitensibus suppetias quam celerrime ferendas, ardentius extimulavit. Ad ipsumque Valletam litteras dedit, Apostolici fervoris, ut vidimus, paternæ pietatis ac prudentium plenas consiliorum: quibus eum ad novam exædificandam urbem primo quoque tempore insulamque tuendam impellens, illum a suscepto vel prætexto discedendi proposito revocavit. Ceterum his ad fabricæ perfectionem haud sufficientibus, [majores ipse confert:] majora a Pio subsidia, in eo uno secundum Deum spem omnem se repositam habere professus, in dies Valleta flagitabat. Itaque cum maximos Pius, præsertim contra hæreticos, per idem tempus sumptus faceret, neque aliunde suppeteret, ex quo largiora pro sua eximia pietate Melitæ conferre posset auxilia; Pontificii administri, officio suo male functi, rebus fisco addictis, ex his quatuor & quadraginta millia nummum aureorum, ac varias ejus præterea gemmas, quæ tredecim ferme aureorum millibus æstimabantur, ipsi fabricæ statim attribuit. Sacrisque militibus Melitensibus in eam rem, ut aureorum centum quinquaginta millia legitime contrahere quoquo modo possent, Ordinis sui fundis in Italia, Gallia, Hispaniaque oppigneratis, indulisit. Neapolitanis porro Clericis ob id tres decimas imposuit; unde mox triginta fere aureorum millia collecta sunt. Ac pro necessitate celerius ut absolveretur ædificium, ne festis diebus opus facere impedirentur, fabros & operas legibus exsolvit; edicens id aliquando fas esse, vel necessitatis vel pietatis vel publicæ utilitatis, quæ genus quoddam est pietatis, causa: quæ rationes omnes ad rem præsentem pertinerent. Itaque novæ urbi, anno salutis MDLXVI quinto



**Kal. Aprilis, Deo in primis, Pio V, atque aliis bene juvantibus, exædificari cœptæ, ferventique opere deinceps extructæ ac communitæ, Valletæ a gentili conditoris Magni Magistri cognomine, more majorum nomen est inditum. Quamobrem Turcæ, Melitam optime instructam atque munitam esse audientes, eo redire noluerunt: sed ad explendum furorem suum, & quam inani Melitensi incepto ignominiam subierant vindicandam, confestim insulam Chium, illustris ac piæ Justinianæ gentis ditionem, occupare aggressi, eam sibi magno Christianorum damno subjecerunt. Justinianos vero ipsos male acceptos, ad urbem Tehodosiam, quæ nunc Caffa dicitur, captivos abduxerunt: quos deinde Pius, Caroli Noni Gallorum Regis ope, vinculis eximi liberarique curavit.**

**[82] Sub idem tempus centum & amplius Equites Galli primariae nobilitatis, quos ingens suæ gentis hominum numerus comitabatur, [Gallis a Melita defensa redeuntibus offert 10000 aureos:] ex insula Melita a Turcarum obsidione liberanda profecti in patriam revertentes, Pii sacros pedes osculandi causa Romam diverterunt. Quos ipse singulari pietate a limine aulae S. Marci, ubi tum residebat, genibus prorepentes, ad sacri pedis oscula benigne excepit, singulisque benedixit. Mox Gulielmo Sangalietto intimo Quaestori, ut ex ærario Pontificio decem aureorum millia illis distribueret, imperavit: ratus, exteros homines, e salutari expeditione profectos, longoque itinere afflictos, pecuniarum egere subsidio. Horum Principes erant Comes Brisacius & Philippus Strotius: qui una cum aliis egregiam Pontificis liberalitatem admirati, ad eumque colendum impensius propensi, pecuniam, qua se non indigere profitebantur, pro sua modestia recusarunt. Sed immortales Pio gratias agentes, ac magno se illi beneficio devinctos agnoscentes, ad Anconam urbem præsidio communiendam, cui a Turcarum classe periculum**

imminebat, sponte profecti, inde, donec tuta res esset, discedere noluerunt. Per idem tempus cum Turcarum classis in Adriaticum sinum esset ingressa, teneretque timor animos, ne quid gravius inde Christiana, præsertim Veneta Respublica pateretur; Paulum Jordanum Ursinum, Braciani Principem, Pontificiarum triremium ducem Pius declaravit, eoque subsidio misit: ac protinus quatuor militum millia suis ducta stipendiis, in eam expeditionem dedit. Præter alia multa, [portus muniri curat.] quæ [ad Italiæ tutelam providit] tum a Philippi Catholici Regis classe procuravit auxilia, tum ditionis suæ maritima firmavit præsidia: quibus illos Christianorum portus & oras egregie communivit, ab hostilibusque armis vindicavit. Sed jam ad res in Germania gestas redeamus.

### CAP. III

[83] Nihil fortasse minus expectares a Pontifice, & re & nomine Pio, quam ut bellicis rebus vel administrandis vel procurandis animum adjiceret. Verum, ut a dominico grege sibi commisso truculentam undique frementium luporum rabiem vigilantissimus pastor arceret atque propelleret, necessario sibi faciendum putavit, ut pacis bonum, [Contra Turcas curat fœdus inter Germanos Principes,] cui perpetuo fuit intentus, bellicis præsiidiis tueretur. Enimvero cum Rempublicam Christianam duorum acerrimonum hostium, Turcarum videlicet & hæreticorum, viribus continenter oppugnari ac propemodum opprimi videret; immanem quidem illorum audaciam contundere, horum vero impietatis furorem extinguere ab ipso sui Pontificatus initio cogitavit. Itaque per epistolas, occultis notis conscriptas, Commendone Legato mandavit, ut cum Cæsare Germanisque Principibus diligenter ageret de sociali in communem hostem Turcam fœdere jungendo: quippe quem intelligeret maximos bellicos apparatus conficere, ut Christianos terra marique peteret, summo cum eorum

detrimento. Cumque de illius potentia constaret, Pius, uti summum omnium parentem decet, Principes ad tutandam rem Christianam sanctissimi fœderis vinculo colligare decreverat; ut non solum imminetia proxime, sed multo post etiam futura pericula declinaret: ac præterea se, quidquid posset, quam diligentissime præstiturum pollicebatur, tam in faciendo sumptu, quam in Regum omnium ac Principum auxilio procurando.

[84] Acta sunt a Legato cuncta diligenter. Atque in comitiis solum constitutum, ut contra Turcas a Germanis Principibus auxilia quædam suppeditarentur. [& multa millia aureorum mittit Cæsari] At vero Pius, Cæsaris rerum angustia perspecta, ad eam rem sexaginta millia nummum aureorum ei decrevit, pollicitus alia præterea quinquagena millia in annos singulos donec bellum conficeretur: ac paulo post eidem petenti, alia quoque triginta millia, ad oppidum Canisiam aliaque loca contra Turcam in Pannonia communienda, Venetiis numerari jussit: aliam porro grandem pecuniarum vim ad id passim elargitus, Ceterum Principes omnes assiduis urgebat cohortationibus, [eique Principum opem conciliat.] ut sacrosanctam belli societatem inirent: Cæsareamque Majestatem, contra barbarum Tyrannum pro Christiani nominis gloria dimicantem, juvare ne gravarentur. Hinc Emanuel Philibertus, Dux Allobrogum, quadringentos equites minoribus tormentis instructos eo misit, ipseque expeditioni quamplurimis aliis primariis stipatus militibus interfuit: sed equitibus Cæsari operam navantibus relictis, ad tuendas ditiones suas subinde necessario remeavit. Alfonsus quoque Arestinus, Ferrariæ Princeps, quadringentos viros clari nominis, trecentosque minoribus armatos tormentis, ac centum galeatos milites, totidemque ducens cataphractus, eodem est profectus. In iis nobilis quisque, tres aut quatuor voluntarios milites, egregie fortes, secum adduxerat: ut ii numero essent omnes ad duo millia amplius armatorum: quibus etiam

plurimi viri primarii ex omni Italia, Pio cohortante, profecti, auxiliares accessere. Cosmus Florentiæ Dux ære suo tria millia peditum eodem submitit: præter ducenta millia nummum aureorum, quos ille paulo ante Venetiis in hanc expeditionem Imperatori curaverat. Genuenses itidem atque Lucenses opem quique suam contulerunt: remque grandi pecunia juvit Gulielmus Gonzaga, Dux Mantuanorum.

[85] Inter hæc autem indicto amplissimo Jubilæo, ut hisce divinorum armorum opibus, præter pecuniaria subsidia, opitularetur Imperatori; pro more veterum Patrum, [indicit lubilæum cum triduana supplicatione] ad ea pietatis præsidia, quibus iræ cælestes a mortalibus avertuntur, confugiendum Pius existimavit. Itaque solennes ac publicas tridui supplicationes decrevit, quæ non Romæ solum, sed per totum ferme Christianum orbem haberentur: ad salutates pœnitentiæ fructus omnes excitavit, Apostolicam gratiam & indulgentiam amplissimam omnibus conferens, qui jejuniis, eleemosynis & orationibus piis intenti, ad Confessionisque & Eucharistiæ sacramenta accedentes; adversus Christianæ fidei hostes victoriam Cæsari a Deo precarentur. Inciderunt hæc in æstivos dies, quibus maximi in Urbe calores esse solent: supplicationes tamen illas ipsemet Pius coram honestavit. [cui ipse interfuit Romæ.] Nam a se diluculo facta re divina in æde S. Marci, inde primo die ad Lateranensem basilicam, altero ad S. Mariæ Majoris, tertio ad Aræ Cœli templum pedes processit. Omnino magna opinio erat, trecentis abhinc annis nullum extitisse Pontificem, qui majore frequentia, alacritate ac pietate sacrum ejusmodi supplicationum munus obiisset. Illud admirabile, quod cum tanta ad S. Joannis ædem prima supplicatione confluxisset hominum multitudo, ut major convenire minime posse videretur; frequentior tamen apparuerit in secunda: quodque demum in tertia, longe quam antea numerosior, ad pie precandum turba undique

collecta, rebusque divinis intenta, conspiceretur. Denique in eo celeberrimo comitatu tantum Pontifex excitavit studium pietatis, ut in omnibus imaginem verae fidei, quam olim Apostolus in Romanis hominibus extulit laudibus, se intueri plerique testarentur. Auxit etiam religionem certa nefariorum spirituum ex aliquot notissimis feminis ejectio, haud obscura Pontificis sanctimoniae significatione: qua de re infra commodius suo loco scribemus.

[86] Interea Solimanus, in Pannoniam progressus, urbem Juliam cepit, civibus sese dedentibus, ut pote non valentibus diutius hosti resistere: qui eos omnes, contra datam ab se fidem, æque impie ac perfide contrucidavit. Mox centum nonaginta millium Turcarum exercitu instructus, Sigetum, arcem oppidumque, [Solimanus capta Iulia & Sigeto obsessus, moritur.] & natura loci & arte munitissimum, in Croatiae Pannoniæque finibus collocatum, in cœpit obsidere. Qua in obsidione, atrocissima sane et diuturna, non tam universa Christianorum arma, quam efficaces apud Deum Pii Pontificis deprecationes se pertimescere Solimanus dictitabat. Nec impii tyranni timor inanis, nec Pii Pontificis, quam pro ea re fundebat, irrita omnino precatio fuit: nam triduo antequam Sigetum caperetur, acerrimus ille Christiani nominis hostis, cum per annos sex & quadraginta variis cladibus Christianam rempublicam afflisset, tandem repentino morbo correptus, justo Dei iudicio, infelicem vitam cum morte commutavit, pridie Nonas Septembris anno MDLXVI, divina cavente clementia, ne ille aut adepta victoria læteretur, aut quas nomini Christiano minitabatur clades majores inferret. Ejus vero mortem Mehemetus, primarius Bassa, summo artificio suis & nostris occultavit, donec oppidum expugnaretur: captoque Sigeto, Selymum, ejus nominis secundum, demortui parentis in solio

Constantinopoli collocari mirabili celeritate astuque procuravit.

### **CAPUT III.**

**Curat Ecclesiasticam disciplinam in Gallia restitui  
& hæresim subruï.**

### **CAP. IV**

[87] Tametsi omnes, qui ubique gentium vel Christianam religionem profiterentur vel ab ea declinarent, & curandos & ad salutis viam revocandos Pius ita susceperat, ut universus terrarum orbis domus sua sibi esse videretur; tamen, quæ per id tempus gerebantur in Gallia, [Ob insolentiam Hugonotorum in Gallia,] propter periculorum tum magnitudinem tum vero etiam vicinitatem, magis eum sollicitum habuerunt. Itaque ab ipso sui Pontificatus exordio ac deinceps continenter, & consiliis & pecuniis & armatorum præterea subsidiis, rem Christianam opportune juvare non destitit, ut pestilens hæreticorum secta, ab Ecclesia Catholica & ab Rege suo deficientium, penitus deleretur, veræque pietatis cultus in Gallia quam integerrimus perpetuo conservaretur. Sed enim Hugonoti (ita Calviniani quidam hæretici sunt appellati) de quibus multas ipse victorias reportavit, aut acriorem hostem, aut ad impios conatus suos infringendos illo paratiorem, adhuc habuere neminem. Cum igitur Henricus II Valesius, Gallorum Rex, in primarios quosdam ejus pestis auctores acriter olim animadvertisset, ceteri dein caput attollere non audebant: sed eo jam vita functo, in Franciscum eo nomine Secundum, ejus filium ac successorem, inita conjuratione, insanis quorundam præpotentium virorum, innovandis Galliæ rebus enixe studentium, consiliis confirmati, qua in adolescentem Regem qua etiam in Ecclesiam Dei perniciosum virus evomebant. His porro consiliis instructi, primum ad oppidum Blesas, ubi Rex per eos dies morabatur, tum ad

Ambasiam, quo mox ille perrexit, [post mortem Regis Francisci] edixere diem in Idus Martias; quo die omnes eodem, ad eum vel capiendum vel e medio tollendum, convenirent. Verum tam caute (illum Deo protegente) rem gerere non potuerunt, quin a Carolo Lotharingio Cardinali detegerentur, nefariiue illorum conatus inanes & irriti redderentur. Itaque maximam partem in vincula coniecti, princeps eorum capite plexus, & cum aliis præterea multis in frustra discerptus est.

[88] Cum hæc igitur causa, tum etiam Francisco Rege mortuo, Caroli fratris in ejus locum suffecti puerilis ætas, ipsi sectæ sese corroborandi præbuit occasionem: propterea VII Idus Januarii MDLXII, regium pro tempore divulgatur edictum, quo decernitur ut religionem illam, nomine Reformatam, revera corruptissimam consectantes, eam extra urbes tantum possent profiteri. Atque id potissimum permissum ad leniendos Primatum quorundam animos, qui ante mortem Francisci Regis in regiam domum se male animatos esse declaraverant. Ita quippe visum vel hac ratione illorum posse furorem temperari: quod tamen tantum abfuit ut eveniret, ut majora quoque mala sint inde consecuta. Nam extemplo Regi, ut nefarium sic apertum inferre bellum, ac regno toto, [ad perniciem regni conspirantium;] qua sacra templa impie demoliri, qua innumerabilia patrare sacrilegia, qua innocentem Catholicorum sanguinem immani crudelitate profundere cœperunt. Denique cum in eo regno perniciosius cuncta bellis conflagrarent in dies, MDLXII Nonis Martiis, Aureliis, nova mutuo pactione facta, permissum est, uti regno toto, præcipuis quibusdam oppidis exceptis, pro sua quisque conscientia libere possent & vivere & concionari: idque donec Rex in tutelam veniret suam. Interim vero per annos aliquot Hugonoti, modo apertis machinis modo insidiis, ubique, sed imprimis in ipsa regia constructis, totius regni perniciem moliebantur.

[89] Quod quidem malum Pius animo prospiciens, ut tam exitialem pestem averteret, lenioribus primum utens remediis, Comitem Michaellem Turrianum, Cenetensium Episcopum, [misso Internuntio Turriano] qui postea Cardinalis creatus est, virum summæ pietatis & integritatis laude præstantem, ad Regem & ad Catharinam, quæ ut Regina mater per hoc tempus gubernacula tenebat, in Galliam Internuntium declaravit. Huic, ut & animorum saluti, & Regi ab hostium insidiis vindicando, atque regno ejus tuendo provideret, multa religionis Christianæque prudentiæ plena mandata dedit. Illud inprimis regios in animos Pius revocabat, [Regem & Reginam matrem animat] ne humanis consiliis posthaberent jussa divina: sed mille regna ac vitam ipsam projiciendam potius, quam officium suum deserendum putarent: præsertim in negotio Catholicæ religionis, quam haud quaquam satis esset, si Principes ipsi complecterentur; sed illis etiam efficiendum, sui ut provinciales & subditi eamdem profiterentur, hæreticam vero impietatem sectantes graviter plecterentur. Hoc enim regii muneris esse, hoc præcipue Galliarum Reges præstare oportere: si Christiani, atque adeo Christianissimi & esse & appellari; si majores suos Carolos & Pipinos, aliosque strenuos Romanæ Ecclesiæ & Catholicæ fidei defensores imitari; si denique, ut par est, servire Domino velint. Hoc namque cunctis Regibus, Principibus, atque Judicibus præceptum divinitus datum, quod Rex ille Prophetaque sanctissimus his verbis edixit: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram: servite Domino in timore. [Psalm. 2] Id vero, sanctorum Patrum testimonio, tum ab Regibus cumulate fieri constat, cum & ipsi, quatenus homines sunt, recte vivunt; & quatenus Reges, in regno suo bona jubent, malaque prohibent; non solum quæ ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam pertinent religionem, exemplo piorum Regum Ezechiae atque Josiæ, qui Domino egregie servierunt, lucos & templa idolorum, & excelsa



illa quæ contra præcepta Dei fuerant extracta destruendo.

[90] Ceterum Pius, ut Tridentini concilii decreta custodirentur in Gallia præcepit: & cum hoc segnius curari videret, nihil tale aut Rege aut Regina postulante, ad omnes Gallicanos Episcopos litteras dedit, mandans eis, ut vel Concilium ipsum servandum curarent, vel graves neglecti officii pœnas subirent: [præcipit custodiri decreta Tridentini] Reginam vero commonuit, ne id præstare differet, donec Rex ætate & viribus augetur; si quidem temporum momenta haud in nostra esse potestate: meminissetque oraculo illo divino magis esse nitendum, quo Deus ait: Per me Reges regnant: ac Davidi majores vires divinitus collatas fuisse, quam Sauli, ceteroqui statura corporis & ætate præstantiori: quicumque suis unquam esset viribus temere confisus, hunc demum se a Deo confusum offendisse. [Prov. 8] Odettum vero Castilionæum, jam olim a Pio IV sacræ Purpuræ dignitate spoliatum, [Card. Castilionæum puniri] Regis in consilium nequaquam adhibendum esse: quippe qui hæreticus palam esset, & a piorum communione jure sejunctus. Neque permittendum, ut is sacri habitum gestaret honoris, quo ante anathematis in se latam sententiam superbe se abdicaverat; imo vero in Sedis Apostolicæ contemptionem, eo resumpto, sibi uxorem adsciverat. Quocirca denunciabat Pius, nisi quæ decretæ jam erant de illo pœnæ sumerentur, se dignitatem hujusmodi in quemquam alium ejus regni numquam amplius collaturum. Ceterum Ecclesiasticis beneficiis & vectigalibus nonnulli, qui Hugonotorum more uxorem duxerant, [concupinarios beneficiis spoliari] jussu Pii sunt expoliati, ejusdemque factionis plerique moti sunt regiis ministeriis; Pontifice profitente, sublatis impedimentis religionis, meditari se atque moliri magna quædam exteris in locis, eaque præclara facinora; quibus & Dei gloria summe propagaretur, & seculum optatis floreret

bonis, & regnum illud ingenti pacis beneficio potiretur. Verum inprimis edictum illud, quod Hugonotorum in gratiam editum diximus, infirmandum esse; uti mox magna ex parte factum fuit.

[91] Atque ita ex iis, quæ ad sacrorum Antistites diplomata scripsit, Christiana res instaurari cœpit in Gallia: plerisque locis receptus Romanus Cathéchismus, & Catholica disciplina restituta. Inde Episcopi omnes, per id tempus in aula Regia commorantes, [Episcopos ad residentiam urget] ut ad suam quisque diœcesim præsentem procurandam quamprimum abscederent, Pius edixit: eoque hortante ad Archiepiscopos hujuscemodi Rex litteras dedit. Quas hoc tempore calamitates experimur, eæ sane, Dei in nos iram exerceri, satis ostendunt. Ut autem ille placetur, opus est, ut Antistites sacri, pro officio suo, & ratione spectatæ vitæ, & doctrinæ munere, piisque jejuniis & obsecrationibus, populis rite edocendis operam navent diligenter, atque ad cultum Dei ejusque cælestium mandatorum observationem, quos debent omnes instituant. Hoc autem ad agendum inducit nos, ac pie cohortatur Pius V. Pont. Max. Itaque Præsules omnes obtestamur in Domino, ut ad residendum in suam singuli provinciam primo quoque tempore proficiscantur. [hæreticos e Sede pelli:] Quod illi statim præstiterunt. Interim vero Galli septem Episcopi, nempe Uticensis, Valentinus, Carnotensis, Oloronensis, & Lascurensis, aliique præterea duo, Ecclesias etiamnum occupantes, cum hæresis damnati Romæ jam essent; eam damnationem in Gallia promulgandam, iisque de Sede dejectis, alios Catholicos subrogandos Pius curavit. Fecitque ut memoratus Odettus Bellovacensi se abdicaret Episcopatu: quem ille, cum omnibus quorum potiebatur sacerdotiis, apud Regem deposuit; atque diabolicis actus furiis in Angliam profectus, ibidem impie migravit e vita.

[92] Ad omnes porro ipsius Galliaë, sicut etiam ad alios ceterarum gentium Antistites, Pius perscripsit, eorum conscientiam graviter obtestans, uti summa fide colligerent indicem, in quo non solum civitatum, sed diœceseon etiam quique suarum omnium, nomina censerent Clericorum, qui & recta fide & vitæ sanctitate præcellerent; [Clericos fide & doctrina excellentes describi,] eaque doctrina præditi essent, ut digni judicarentur & apti, quibus ecclesiastica munera ac beneficia conferrentur, præsertim quæ curam animarum adjunctam haberent. Ac si quando intelligeret, forte quempiam Antistitem indicem ipsum haud bona fide confecisse; religiosos viros earum civitatum per litteras submonebat rem omnem diligenter explorarent, descriptamque notationem submitterent ad sese: ratus videlicet illud maximi esse momenti, idoneos viros deligere, qui curam gerant Ecclesiarum. Nam dum Pontifices id negligentius curant, fieri plerumque solere; ut animæ depereant: viderique illos id potius curare, ut homines sacris ditent proventibus, quam ut Ecclesias juvent atque ornent hominibus. Hujusmodi vero indices apud se custodiebat ipse diligenter.

[93] In illud porro sedulo Pius incubuit, ut depravata quædam tolleretur consuetudo, quæ sub aliis jam Regibus cœpta etiamnum vigeat in Gallia: [vetat beneficia & Ecclesias a laicis & feminis possideri,] cujusque generis beneficia Ecclesiasque præcipuas, non modo laicis sed etiam feminis, per interpositos ministros res sacras procurantibus, obsequii remunerandi specie conferendi: ex quo id præter cetera consequabatur incommodi, ut Ecclesiæ sine legitimo capite diu regerentur; laico videlicet illo seu viro seu muliere, quæ fruebatur bonis nominandique jus habebat, interim negotium differente, donec vel frater, vel filius, vel nepos, vel alius sanguine sibi conjunctus ad certam ætatem perveniret; aut tandem ad aliquem nominandum

necessitate compulsi, post multum temporis non sine simoniaca labe quempiam conducebant. Id autem cum Pius animadverteret, diceretque male distribuere beneficia, Ecclesiæque bonis abuti horrendum nimis esse, scilicet Christi sanguinem abjicere; ut Reges illi ab hac re temperarent in posterum, effecit. Itaque Regina prompte Pii mandata præstans, ad Antistites Regni perscripsit, ut certiores ipsum facerent, quinam hujusmodi occuparent beneficia. Atque ita labentibus rebus provisum est opportune: ac præcipue Roccam, Surionis Principem, feminam Catholicam, quam Monpenserii Ducis frater rigiæ stirpis habebat in matrimonio, Glandatensem Episcopatum, quem illa per annos multos sine administratore tenuerat, & alia quædam ecclesiastica beneficia, ei regio permissu concessa, coëgit abdicare.

[94] Fecit ergo, ne sacerdotia sine titulo possiderentur: sed potius ut illis idonei ministri præficerentur; & quod in ipso fuit, ut simoniaca negotia e medio tollerentur; nulloque modo concederetur, ut quispiam beneficii Regis nutu collati possessionem iniret, [commendat curam justitiæ,] nisi prius litteris Pontificiis id esset Romæ comprobatum. Ad hæc, ut Rex ejusque ministri labantem ibi justitiam (quæ scelerum medicina veræque religionis socia & administra est, quaque remota, ut ait S. Augustinus, nihil aliud sunt regna, nisi magna latrocinia) regno toto retinendam & administrandam curarent. [Lib & c. 4 de Civit.] His enim rebus regii nominis dignitatem, atque adeo & Regum & regnorum salutem contineri: & quemadmodum salus animæ, quod ait Sapiens est in sanctitate justitiæ; sic ceterarum rerum salutem atque felicitatem, ex eadem justitiæ & religionis sanctitate, tamquam ex vero pietatis fonte profluere. [Eccli. 30] Ex certa namque & vera religione, certam ac veram justitiam existere, & ex variis religionibus incerta & falsa omnia consequi. Si enim Magistratus aut Reges, status sui conservandi vel augendi causa, sibi fas esse existiment

subditos fallere, datam fidem abnegare, jusjurandum violare, fallaciis decipere, dolis illudere, omnia bellis permiscere, nullam pietatis aut religionis rationem habere; quæ inde in Remp. scelera quæ flagitia, quæ sacrilegia promanabunt & erumpent? Ad Metropolitanos proinde omnes Constitutionem in Cœna Domini editam, in Gallia promulgandam, & ut ex parte factum est, in usum inducendam emisit. Ad eosque & ad alios Antistites crebras & graves litteras dedit de corrigendis Clericorum moribus ac disciplina; mandans eis, ut præter cetera concubinatus labem tollerent, Clericorumque Collegia, quæ vocant Seminaria, constituerent.

[95] Manu sua (ut alias sæpe solebat ad ceteros Catholicos Principes) scripsit ad Reginam, [serio cogitat de abdicanda Regina Navarræ] curaret omnino, ne jam amplius Joanna Navarræ Regina adversus Ecclesiasticam libertatem apud suos quidquam decerneret: secus enim, præpotentes Hispanos Antistites in eas Ecclesias ac diœceses omnes ab se introductum iri aliaque se moliturum, quæ ipsi Galliarum Reginæ minus essent grata futura. Etenim cogitare se, de Navarræ Regina sceptri jure spolianda, eaque condemnanda ut hæretica: atque se pro sua auctoritate Hispaniarum Regem, ad eam ipsam regni partem, quam Joanna tenebat, quamprimum fieri posset, capiendam inducturum. Sed quoniam nonnulli pollicebantur fore, ut ea femina ab hæretica perfidia revocaretur, atque ita Princeps ejus filius Christo lucrifieret; factum est, ut tolerando negotium extraheretur: cum etiam Hispanos inter & Gallos intermissa bella renovare vererentur. Quamobrem Galliarum Reginam Pius incitabat interdum, ut vel eam Navarrae ditionis partem sibi vindicandi occasionem caperet: vel pateretur, ut Apostolica auctoritate ejusdem ditionis aliquem e Valesia domo Regem ipse constitueret.

[96] Egit porro cum illa de Genevensi aggredienda expeditione, [Geneva expugnanda,] existimans opportunam ad id occasionem dari, Albano Duce in Belgas Catholici Regis exercitum trajiciente. Est Geneva ad Lemanium lacum in Allobrogibus oppidum, insignis hæreticorum & apostatarum sedes atque perfugium: quo, veluti ad hæreticæ pravitatis gymnasium, asylumque tutissimum, undique confluunt pessimi quique Catholicæ veritatis desertores. Hoc igitur tam nefarium impietatis domicilium vel capere vel excindere, [alia quædam utiliter suadet.] Christianique nominis opprobrium tollere, Pius omnino decreverat: atque hanc expeditionem continenter versabat animo eamque post Turcicum, de quo dicemus, bellum, si illi vita suppeditasset, haud dubie confecisset. Curavit itidem, ne interdicti libri aut excuderentur, aut etiam divenderentur: quod quidem edicto regio præstitum fuit. Ne item fierent conventicula; ne concionari, ne baptizare, ne connubia inire Hugonotorum more quispiam auderet: quæ tamen facere non dubitabant iidem Hugonoti contra conventa. Regem denique societatis, quæ illi cum Turca est, graviter increpuit: nam inde Galliarum perniciem proficisci; & usque dum ejusmodi consuetudo non dissolveretur, in regno domesticos hostes numquam defuturos: quin eam rem illi exitio fore, perinde ac fuit olim Hebræis cum ethnicis juncta societas.

#### CAPUT IV.

##### Contra hæreses Avenionensis ditio protecta, & Gallia adiuta.

[97] Per idem tempus Avenionensem Venaisinamque ditionem, [Ad propugnandam contra Hugonotos Avenionensem diœcesin] certum ac vetus Sedis Apostolicæ patrimonium, omni studio protegere, ab hæreticorumque potestate vindicare Pius instituit. Etenim Hugonotis, ejus ditionis partem occupare jam aggressis,

ne omnem illum regionis tractum obtinerent, pravitatisque suæ tabe labefactarent omnia, haud leve periculum imminebat. Apostolicæ legationis munere tum ibi fungebantur Cardinales, Carolus Borbonius & Georgius Arminiacus, qui absentis collegæ vicem sustinebat. [Epist. 3, 4, 18, 21, 23, 28 lib. 3] Ut igitur ejusmodi periculis occurreret Pius, in primis Arminiacum, ad hominem in officio continendum, decem aureorum millibus donavit: [nullis parcat sumptibus,] haud ignarus Reipublicæ Præfectos, officium suum præstare nitentes, rerum suarum aliquando dispendia subire. Eidem quoque magnum pecuniarum numerum variis temporibus misit, præter quina aureorum millia in singulos ei menses attributa ac bellica subsidia, quibus & locorum præsidia defendi, & hostium impetus reprimi propulsarique possent. Cardinalem præterea Laurentium Strotium, & Tenderensem Comitem Provinciae Præfectum, Guilielmumque Ioiosam Narbonensis Galliae Proregem, ut opes quisque suas ad rem Ecclesiasticam protegendam & conservandam prompte conferrent, per litteras est cohortatus. Qui omnes Pontificis impulsu cum Arminiaco fœdere copulati, ad olim erepta Ecclesiæ loca recuperanda, belli vires converterunt.

[98] Ac primum quidem oppidum receptum est, Mornas appellatum, mirifice munitum, una quidem ex parte defluente Rhodano, ex altera vero prærupto monte: [Expugnatis Morna,] cujus in cacumine arx est collocata, in quam Hugonoti sese præsidii causa concluserant. Ii tamen, incursione ab Catholicis facta, expugnati captique sunt: qui autem a militibus captivi ducebantur, eos Pius pretio redemptos, in jusque sibi vindicatos, atque Avenionem perductos, publico supplicio afficiendos pro ardenti suo religionis studio decrevit. Subinde iisdem copiis Pii stipendia facientibus, [Ponte S. Spiritus & Aramonio] ad evertendum Pontem sancti Spiritus nuncupatum, in Gallia Narbonensi, sunt arma conversa; ut

Provinciae & Allobrogum saluti, sublato hæreticorum commercio, consuleretur. Cumque ea res prospere processisset, Aramonium castellum est recuperatum, fortissimis quibusque Hugonotorum militibus occisis: quo die a Catholicis cæsi sunt mille pedites equitesque trecenti, qui ipsi castello suppetias venerant allaturi. His igitur tribus expeditionibus feliciter absolutis, brevi temporis intervallo, Rhodani libere navigandi facultas ab urbe Lugduno ad mare usque recepta est. Quæ res magno illis provinciis bono fuit: præsertim ob negotiationem salis, cujus jam inopia premebantur.

[99] Ipsarum porro cohortium ope Nemausiensi arci ab Hugonotis obsessæ identidem est subventum. Denique pro tempore compositis rebus, [Nemausus liberatur,] noluit Pius, ut perduelles vel Avenionem pristinum in statum redirent, vel bonis fruerentur suis: nam hujusmodi homines, Catholicorum instar vitam ducere in speciem non recusare, ut vel hac arte possent & domum quisque suam repetere, & prava studia magis operire simul & exequi. Subjectis vero suis interdixit consuetudine cum iis qui erant Aurasicensis Principatus, Pontificiæ ditionis oppidis circumsepti, ne scilicet hæreseos labe fœdarentur. A quo quidem Principatu cum desertores & novis moliendis defectionibus, & quorundam hæreticorum in urbe Avenione delitescantium usu retinendo foverentur; Pii copiis adversus ea loca dimissis, per vim tria capta sunt oppida, eaque mox Legato subjecta: nec ita multo post conjuratione quadam patefacta, [pulsis aut repressis hæreticis,] nonnulli ejus participes Avenione in vincula conjecti ac subinde capitis damnati sunt. Exules autem, quorum alii in Gallia Narbonensi, permittente Rege continebant sese, conjunctisque suis furenter appropinquabant; omnes jussu Regis ab illarum provinciarum Praefectis fusi fugatique sunt, uti efflagitaverat Pius, qui etiam cavet, ne in posterum ad XV millia passuum vel in Avenionensem, vel



in Venaisinam ditionem illi possent accedere: atque ne Sectarii dogmata sua profiterentur in his Provinciæ locis, in quibus Legatus & Archiepiscopus Avenionensis suprema judicia exercerent.

[100] At enim pace Regem inter & Hugonotos conciliata, Admiralius Gaspar Colignius, [contra novos horum conatus] de Avenione Venaisinaque ditione occupanda, copiis suis fretus, agitare consilia cœpit: ratus id sibi licere citra ullam de pace conditionum, in quibus nulla fieret mentio Pontificis, vel injuriam vel offensionem: cogitabat enim, cum esset urbs ipsa copiosa ac præmunita, in Provinciæ. Galliæque Narbonensis finibus cis Rhodanum collocata, si ipsorum venisset in potestatem, fore, ut simul non modo validum præsidium opimamque regionem; sed etiam adversus Regem, si minus ille conventis stare vollisset, firmissimum se propugnaculum adepturos: atque ita pro rei gerende, opportunitate, Aurasicensi ditione in potestatem redacta, ad omnem Rhodani occupandam oram vires extensuros. Quibus de rebus Pius certior factus, nonnullis Gallis, quorum suspecta fides erat, [Torquatum Comitem præficit militia,] Primatum ceteroqui ope subnixis, se publicis ministeriis abdicare coactis; Torquatum Comitem, e prima nobilitate Romanum, virum artis militaris scientissimum, eo cum imperio misit. Is autem Pii Pontificis jussu, Asculanam in exules ac prædones expeditionem, iisdem summa celeritate partim extinctis partim ex Piceno depulsis, summa cum laude confecerat: in ejusque fide atque virtute Pontifex conquiescebat. Ac præter armatas cohortes, quæ Pontificia ibi stipendia continenter merebant, cum eo misit ingentem Italicorum, præsertim Romanorum, tum equitum tum vero peditum numerum, cum mandatis, auxiliares, ac subsidiarios in Gallia milites conscribendi; cum ad se ipsos tuendos, tum etiam ad omnem belli tempestatem fortiter ac tuto sustinendam. Quamobrem hostes, quorum jam plurimi eo versus iter

intenderant, negotio supersedere sunt coacti. Admiralius Rhodanum trajicere non ausus, in Arverniam protinus ire contendit.

[101] Et quamquam ejusdem expeditionis occasione sublata tolli quoque stipendia debere videbantur; tamen Pius rebus cautius consulendum arbitratus, [& de Arausione subigenda consultat cum Rege,] Torquatum ipsum, iis quas secum duxerat copiis munitum, per duos annos ibi subsistere jussit. Hujus deinde ope subsidii receptum castellum est in Allobrogibus, Auriolum appellatum. Enimvero nisi summa Pontificis hujus & cura & faciendi sumptus munificentia rebus præsto fuisset, omnis ea ditio furentium hostium in potestatem facile pervenisset. Nullum præterea finem faciebat Pius, Gallorum Regi suadendi, ut vel sibi assentiretur Aurasicensem expeditionem aggredi cogitanti; vel in eam iret sententiam, ut mitteret ipse Rex, qui ditionem illam gubernarent: quam ubi in potestatem adduxisset, eam Apostolicæ Sedi tribueret ad ingentem auri vim, quam antea ipsi Regi Pontificia donaverat beneficentia, compensandam; vel denique aut coemptionis, aut pignoris titulo concederet Pontifici, Avenionensique Legato subjiceret. Aurasicensem namque ditionem, quod una cum Praefecto suo haereticæ pravitatis laboraret morbo, & Catholicis infesta esset quotidie magis, rebellesque foveret, ad exitialis contagionis cavenda pericula jure posse ab ipsis Catholicis occupari. Ad eandem porro Avenionensem civitatem varias, easque praeclaras, rerum instaurandarum formulas Pius misit idemtidem, ad illam in Christiana disciplina pie continendam, atque ad sacrae Inquisitionis munus rite praestandum accommodatas. Haereticorum autem, ac perduellium bona fisco jam addicta religiosis locis attribuit: atque ut idem ceteris regni ipsius in regionibus efficeretur, quantum in se fuit, procuravit.

## CAP. VI

[102] Vertebat interim annus a Christo nato MDLXVII; cum perduelles hæretici iterum in Gallia tumultuari, & alterum serere civile bellum summa ope nitentes, non sine certa & religionis & patriæ suæ & florentissimi regni pernicie, de interimendo Carolo Christianissimo Rege Lutetiaque occupanda cogitare cœperunt. [eumque monet de periculo vitæ & regni:] Nam in spem quamdam erant ingressi, cum primum eam urbem, quam semper nefariis conatibus suis infestam esse cognoverant, in potestatem redegissent; fore, ut haud magno negotio toto regno potirentur: eaque de re quotidie inter se consilia, ut occulta, ita plena fraudis & impietatis, agitabant. Commorabatur tum forte Rex in oppido Meldensi, decimo a Lutetia lapide, ubi cum Regia domo animi gratia, tantis de rebus minus quam par erat sollicitus, quiescebat. Itaque Pius cum hæc rescivisset, Regem ipsum ejusque matrem, ut in simili periculo faciebat idemtidem, graviter & commonendos & hortandos putavit; hostibus nequaquam esse fidendum, quin potius a regno suo tam exitialem ac perniciosam pestem propulsandam; atque in primis, ex ipsamet aula consilioque regio, perditos ministros & Hugonotorum Principes sine cunctatione profligandos. [Epist. 23 lib. 1 & 5 lib. 3] [qui eo declinato] Verum illis dicto serius audientibus, evenit, ut Ludovicus Borbonius Princeps Condensis, una cum adjunctis sibi sociis, de improvise ingenti equitatu suffultus, Meldas advolaret, Regem vel interfecturus, vel certe (ut alii volunt) male accepturus. Rex tamen ope divina opportunoque sex millium Helvetiorum, quos ipse sive hac sive alia de causa per id tempus illuc evocaverat, subsidio protectus, una cum matre, fratribus & sorore Lutetiam se recepit incolumem.

[103] Interim Hugonoti, qui partes suas valido tum equitum tum peditum præsidio confirmabant in dies,

undique omnia occupare molientes, S. Dionysii oppidum, duo fere millia passuum ab eadem urbe distans, in potestatem redegerunt; atque ipsius S. Dionysii ædem prætioso thesauro in ea reposito spoliare aggressi, [& hæreticis prælio victis,] cum eum tutiorem in locum translatum diripere non possent, confusi remanserunt. Quibus locis subinde commissum certamen est: in quo duobus paulo minus hæreticorum millibus trucidatis, hostium copias Catholici dispulerunt ac profligarunt. In iis interempti Comites duo, Saltuanus & Claromontius, Dampetra aliique permulti nobiles milites: ex Catholicis autem quinquaginta sunt desiderati, & præter alios tribus vulneribus confossus cecidit Annas Momorantius, Comestabilis, vir genere & virtute insignis. Ibidem igitur cum per aliquot dies hostes hæsisset, ingens facienda præda damnum intulerunt, multaque devastarunt incendiis. Mox Casimiro, Comitis Palatini filio, validas equitum turmas ex Germania illorum in subsidium ductanti, obviam prodire, ædesque sacras ea profectio destruxere.

[104] Quibus de rebus Pius edoctus, manu sua scriptas ad eos Reges litteras dedit, quarum hæc sententia fuit. Illos se jam sæpenumero præmonuisse, ejusmodi profligatis hominibus non solum esse consilium veram religionem opprimere, [cum præ militum subsidiis] cujus specie regnorum moliuntur excidia: sed Reges ipsos & regno & vita depellere: propterea dissimulandum haud esse diutius, quin etiam tam immane scelus armis vindicandum, seque ob id quantam posset maximam pecuniarum vim, ubi rem illi serio curare voluissent, Italicumque militem sacris conductum stipendiis, donec bellum conficeretur, prompte suppeditaturum. Mox ad Ludovicum Gonzagam, Niverni Ducem, quinque & viginti millia nummum aureorum, in Italicos milites e Subalpina regione collectos impendenda, misit. [Epist. 44, 45 lib. 3, Epist. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7 lib. 4] Ceterum illi Reges (quibus

aureorum multa centena millia, quæ hic singillatim recensere prætermitto, variis temporibus Pius curavit) oblatae pecuniæ conditionem, quam cohortes stipendio affectas libentius acceperunt: idque suadentibus iis, qui neque Regem neque Catholicam religionem salvam esse cupiebant; sed omnia vota sua ad privata commoda & ad insanas cupiditates impotenter explendas, [pecuniam maluisset,] uti civilibus in bellis fieri consuevit, furenter conferebant. Ex quo fiebat, ut his opibus Rex usquequaque victor ille quidem existeret, nullius tamen victoriæ fructum ferret.

[105] Itaque licet vinceret, vel iniquis tamen conditionibus pacem dabat perduellibus, uti fecit tertio Idus Martii MDLXVIII, cum stipendia multa Germanico equitatu pependit, ut regni finibus excederet; [iniquam pacem facit cum Hugonottis,] atque alia multa, non minus religioni quam regno perniciosa, hæreticis concessit, bonis omnibus factum condolentibus, ac judicantibus Regem, pluribus victoriis inclitum Pontificiisque suffultum auxiliis, facile & honorifice potuisse & bellum prosequi, & rebelles compescere & pestiferam hæresum illarum radicem prorsus convellere, & Catholicæ pietatis cultum in regno lapsum restituere, nulla pacis accepta conditione: quæ quidem pax ipsi Regi parum honorifica, regno majoris incendii fomitem ut evenit, illatura putabatur. Hoc nuntio Pius accepto, vehementer condoluit, nihilque jam amplius pecuniarum se Gallis collaturum edixit: scilicet ne sacrum exhauriret ærarium, importuno hæreticorum beneficio: ad quos ceteroqui vel convertendos vel evertendos, non modo quiquid sibi esset virium, sed vitam etiam ipsam & sanguinem profundere, se bene paratum esse testabatur. Ementitæ porro pacis hujus fructus Regi Catholicisque acerbissimos fuisse; [per eam occasionem novos tumultus parantibus] nihilque aliud hæreticos, nisi ut se interim ad impios conatus suos explendos commodius accingerent, hac simulatione

spectavisse, infelix rerum exitus declaravit. Nam nec ita multo post Condensis Princeps, & Gaspar Colignius Admiralius, & Andelotus ejus frater, aliique præterea primarii Hugonotorum duces, confirmatis viribus, animisque ad novam faciendam rebellionem intentis, majores quam unquam antea tumultus conciverunt; evocatoque ex Germania ingenti armatorum tum equitum tum peditum numero, Vuolfango Bipontino Regulo & Casimiro, una cum aliis Germanis viris principibus, Anglorum Regina copiarum & pecuniæ subsidia tribuente, regno toto cuncta subverterunt. Ac veluti rabidæ tygres, in Deum & Regem furibundi, debacchantes excurrerant, sacra omnia profanantes funditusque evertentes.

[106] Ac mihi quidem cogitanti horret animus, ea cum inaudita tum nefaria scelera commemorare, quae hac eruptione ceterisque tumultibus illius temporis, [ad religionis & regni perniciem.] per summam Christianæ religionis atque adeo divini nominis injuriam, hæreticorum impia crudelitas & crudelis impietas in Gallia perpetravit. Quæ omnia quoniam explicare longum esset, idque nec instituti nostri nec facultatis, ex his nonnulla summatim attingam, quibus planius perspici queat, & quam justo necessarioque studio vindicandæ religionis Gallicæque tuendæ Pius adductus, tam scelestos homines vel potius immanes Sathanæ ministros bello compescendos atque delendos existimaverit; & quod genus pietatis profiteantur ii, qui ab Ecclesia Catholica Romana deficientes, in perniciosam nescio quorum pestilentissimorum hominum, Lutheri, Calvini, Bezæ, eorumque similium disciplinam se tradiderunt; ac proinde, ut cladibus suis documentum posteris Gallia præbeat, quam noxium & efficax rerum publicarum venenum sit sprete vel neglecta religio, præsertim cum civili dissensione conjuncta.

**CAPUT V.****Horrenda hæreticorum scelera in Galliis  
commissa: ad eos comprimendos  
auxilia a Pio præstita.****CAP. VII**

[107] Ab iis igitur, perinde ac si non hominibus tantum, sed Deo quoque summo Cælitibusque universis bellum indixissent, [Sacra omnia eversa dissipata, profanata,] in primis templa multis locis vel incensa vel diruta: & quidem numero pene incredibili, utpote ad decem millia & amplius. Quæ reliqua fuere, qua ad usum equorum accommodata, qua in speluncas latronum conversa. Altaria destructa: Sanctorum imagines & statuæ vel igni traditæ, vel in eas quasi vivas sæviendo, præcisis capitibus comminutæ, aliisque indignissimis affectæ contumeliis. Sacræ reliquiæ aut per injuriam dissipatæ, aut combustæ cineresque dispersi, aut in profluentem dejectæ: Sic sanctorum Episcoporum Martini apud Turones, Hilarii apud Pictavos; Irenæi, Justi, Bonaventuræ apud Lugdunenses; sic aliorum alibi, quæ suis quæque locis magna veneratione colebantur, sacra corpora sunt amissa. Cænobia supra sexcenta direpta, solo æquata, quamplurima incendiis absumpta. Vasa aurea atque argentea, quibus majorum pietas ornaverat templa, partim per sacrilegium erepta & in pecunias versa; partim a Præfectis provinciarum in usum belli commutata. [Epist, 1 l. 2] Sed, quod maxime horrendum est dicere, sacrosancta Eucharistia, qua nihil in terris est sanctius, nihil divinius, porcis objecta (quod scelus humanæ mentes cogitare, nedum piorum aures audire maxime exhorrescunt) pedibus protrita, oleo sacro cocta, atque aliis fædissimis injuriis accepta: cum eam vocitarent, ridiculo apud Gallos nomine, Joannem Blancum, stultum appellantes Christum, quod sub figura panis corpus suum

occultavisset. Sacri calices, aut confracti, aut in abjectissimos quosque usus conversi. Pretiosa vestis, aulæa omnis generis, & gemmata sacrorum ornamenta, omnis denique sacra suppellex, direpta. Ex vasis æneis & campanis tormenta bellica conflata.

[108] Bibliothecæ, quæ in Gallia erant instructissimæ & antiquissimæ, passim incendio conflagrarunt: utpote quod sentiant hæretici ægreque ferant, sese veterum sanctorum Patrum optimorumque librorum auctoritate in primis oppugnari, [sæviturum in vivos mortuosque,] ac velint nolint coargui. Multæ urbes ferro ignique vastatæ: multæ plurima auri pondo seditiosis, extrema minitantibus, tradere coactæ: aliæ diuturno militum præsidio vexatæ, mœnibus spoliatæ, pecunia multatæ, vectigalibus oppressæ: cives in exilium acti, aut in oculis uxorum ac liberorum trucidati. Agri hostiliter vastati, coloni per ludibrium interempti. Capti multi ex altissimis ac præruptis locis dati præcipites, nonnulli vivi aggesta humo sepulti, alii aliis cruciatuum generibus usque ad necem excruciatii. Mulieribus gravidis uterus ferro cæsus: infantes ad saxa collisi, ante mortem acceperere, quam vitam. Pueri medii ferro secti, alii vivi flammis exusti. Ac ne in vivos tantum crudeles & impii esse viderentur, in mortuos quoque sævierunt: piorum namque sepulcra demoliti, cadaveriveribus effossis, ea quasi viverent, mutilarunt, lacerarunt, canibus projecerunt, igni cremaverunt. Ita Ludovici XI, ita Francisci II, Gallorum Regum, sic aliorum Principum & Optimatum, olim pietate præstantium, corpora tractavere.

[109] At Episcopis ac Sacerdotibus, tamquam intimis administris Christi, [præsertim in Sacerdotes.] forte pepercere? Imo quo majus illorum in eos odium exarserat, eo innumerabilibus fere locis ac modis hos gravius affligere. Constat supra quinquies mille Sacerdotes omnis generis, utroque tumultu, & lentis & crudelibus suppliciis



esse peremptos: eorum aliis viscera fuste intorto sensim extracta; alii vulnerati cum Episcopis in puteos vivi dejecti periere; aliis detracta pellis, qui octavo aut nono demum die quasi ad insaniam redacti, spiritum exhalabant. Multis caput abscissum, alii militari supplicio minorum tormentorum ictibus expositi, aut ænearum machinarum ori illigati, emisso igne in frusta distracti: complures unco summo gutturi affixo, dolore & inedia confecti; non pauci in templorum crucibus suspensi; plurimi etiam, sulphureo pulvere instructi lardoque peruncti, misso igne deflagrarunt: alii candentibus veribus vivi per posteriores partes infixi: alii clavis ferreis in abrasam sacri capitis coronam adactis extincti; nonnulli exenterati, quorum viscera frumento respersa in porcorum alimentum cesserunt. Aliis fune stricto pudendas partes alligarunt, quos longo spatio incitatis equis raptatos ad focum suspenderunt, ut subjecto fumo extinguerentur; denique instar suis linea recta in partes dilaniarunt. Alios, divina conficientes mysteria captos, sacris ut erant vestibus indutos, imposita capiti galea & hasta in humeros injecta, per plateas ductos ludibrii causa, totum diem jejunos inter nebulones milites perstare compulerunt: complures aliis atque aliis exquisitis & acerbissimis cruciatibus afflicti, cæsi, necati sunt. Multi diu superfuere, ac fortasse adhuc hodie quoque supersunt, mutili, excisis naribus, auribus desectis, scissis pedibus aut adustis, unguibus extractis; cæcati, vulnerati, sensibus spoliati: qui horum flagitiorum, & plusquam barbaræ crudelitatis vestigia præ se ferunt. Sacræ Virgines nubilesque puellæ innumerabiles constupratæ, matronæ violatæ: nulli denique vel libidinis, vel crudelitatis, vel impietatis generi temperatum est. Quæ quidem omnia adeo sunt vera, ut hæretici etiam multo plura & his acerbiora se fecisse gloriantur. Hæc scilicet sunt præclara hæreticorum nostri temporis & egregia facinora.

## CAP. VIII

[110] Cum igitur, ut ad institutam narrationem redeamus, hæc ab hæreticis perduellibus summo Catholicorum terrore committerentur; boni omnes una cum ipso Rege erant animis vehementer consternati. [Inter hæc ad oppressum fere Regem juvandum] Augebat dolorem, adolescentulum esse Regum, tantisque rebus aut gerendis aut sustinendis imparem, fratribus natu minoribus, sub tutela degentem Reginæ matris. At is ejusmodi rerum tempestatibus propemodum oppressus, in magna, ut incertorum, sic infidorum consiliorum varietate constitutus, cum sese Lutetiam recepisset; ibi omnes omnium ordinum animos & immutatos & inter se dissidentes invenit. Quamobrem Pius, tam aperto & gravi permotus periculo, cognita, qua Regia domus premebatur, summa animi, virtutis, ac subsidii necessitate; tamquam benignissimus parens, ut opem illi ferret, nullis aut laboribus aut impensis parcendum existimavit: [Catholicis a Pio excitatis] Legatosque misit cum litteris ad Regem, & ad alios ejus regni Catholicos Principes, quos omnes & convocare, & cohortari, & impellere non desistebat, ut nulla interposita mora, priusquam perditorum hominum augetetur audacia, fortiter arma capienda decernerent: seque omnes ad honorem divinum, ad Regem suum, ad vitam, domos, laresque proprios tuendos ac protegendos accingerent: quibus ipse in eam rem, & grandem pecuniam, & magnum equestrium pedestriumque militum numerum auxilio misit.

[111] Atque his quidem patriis & Christianis monitis, expeditisque subsidiis a magnanimo Pontifice profectis, & Rex & Regina, [bellum decernitur in hæreticos] & ceteri proinde Principes optimatesque Catholici egregie sublevati & erecti, in communi periculo justoque bello celeriter arma sumenda constituerunt. Inde magna ac celebris, ad implorandam opem divinam, ab Regio

sacello ad ædem usque Cathedralē habita supplicatio est. Mox Lutetia milites omnes egressi, Henrico Regis fratre, Andegavense Duce, summo copiarum Præfecto declarato; cum intelligerent Condensem hostem Burgundiam versus iter intendere, ut copias suas cum iis quæ ex Germania sibi suppetias veniebant conjungeret, omni ope aditum intercludere, & antequam viribus augeretur cum illo congredi nitebantur. Itaque ad Clarentiam amnem, [quibus prælio cæsis,] III Idus Martii anno MDLXIX, Jarnacium inter & Castrum novum commisso prælio, in quo per horas quatuor acriter pugnatum est, hæreticorum exercitus cæsus fugatusque est; pluribus eorum ducibus, primariisque ad quadringentos militibus occisis. Gaspar Colignius Admiralius, [Epist. 41 & 43 lib. 3] ejusque frater Andelotus, vulnerati fugam arripere: Condensis vero Princeps, quo utebatur equo suffosso, cecidit; galeaque detracta a Guisianis equitibus agnitus, cum pro redimenda vita aureorum nummum centum millia parcentibus offerret, ærea glante in fronte percussus interiit.

[112] [publicas Deo gratias agit Pius,] Hac audita victoria Pius, Deo rerum bene gestarum auctori, quem ipse ob id assidue precabatur, ex intimis sensibus gratias agens, publicas supplicationes, quibus ipse & Clerus populusque Romanus frequens interfuit, statim decrevit, aliaque pia publicæ lætitiæ signa edi curavit. Hac enim insigni clade Catholicæ religionis hostibus illata, spes quædam piorum animis erat injecta, fore ut fractæ hæreticorum vires ab impiis conatibus abstinerent, regnumque a bellorum tumultu conquiesceret. Subinde vero equestris militiæ signa duodecim, de hæreticis bello victis recepta, Rex Carolus ad Pium transmisit; solemnibus verbis apud eum in publico Patrum consessu per Oratorem suum testatus, hanc se Deo victoriam, [& 12 vexilla submissa in Vaticano suspendit.] Pii precibus intercedentibus, acceptam

referre ac profiteri; ob idque vexilla ipsa; veluti grati pique animi sui pignora, in Basilica S. Petri, primi Christi Vicarli, cujus ipse Pius locum teneret, suspendenda misisse: divino fretus auxilio fore, ut ipsius Pontificis precationibus adiutus, alia longe majora de hostibus spolia signaque pietatis ergo ad eum deferenda curaret. Quibus verbis Pius respondit, se optimam pii Regis mentem summopere commendare: seque ad eum ejusque regnum, quibuscumque posset precibus & armis juvandum, semper fore paratissimum; signaque ipsa se libenter accipere: quæ mox magnis accepta ceremoniis, & in S. Petri ædem decore illata, adhibitis de more precibus, ibi supra novi templi portam, unde ea per annos duos & triginta pependerit, ad futuram rei memoriam collocavit.

[113] Interim vero, præter pecuniaria subsidia, quibus Pius ad expugnandos Hugonotos Galliarum Regem donavit, [Suppetias impetrat a Rege Catholico,] e Belgica quoque regione ab Rege Catholico opem ei ferendam curavit, inde mille & quingentis equitibus & quatuordecim cohortibus evocatis, Mansfeldio Comite copiarum ductore: procuravitque uti, ne Catholici nominis hostes e Germania in Galliam trajicerent, Cæsar operam daret. [Epist, 22 l. 1] Deinde ad Regem Catholicum perscripsit de fœdere inter se, & illum, & Cæsarem, & Gallum ad tollendas hæreses ineundo: ac de conjugii, quæ subinde inter Imperatoris filias Annam & Philippum Hispaniarum, Elisabethamque & Carolum Galliarum Reges conjuncta sunt. Inter hæc Petrum Donatum Cæsium, Narniensium Episcopum, virum cum in Ecclesiasticis conficiendis negotiis rerum usu, tum vero summa virtute præstantem, qui postea in sacrum Romanæ Ecclesiæ Senatuum a Pio lectus fuit, ad omnes Italicos Principes & ad Respublicas Internuntium legavit: qui quam ipse de Gallorum Regis periculo gravem sane molestiam sentiret; [Principes Italiæ monet de actis in Gallia,] cædes bonorum,

sacrarum ædium, & altarium eversiones, sacrosancta conculcata Sacramenta, nefaria sacrilegia, pereuntium animarum exitia, eorum ob oculos poneret; eosque doceret, Galliam, quæ media fere inter Hispaniam, & Britanniam, & Belgium, & Germaniam, & Italiam interjacet, concidere haudquaquam posse, quin ruina sua conjunctas partes secum pertraheret.

[114] Eamdem vero Galliam, quæ olim Regi suo erat addictissima, vel potius plerosque Gallos perduelles hæreticos, certo reliquis gentibus exemplo esse, in Principes suos per causam religionis ac conscientiæ conjurandi: illud scilicet prætendentibus, velle se Deo magis quam hominibus obedire, ob idque sese a Dominorum suorum imperio subtrahere: ac propterea eamdem provinciam ad populares exciendos tumultus propensam esse vel maxime. [& periculo simili ipsis imminente,] Calvinianam porro impietatem, quam Hugonoti profitentur, ad rerum immutationem accommodatam esse, quod ceteris hæreticorum sectis plurimum indulgeret, ac popularibus vitiis inserviret: neque Mahometana minus esse voluptariam. Quocirca, nisi mature illi resisteretur, ad rerum omnium statum convellendum latissimum inde aditum patefactum iri. Ad hæc Hugonotos in complura loca, atque adeo in Italiam misisse, qui factionis suæ fautores confirmarent; & commonerent, arma sibi haud esse ponenda prius, quam Ecclesiasticarum atque civilium rerum administrationem immutassent. Germanicos vero motus, quoniam ipsa regio est in plures, & Ecclesiasticas & civiles, divisa ditiones, locorum intervallo disiunctas, altera alterius metu suis se finibus continente, utpote quæ mutuas sæpe sibi clades intulerint, haud ita magnos facere progressus potuisse. Id autem in Gallia non evenire, quæ amplum minimeque divisum regnum habens, unius gubernaretur arbitrio: ubi hæreticis obtinentibus, horribilem bonis imminentem pertimescendam esse tempestatem.

[115] Porro Italicis Principibus diligenter illud considerandum, [nisi illud prævertere curent:] longe præstare proximum incendium restinguere, quam spectando sinere ut ardentibus flammis domus deflagrarent suæ: posseque Principes, dum tumultus abessent, subjectis sibi populis ad victoriam uti. Quod si hæc hominum monstra in Italiam penetrassent, fore, ut quam acerbam ex haeresibus cladem & exitium regna capere soleant, permulti experirentur. Quæ quidem pestis jam Italiam nimis aggressa, si paulo altius radices ageret, haud difficile intelligi posse, quæ faces Italicis mentibus inde subjicerentur: iis præsertim temporibus, quibus sorte sua populi minus contenti, ægre dominis suis obedirent. Qua oblata occasione, sibi quoque faciendum esse Pius existimavit, ut admoneret principes viros, cavendum esse diligenter, ne ditiones ipsorum hac contaminarentur labe: quin efficiendum, ut jam contaminatæ omnino expurgarentur. Narrabatque præsentia mala duobus ex erroribus orta fuisse: quorum alter erat, Principum fiducia, perfidos ipsi Deo, fideles hominibus fore confidentium; alter vero, non animadvertisse Principes ipsos, se iisdem pœnis obnoxios fieri apud Deum, ejus causam tutari negligentes, quibus pœnis iidem perfidos sibi subjectos afficiebant, quando dominorum in necessitatibus & vita & officio eis minus præsto fuissent.

[116] His igitur atque aliis ejusmodi rationibus, pro personarum conditione omnes adhortabatur, ad magnum pecuniarum numerum Lugduni in commune conferendum, [deinde pecuniam multam in subsidium corrogat.] in Regiæ illius subsidium majestatis. Enimvero pro immensa clementia sua voluit Deus Ecclesiæ suæ sanctæ per ea calamitosa tempora favere, ei præfecto Pastore, tam egregie vigilantem adversus hæreses: quibus nisi ille se fortirer opposuisset, uti per omnem vitam suam perpetuo fecit, Italia in primis exitiali illo miserandum in modum

fortasse conflagraret incendio. Ceterum Pius jam alios viros per omnem ditionem Ecclesiasticam dimiserat ad cogendam pecuniam, nova imponenda esse vectigalia haudquaquam arbitratus: suadens populis, ut pro suis quisque facultatibus ejusmodi publicæ necessitati sponte subvenirent. Hoc autem collectionis genus caritativum subsidium vulgo fuit appellatum: quæ quidem pecuniæ nummum aureorum centena millia fuere: aliaque præterea centena millia a Sacerdotibus exegit. Triginta vero millia sacri cœnobitarum Ordines duodecim, quibus amplior suppetit census, ultro contulerunt. Sed ante omnes populus Romanus, simul ac Pii desiderium cognovit, pro singulari sua in eum & sanctam Sedem Apostolicam fide ac pietate, aureorum centum millia ei sponte obtulit. Quod exemplum a Pio mox reliquis ditionis Pontificiæ civitatibus per Italiam benigne propositum, eas ad idem præstandum induxit.

## CAPUT VI.

### Auxilia Italica submissa. Victoria de Hugonotis obtenta.

[117] Sed quoniam ad persolvenda militi stipendia, copiasque in aciem educendas, [In Galliæ colligi ab ecclesiis pecuniam permitens,] Pontificiis auxiliis haud sufficientibus, Ecclesiasticos fructus divendi in ipso regno oportere, Rex & Regina mater supplices postulaverant; Pius Regiis precibus acquiescens (licet ægre, ac multis Cardinalibus reclamantibus, quod antea sacra per hunc modum collata pecunia restituendæ Catholicæ religioni parum profuisset, sed potius, quod magis dolendum, hæreticis commodo fuisset) per diploma illis indulsit, ut ex Gallicarum Ecclesiarum vectigalibus centum millia nummum aureorum possent alienare, ea tamen lege, ut pecunia ipsa Pontificii Quæstoris mandato colligeretur, ab ejusmodi exactione ordinariis regiis Quæstoribus submotis. Hoc itaque ab Internuntio & a Quæstore

Pontificio procuratum est. Atque ut, quoad ejus fieri posset, hujusmodi vectigalium sive obligatio sive alienatio caveretur, nonnullis ecclesiis, ac sacerdotiis (parochiis tamen exceptis) tributum est imperatum, jussumque certas in tabulis condiciones adhiberi, de rebus divenditis intra decennium redimendis, quibus conditionibus Rex ille Reginaque parens teneri se voluerunt. Ex variis igitur Galliarum partibus collectæ pecuniæ summa fuit ad quingenta septuagintaque millia nummum aureorum.

[118] Summo præterea studio contendit, ut Rex, qui jam adultus venerat in tutelam suam, [impetrat edicta contra hæreticos,] evulgaret edictum, quo aliud olim Aureliis, anno MDLXII, ab se per nimiam in hæreticos indulgentiam editum, uti fecit, antiquaret; hæreticisque ministris, ut ejus regno quamprimum excederent, imperaret: aperte professus, nolle se uti opera eorum, qui Catholici non essent. Curavit præterea Pius, ut jussu regio hæreticorum facultates, fisco jam addictæ, diligenter exigenterentur; honoresque & dignitates, illis depulsis vacantes, rei que publicæ ministeria Catholicis viris mandarentur. Cum vero Metis esset Rex, Fabio Mirto Episcopo Calatino, mox Archiepiscopo Nazareti, tunc Internuntio Apostolico suadente, templum ab Hugonotis exstructum, in quo ipsi congregari consueverant, funditus everti jussit. Qua in urbe accepto nuntio de clade cædeque, Condensi Principi ejusque copiis ad Jarnacium illata, præsidia submitit ad ea recuperanda oppida, quæ ab hostibus occupabantur. Ii mox Admiratio duce receptis armis, Reginæ Navarræ ope subnixi, ad cohortes suas cum exercitu Bipontini Ducis, qui Ligerim amnem jam transmiserat, conjungendas ire perrexerunt.

[119] [submitit militem,] At Pius, promissa subsidia identidem subministrare non desinens, quatuor millia quingentosque pedites Italos, equitesque mille, delectu habito, stipendiis assciscit, eoque destinavit. Ei præterea



**Cosmus Florentiæ Dux mille pedites equitesque ducentos soluto stipendio misit auxilio. Quarum quidem copiarum omnium, atque adeo Pontificii totius exercitus imperator, ab ipso Pontifice declaratus est Sfortia, Comes Sanctæ-Floræ, vir non minore generis splendore quam bellicæ virtutis prudentisque consilii laude præstantissimus: Florentinis autem copiis & omni equitatu Marius, peditibus vero Paulus ejusdem Comitatus fratres, spectata fortitudine duces, præfecti sunt. His assciscere & alii complures equites Itali, nobilitate generis & militari virtute insignes, qui nullis stipendiis neque prædæ spe allecti, sed religionis vindicandæ studio, ut Pio deservirent Galliæque prodessent, huic bello strenuam operam navaverunt. [Epist, 24, 25, 26 lib. 1, Epist. 46 lib. 3]**

**[120] Ducibus vero Pius ad Christianam disciplinam instituendorum militum rationem ac formulam præscripsit. [leges præscribit Ducibus,] Ac prima quidem arma fuere, pietas atque religio in Deum Optimum Maximum, quo sine boni fieri nihil potest: deinde vero in præfectos cujusque suos obedientia, firmaque inter se concordia: singulos suis contentos esse stipendiis, nefaria maledicta in Deum execrari, corruptum ludendi morem, aliaque vitia defugere: ut vel hac ratione per exempla cognoscerent illi populi, ad se missos esse sanctæ Ecclesiæ milites, vere Catholicos, qui eos ab hæreticorum ferocia atque impietate vindicarent; non autem dissolutos homines, qui incolarum bona prædarentur, aut domos expilarent. Hunc vero selectorum militum numerum cogi facile fuit, pro summa Pontificis in dando stipendio liberalitate, [prospicit militum corporibus animisque,] ac magnificentia in copiarum ducibus remunerandis; atque pro diligenti cura quam, ut cibaria & comæatus abunde commodeque suppeterent, geri volebat; & item eis, qui vel ex morbo vel ex vulnere decumberent, sedula adhibenda curatione: quos etiam eo, unde profecti erant, quoad ejus fieri posset, incolumes reducendos, sumptibus**

suis curaturum esse pro sua caritate pollicebatur ipse, in seque recipiebat. His adjiciebat alias præterea multas easque haud contemnendas commodorum pollicitationes. Cujus quidem rei multis ab hinc seculis haud facile par exemplum fortasse reperitur. Emisit inde Sacerdotes, qui eos ad sacrosanctæ Confessionis & Eucharistiæ frequentem usum cohortarentur, æternæque morientium saluti consulerent. Omni genere commercii, privatique sermonis, ac disputationis cum hæreticis habendæ illis interdixit: ne item nostri eos exciperent, ne vetitis aut libris aut scriptis, quæ depravatæ detestabilisque doctrinæ suspecta esse possent, uterentur. Quod si ipse summus copiarum Dux, vel de pace vel de rerum compositione quidquam Catholicæ religioni damnosum præsentiret; imperavit e vestigio aut converso itinere in Italiam remearet, aut ad Catholicum exercitum in Belgio cum hæreticis bellantem sese conferret & adjungeret.

[121] Regiam autem existimationem, ac decus non mediocriter auxit, [Ab his soluta Pictavensis obsidio,] quæ toto regno percrebuerat fama de Pontificio Italicarum gentium auxilio, uti viribus pervalido ita Christianis moribus egregie instructo. Quæ quidem copiæ decora specie atque ordine in aciem prodire, summa cum omnium admiratione, Regina Catholicisque omnibus eximiis laudibus Pontificem extollentibus. Ex hoc autem Italico milite equites levis armaturæ ducenti & quinquaginta, ac totidem equites minoribus armati tormentis, Paulo Sfortia Angeloque Cæsio ducibus Pictavium ingressi, furorem impetumque hostium repressere. [Epist. 9 l. 3] Quo quidem insigni oppido aliquando tandem obsidione liberato; nostri conjunctis viribus ad Principem Andegavensem profecti, utriusque partis cohortes copulavere, pugnam commissuri. Quo in negotio Comitæ Sanctæ-Floræ consilio idem Princeps utebatur ad omnia, ut Regina mater illi præscripserat.

[122] Sed priusquam certamen inirent, Duces sua quisque lingua milites ad aggrediendum fortiter hostem accendebant. A nefariis ejus sacrilegiis, cædibus, crudelitateque regii orsi sunt: [qui deinde ducum suorum monitis animati.] adjecerunt scelere occupatas urbes atque oppida; nefandis rapinis direpta, & incensa templa; divina omnia atque humana prostrata jura. Tantorum igitur scelerum vindictam exigent: gloriam Dei; sacrorum religionem, Gallici regni & Italiæ libertatem in dextris suis portare se cogitent. Vincentibus omnia tuta, metu cedentibus omnia infausta fore. Hæc & alia Duces communiter. Separatim vero Sfortia, advocata Italarum concione, sic eos hortabatur. Si qui sitis, a quo missi, quamobrem huc concesseritis, quibuscum res vobis sit, quæque præmia vos maneant, memineritis; vicimus, commilitones. Vos Italo sanguine procreati estis: quod nomen non solum factis fortibus & militari gloria ceteris gentibus semper antecessit, sed totum fere terrarum orbem virtute domuit, victoriisque Romanum Imperium longe lateque propagavit. [ad rem fortiter gerendam pro religione,] Nisi passuri estis, ut a natura inditum genti bonum per vos turpiter degenerasse videatur, vobis æmulanda majorum gloria est, fama apud Gallos par illi priscae obtinenda, idemque specimen animorum ostendendum. Illud deinde animis vestris proponere debetis, vos non, ut olim Romani milites, a Julio Cæsare vel a quovis alio Ethnico Rege, sed a summo Regum Rege Christo Deo Optimo Maximo, per ejus in terris Vicarium sanctissimum, qui divino regitur consilio, in Galliam missos esse; non ut pro regni libertate tantum dimicaretis, sed ut Gallis a falsis opinionibus atque ab hæresibus defensis, & vobis delictorum expiationem divinamque gratiam promereretis, & illis in salutis viam reductis, omnis Gallia in posterum antiquo instituto secundum Deum Apostolicam Sedem, qua par est, obedientia & cultu veneraretur.

[123] Jam vero quibuscum certamen vobis sit futurum, considerate. Non enim virtute ulla, aut rei militaris scientia, & usu muniti sunt hostes ac firmi: sed agunt eos præcipites detestabilia scelera, [adversus Deo & Regi rebelles,] quibus & se a Deo abalienarunt, & a legitimo Rege defecerunt, cognatorumque sanguine imbutis animis & armis, sese communi humani generis hosti conjunxerunt: conscelerata sacrilegia, execrabiles Sacerdotum cædes, nefaria præda, qua se ac domos contaminarunt suas, illata sacris Virginibus stupra, eos ad exitium ac supplicia, quæ impiis constituta sunt, rapiunt. Gens ferocior ad rebellandum quam ad bellandum, irato magis Deo quam Rege dimicatura est. Illud testimonio fuerit, quod quoties signa contulerint, toties cæsi sunt ac superati. Præmia vobis ea proposita sunt, quibus ampliora ne homines quidem a Deo optare possunt. Nulla habet annalium memoria, ullum umquam Principem, quam Pium V in benemeritos fuisse gratiorem. Is enim est, ut non solum quid merueritis, sed etiam quid desideretis, quidque vos deceat, sit consideraturus, dignioraque expectatione vestra præmia collaturus. Quare præterquam quod conservati regni Gallici immortalẽm vobis gloriam, [cum spe temporalis atque æterni præmii,] reditumque in patriam clarum & memorabilem parabitis, spolia quoque manantia hæreticorum cruore Romam ad triumphum deferetis: atque; quod caput est, ad æternas in cælis sedes aditum vobis aperietis. Pro Dei causa pugnantibus, ut divinum non deerit auxilium, ita Deo digna, hoc est immensa & immortalia, seu vivere seu mori in prælio contigerit, parata sunt præmia. In hanc tam opimam mercedem intuentes, agite cum Deo, arma expedite, atque hostilem aciem invadite; barbaræque arrogantiae, qua & Romam & Italiam direpturos minati sunt, pœnas expetite.

[124] [hostem insigni prælio fundunt,] His autem verbis ad pugnam fortissime committendam vehementius

inflammati sunt militum animi, statimque Pontificiis cum Regis copiis adjunctis, cum Andegavensis Dux acie instructa adversus hostes iter intendisset, in Pictonibus ad locum Mongunturcium appellatum, collatis signis, fracti cæsique hostes ingentem a Catholicis cladem acceperunt, contrucidatis in eo prælio duodecim & amplius hæreticorum peditum millibus, milleque & quingentis equitibus: ex nostris vero fere quingenti desiderati sunt. Ex quo quidem felici certamine magna Italico nomini facta gloriæ accessio est: si quidem pedites Itali, in primo agmine dispositi, fortiter impressione facta, tanto impetu in Teutonicorum aciem irrupere, ut eos, quamvis numero superiores, brevi tempore fregerint ac trucidarint. Equites vero cum ipso Comite Sanctæ-Floræ, qui erant in dextro cornu, Regiis alis militumque magistris adiuti, affulgentem victoriæ spem amplexi, incitatis animis hostiles conatus irritos efficiebant. Parta victoria est V Non. Octobr. anno MDLXIX, Catholicis omnibus pie lætantibus. At Pius de re bene gesta certior factus, [Pius Deo victoriam gratulatus,] quantas maximas potuit divinæ majestati gratias egit: atque ut idem ab omnibus efficeretur, publicas ac solemnes per triduum ad tres Urbis Ecclesias supplicationes indixit: quibus ipse pedes & Clerus populusque Romanus interfuit, ac piis gaudiis voluit Urbem totam compleri. Mox Urbanis Magistratibus ob significationem grati animi, quo populus Romanus Galliarum salutem, Catholicorumque bonum gratulabatur, in ludos & munera magnos sumptus facere cogitantibus, id Pius fieri non probans, ejusmodi pecuniam pauperibus erogandam censuit. [Epist, 10, 11, 13, 14, 15, 16, 17, 29, 47, 48 lib. 3.]

[125] Ex eo prælio Catholici captivum duxerunt insignem, Uticensem Principem Hugonotum, hostilis peditatus Præfectum: [captum Vti. censem Principem gratis dimittit:] qui cum pro sui redemptione decies mille

nummos aureos offerret, id Pius ubi cognovit, de Comite Sanctæ-Floræ conquestus est, quod jussa non fecisset ejus, dudum imperantis, necandos protinus esse hæreticos omnes quoscumque ille capere potuisset. At vero, quando interposita jam in id Gallorum Regis auctoritate res haud erat integra, ut captivus dimitteretur, neque redemptionis causa quidquam acciperetur, imperavit. Ut vel inde posset intelligi, unam gloriam Dei cum religionis, animarumque salute conjunctam, præterea nihil, Pium illo bello spectavisse: [visusque cælitus adjuvari,] hoc enim consilio sanctoque proposito bella gerentibus divinum auxilium adesse solet. Id quod cum alias sæpe, tum in hac ipsa pugna contigisse memoratur: etenim narraverunt proinde multi Cardinali Alexandrino, in primis dux quidam militaris clari nominis, dum vexilla Pontificia explicarentur, vidisse se hominum speciem in sublimi aëre, lucidissimis armis refulgentium, contra hæreticorum acies, in quibus erat ipse, districtis gladiis sanguinolentis; ac propterea sese ad Catholicam fidem convertisse, Deoque voto concepto se adstrinxisse, si periculum illud evaderet, Pii se signa perpetuo sectaturum.

[126] Ejusdem porro victoriæ tantum Pio tribuendum esse plerique existimarunt, ut omnes totam ei secundum Deum acceptam referrent: cum præsertim Pontificiæ copiae auxiliarii que milites obsidionis vim Pictavii fortiter sustinuissent, [vexilla 27 in Lateranensi suspendit,] gravi que prælio hostes debellasset; ex iis quingentis, paulo ante quam cuncti funderentur, occisis: cum etiam in ipso conflictu, in eos eruptione facta, iidem primi conflixissent, ab hostiumque insectatione postremi destitissent: a quibus abstulere signa septem & viginti, quæ Romam a Comite Sanctæ-Floræ missa, & a Paulo ejus fratre, qui in eo bello strenue sese gesserat, in frequenti Romanorum Procerum comitatu oblata Pontifici; is alacriter suscepta in Lateranensi templo, ubi nunc

etiam pendent, magna ceremonia suspendi jussit: hisce verbis, quæ statim ipse dictavit, ad gloriam Dei perpetuamque rei memoriam, incisis in marmore. Pius V. Pont. Max. Signa de Caroli IX Christianissimi Gallicæ Regis perduellibus, [addito titulo] iisdemque Ecclesiæ hostibus, a Sfortia Comite Sanctæ-Floræ, Pontificii auxiliarii exercitus Duce, capta relataque, in principe Ecclesiarum Basilica suspendit, & Omnipotenti Deo tantæ victoriæ auctori dicavit, anno MDLXX.

## CAPUT VII.

Contra hæreses in Belgio monitæ & auxilia data.

### CAP. X

[127] Dum hæc geruntur in Gallia; ad evellendas hæreses motusque sedandos in Belgio, [Hæreticis in Belgio rebellantibus,] Pius animum adjecit. Belgæ namque, pestilentium & ipsi hæreticorum fraude decepti, cum jam inde a Caroli V Cæsaris tempore insana quædam agitare consilia, ac deinceps Gallorum exemplo permoti tragice tumultuari sæpe cœpissent; res eo spectare videbatur, ut antiquo sacrorum ritu prorsus abjecto, Philippi Regis Catholici legitime illis imperantis jugum excuterent. Hujus autem vel excitandæ vel augendæ seditionis occasionem inde acceptam esse ferunt. Mandaverat olim idem Rex Margaritæ Austriacæ sorori suæ, Parmæ Placentiæque Principi, Belgium pro eo tum gubernanti, ut, ad conservandam ac propagandam ibi Catholicam fidem, edicta omnia Caroli V parentis sui adversus hæreses olim edita, itemque Tridentini Concilii decreta, quæ præsertim ad ordinandam Sacerdotum disciplinam pertinerent, atque alia quædam pia ac rationi consentanea instituta, promulgari servarique curaret. Et quamquam vellet Rex, [& pretextu arcendæ Inquisitionis,] ut qualis antea sub Carolo V iis in regionibus sacra in hæreticos fuerat Inquisitio, talis deinceps usu retineretur; tamen jussis

regiis a Gubernatrice promulgatis, in vulgus continuo sparsi rumores sunt, ac deinde nonnullis Belgii magistratibus virisque Principibus persuasum, iis edictis Hispanicam in reos violatæ religionis inquirendi consuetudinem, quæ pro superiorum temporum licentia genti severior esse videretur, in Belgas introduci: idque antiquis eorum institutis & legibus, atque adeo & privatæ & publicæ repugnare libertati.

[128] Inde porro nobiles aliquot inter viros ictum est fœdus: [eadem quæ Hugonotti patrantibus,] in quod initio Catholici quidam, quod ad Hispanicam Inquisitionem arcendam attinet, feruntur consensisse; qui tamen postea ab illis sese disjungere. Sed hæretici, turbulentum hominum genus salutariumque legum impatiens, conjunctis animis in Ecclesiam Dei in suumque Regem nefarie conspirantes, sacra profanaque omnia vastare, diripere, violare, convellere instituerunt; ac deinceps eadem fere impietatis & crudelitatis plena flagitia, quæ ab Hugonotis sociis eorum in Galliis commissa memoravimus, crebris eruptionibus in Belgio per multos annos patrare vix tandem bellis attriti destiterunt. Hæc igitur mala Pius non sine magno dolore cum partim jam præterita deploraret, [ut eo proficiscatur Regem hortatur Pontifex,] partim præsentia lugeret, partim vero futura prospiceret; iis, quoad ejus fieri posset, omni studio occurrendum existimavit. Præsens atque optimum tantis tollendis seditionibus, rebusque omnibus in pristinum statum restituendis remedium esse videbatur, si Rex ipse in Belgium proficisceretur, rebellesque vel compesceret præsens vel profligaret, & Catholicam religionem tueretur: quod ne præstare cunctaretur, & litteris & nuntiis eum Pius graviter hortabatur.

[129] At vero, quoniam post Caroli Cæsaris obitum, veterem Belgicæ administrationis morem gubernandique rationem Rex immutaverat; fuere qui ei consulerent,



operæpretium fore, si eas ipse gentes tantum ad politicam præstandam obedientiam adduceret, [neve in causa religionis dissimulandum sibi potet,] causamque religionis in aliud tempus connivendo protraheret, ipsis interim populis super ea re quamcumque vellent facta potestate. [Epist. 5 l. 1] Qua re cognita Pius, ad Regem manu sua scripsit, ejusmodique sententiam vehementer improbavit; ostendens quia Cæsari Carolo V suasum olim fuerat, ut politica solum in Germania negotia procuraret, in causa vero Catholicæ fidei conniveret; neque interim de Protestantibus reportata victoria uti voluerat; accidisse, ut pacem in ea provincia nullam ille reliquisset: quin etiam intra paucos admodum annos contagione in ceteras partes late diffusa, in id quo laborarent periculi ditiones Belgicas conjectas videri. quod si eo tempore, quo Christiana religio inibi minus erat abjecta, captum Caroli consilium ei graviter obfuit, quanto pejorem simili de causa rerum afflictarum exitum impendere dicendum?

[130] [id enim ipsius policti status perniciem fore,] Adjiciebat, Christianos Principes, primis harum factionum temporibus, aliquam excusationis causam objicere fortasse potuisse, non quidem de remissis eorum in divino tutando cultu studiis intelligens; sed quia quorsum factiones ipsæ specie religionis evasuræ viderentur, minus animis prospexissent: mox vero tandem, post tot tantasque seditiones provinciarumque tumultus, non modo nullum excusationis locum illis relictum esse, quod profligandarum hæresum consilium initio non cepissent; sed etiam, nisi primo quoque tempore expeditis validisque præsidiis rem Catholicam tuendam decernerent, brevi futurum, ut ab hæreticis omnis defensionis facultas ac spes illis præriperetur. Itaque religionis patrociniū dissimulanter deserere, ne vel populi tumultuentur, vel pravæ vicinarum gentium mentes periculosius irritentur, interea loci facta illis arbitrato suo concionandi conventiculaque habendi potestate, nihil

esse aliud, quam ignem fovere, ac fomitem congerere ut majoribus flammis exardescat. Etenim religione Catholica Romana, quæ una vera ac solida religio est, sicuti fidei soliditas atque amor in Deum & homines, veram in Præfectos obedientiam summa cum rerum tranquillitate conjunctam solet afferre; ita contra spiritus hæreticus, pravis in hominum mentibus insidens ac delitescens, aliquorsum tandem graviter erumpat necesse esse, ingentemque rebus inferat perturbationem. Ac miserum quidem certe Christianæ reipublicæ statum esse propterea Pius dicebat, quod hæreticis religionis causam in dies audacius prætendentibus, ejusdem religionis tutelam Catholici dissimulando negligenter: ideoque permittere Deum, ut eisdem dissimulandi rationibus amittant ipsi jura sua atque ditiones, quas inique tueri sine ope divina & conservare conarentur, ei qui potest omnia confidere nolentes: atque ita divino fieri judicio, ut subjectorum suorum ipsi subjiciantur imperio.

[131] Ut igitur primo quoque tempore in Belgas armata manu sese conferret, Regem & monebat & hortabatur: [aut credat agi rem sine armis posse:] dicereque solebat, in rebellionibus, dum res agitur absque armis, non dantur leges, sed accipiuntur; nec dominorum jussa fiunt, sed subditorum. Neque vero quemquam ex Regiis administris, quamvis magnum & præpotentem ei rei gerendæ præficiendum esse; quoniam id ejusmodi in negotiis haud esset opportunum, præsertim apud eos qui extraneos Magistratus perpetuo repudiassent. Et quando ad expediendum exercitum mature facto esset opus, suadebat Regi, ut Mediolanum interim appropinquaret. Ac Pontificis quidem ea sententia fuit, ut Rex cum primum in Belgas esset ingressus, continuo pestem illam radicitus evelleret, neque ullum dissimulantibus relinqueret locum. Hæc autem omnia Regi voluit ipse renuntiari. Ad quem ea de re subinde Petrum Camajanum, Asculanorum Episcopum, Internuntium Apostolicum misit: secus enim

fore, ut exitiale rebellionis exemplum ex ejusmodi negligentia consequeretur in ceteris ejus ditionibus, in primisque Mediolanensi, Neapolitana ac Siciliensi: quibus locis dubio procul malæ sementes factæ jam essent, gravesque animorum reperirentur offensiones. Ad hæc vero denuntiabat, nisi præsentia sua rebus modum afferret, haud ita magno temporis intervallo futurum, ut & in Belgis religio jam inculta periret, & Rex ipse ditionibus suis exutus condoleret: propterea in ea re insistendum esse vestigiis Caroli V, qui ob unam Gandavensem defectionem, posthabitis ceteris rebus omnibus, ex Hispania discessit; atque Regis æmuli sui fidei sese committens, Galliam prætervectus in Belgasque progressus, eos motus omnes sustulit ac tranquillavit.

[132] Ceterum facultatem illam, quam Cruciatam appellant, illi petenti se numquam concessurum, sicuti nec antea concesserat, nisi Rex ipse rebus gerendis interesset. Quo de genere facultatis variis temporibus ad Regem litteras dedit, [Cruciatam tamen ei negat] quæ illum ab ea petitione revocarent: si quidem certo scire se, ea in re corruptelas inesse quamplurimas: quocirca variis eam conditionibus ac finibus cunctabundus circumscribebat, nam se pro sua conscientia secus facere non posse. Regem præterea monebat, ne novis vectigalibus atque Ecclesiasticis fructibus frui admodum curaret: quinimo regnis ejus animæque saluti magis ex usu futurum, [& alia utilia suadet] si se privaret illis, quibus ad eam usque diem usus fuisset in præsentiaque uteretur. Neque tantam habendam esse rationem vel propriæ utilitatis vel publicorum quo minus imminuerentur vectigalium, in Rhætorum Helvetiorumque commercio, ob hæreticæ pestis contagia, cum Mediolanensis ditionis subjectis sibi populis interdicens; quanta habenda ratio est detrimenti, quod in Catholican religionem inde recideret, cui rei Belgium esset exemplo.

[133] His addebat alia monitorum genera, de Ecclesiasticæ jurisdictionis violatione in Neapolitano Siciliensique regnis: quæis de rebus sæpius ipse manu sua litteras ad Regem conscripsit, [contra damnosas politicorum suggestiones,] demonstrans, perniciosam hanc cogitationem Principum ministris instinctu dæmonis subjici solere per speciem, quod Ecclesiasticam jurisdictionem Pontificibus administrandam relinquere, laicis Principibus civilium & humanarum rerum damnum inferret: atque hunc primum esse gradum causamque ab Ecclesia Catholica deficiendi. Sed enim Pius, nulla interposita mora, Julium Pavesium, virum eximia virtute & doctrina præditum, Surrentanorum Archiepiscopum, Internuntium legavit ad Belgas: quibuscum ille collocutus de tumultibus cognosceret, ut morbi vi causaque cognita, præsens remedium commodius posset adhiberi. Ceterum ejusmodi paterna ac pia vere Pii Pontificis & cohortationis & legationis officia, grato animo Rex, pro singulari perpetuaque sua in Apostolicam Sedem observantia ac pietate, semper accepit: atque ipse Catholicæ religionis & cultor & patronus egregius, quod eidem religioni obesse posse videretur, nihil omnino subjectis sibi ditionibus indulgendum esse decrevit.

## CAP. XI

[134] At cum, pro summa & sua & Pontificis voluntate, gravissimis de causis in Belgium trajicere Rex ipse non posset; Ferdinandum Toletum, Albanum Ducem, magnæ virum auctoritatis magnæque prudentiæ, & bellicarum virtutum gloria clarum, illarum ditionum omnium Gubernatorem declaravit, eoque maximis copiis instructum cum imperio misit. Quæ per idem tempus ac deinceps, [Ad Ducem Albanum cum copiis in Belgium missum,] iis tollendis seditionibus motibusque sedandis ibi gesserit Albanus, ea litteris tradere alieni fuerit instituti: nonnulla tamen ex iis quam brevissime

complectar, quæ a suscepta narratione minime visa fuerint abhorrere. Is igitur insructissimo cum exercitu in Belgium vixdum ingressus, tantum hæreticis ac foederatis perduellibus terrorem iniecit, ut complures, ab eo sibi metuentes, finitimas in provincias illico fugitarint. Mox Bruxellis honorifice acceptus a Gubernatrice, cum ex ea de statu regionis multa didicisset, ac plerisque perduellium locis graviore periculo laborantibus nova constituere præsidia instituisset, quosdamque primarios viros, & quotquot seditionis vel auctores vel participes comprehendere potuit, in vincula coniecisset; eos extremo supplicio publice afficiendos pro potestate mandavit: licet duriore, quam par esset, iudicio in nonnullos animadvertisse diceretur. In iis fuere Comites duo magni nominis, Agamontius & Hornensis; qui, quod ambo rebellium fœderi sese admiscuisse iudicarentur, capitis damnati perduellionis pœnas dederunt. Antverpiam Albanus inde profectus, cum ibi munitissimam arcem, ad eam civitatem in officio continendam ac communiendam, ædificare cœpisset, perduelliumque & hæreticorum bona fisco jam addixisset; ex iis sacras ædes monasteriaque ab illis destructa denuo iussit instaurari, quemadmodum per litteras mandaverat Pius, ab Regeque depoposcerat Internuntius Pontificius, qui id ipsum omnino præstari curavit.

[135] At vero Princeps Aurantius & frater ejus Ludovicus Comes Nassovius, e Belgio in Germaniam superiorem profugerunt; [pecunias dirigit contra hæreticos a Germanis adjutos:] conquerentesque se Belgicarum legum ac Lutheranae factionis, cujus se propugnatores esse profitebantur, tutandæ causa sedibus suis esse depulsos, opem inde postulaverunt. Hinc Saxonicae & Pontanorum Duces, Comes Palatinus Casimirus, alique præterea multi hæretici nominis, qui Catholici Regis oderant amplitudinem, favebant Aurantio; & ob id cogendis copiis operam dabant. Quocirca Pius

animadversa rei necessitate, Albano ingentem illico pecuniarum vim subsidio misit, eum crebris & litteris & nuntiis magis ac magis impellens, ad hæreticorum omni barbarie majorem comprimendam impietatem. Atque Regi super Hispaniarum ecclesiis magnum aureorum numerum, quos quingentena millia fuisse quidam ajunt, in annos singulos se concessurum esse pollicebatur, dummodo ipsemet rei gerendæ præsens interesse voluisset: quod si faceret, quidquid præterea petiisset se facile daturum. [iisque post primam cladem,] At enim Albanus, magna adhibita severitate, prout in præsentia opus esse videbatur, de multis sumpto supplicio, cum ad amnem Mosam, quem Germanicæ Aurantii copiæ trajicere cogitabant, exercitum emisisset, hostes est aggressus: quos per Clivensem regionem diffugientes ad Doleram Catholici consecrati, eorum circiter mille sexcentos, & in iis multos primarios viros ceciderunt: ex Catholicis autem quadraginta tantum sunt desiderati.

[136] At vero perduellium usquequaque numerus augebatur in dies, majoraque subsidia, continenter illis afferebantur. Etenim Comes Ochstratanus, cum duobus equitum, [magna subsidiorum accessione auctis.] quatuorque peditum millibus, ex Alemannia in Geldriam transmisit: e Frisia vero cum Nassovio confluxerunt decem peditum, equitum tria millia. Aurantius quoque Princeps quatuor & viginti peditum signa, equitum octo millia ductans, nostris infestus appropinquabat. Nassovius dein, Anglorum etiam Reginæ ope subnixus, atque aliis auctus auxiliis, quasdam Regis Catholici ditiones occupare cum jam instituisset, copias suas ad Gruningam Frisiæ munitum oppidum continebat, ibique se præsidio communierat, veritus ne quid detrimenti a Chiapino Vitellio, cum exercitus parte præire jusso, caperet. Albanus interea, prius quam Aurantius cum Nassovio conjungeretur, in aciem cohortes eduxit; quibus assidue magna fiebat accessio Italicorum militum, suadente Pio,

subsidii causa eodem convolantium. Ad hostes demum ubi pervenit Albanus, haud quaquam bellum cunctandum esse ratus; eorum propugnaculum, circumjacentibus aquis præmunitum, [iterumque cæsis,] ac terra alte defossa repletum, in fronteque bene suffultum, fortiter adortus, illud in potestatem redegit, hostilibus copiis ingenti agmine sese retro proripientibus. Verum haud longe regressi, a Catholicis fusi fractique sunt; eorumque dux in fugam ita conjectus est, ut armis ac vestimentis abjectis, vix evadere potuerit. Porro Albanus per noctem ibi subsistens de hostibus insectandis cogitabat: itaque prima luce castra movet, eosque prosequens, paucis post diebus Amasium amnem a tergo jam ab illis occupatum esse, atque Aurantii subsidiarios expectantes, loco fossis & canalibus ita præmunito, consedissee reperit, ut inexpugnabilis prorsus esse videretur. Sed eum fortiter invadere non dubitans, victor discessit, hostium septem millibus & amplius trucidatis: vivere vel roganti nemini permissum: ex Catholicis octo tantum occisis, totidemque vulneratis. Quo prælio tormenta majora sexdecim, ac præterea signa militaria viginti, ceteris quatuor in flumen ab hostibus injectis, victores acceperunt.

[137] De qua quidem victoria Dux extemplo nuntios misit ad Pium, qui pro ea re assiduis precibus Deum interim obsecrabat. His rebus cognitis, Pontifex confestim, [solennes gratias Deo agit,] tribus diebus ineuntis Augusti mensis anno MDLXVIII, ad tres Urbis sacras basilicas celebres supplicationes, pauperibus eroganda subsidia, ibique rem divinam magna ceremonia faciendam decrevit: quibus quidem supplicationibus, cum universo Clero populoque Romano, pedes interfuit ipsemet, ad agendas ex more gratias divinæ majestati. [Epist. 15 & 21. l. 2] Quod miro fuit pietatis exemplo, dum pedibus procederet, sacras preces de libello, quem manibus tenebat, pie recitans, tam supervenientem pluviam quam solis æstum parvipendens. Atque ad majorem

**hæreticorum animis metum incutiendum, jussit Urbe tota, & ignibus & omnium arcis tormentorum festo strepitu, universos impense lætari. Nec ita multis interjectis diebus terrificum exercitum suum in Belgas cum traduxisset Aurantius, tamen cum Albano signa conferre cunctabatur, scilicet ut interim populi rebellarent. Quod cum haud evenisset, eum amnem Mosam transmittentem Albanus adortus, ad quinque millia hominum obtruncavit. Qua quidem ille accepta clade, in Alemanniam sibi remeandum esse, hieme præsertim jam ineunte, cogitavit.**

**[138] Sed illud hoc loco non omittendum, quod in hoc bello magna omnium admiratione, [Agnos Dei utiliter in milites distribuit,] atque utinam pari hæreticorum ad rectam fidem conversione, divinitus accidisse graves auctores litteris prodidere. Hispanum militem Catholicum, inter alios quos ita peremerunt, ab Aurantio captum arborique alligatum, impii milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occidere conati, tantum abfuit ut illum confoderent, ut ne creberrimis quidem ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis vel minimum lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, eum vestibus exuere cœperunt; rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo præsidii reperissent, præter sacrum Agnum e collo pendentem, ex iis (ut conjectura est) quos Pius V primo sui Pontificatus anno de more consecraverat (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam & Belgium, præsertim militibus pro fide Catholica dimicantibus distribuendos curaverat) hoc illi detracto, primo ictu transverberatus occubuit.**

**[139] Ceterum Galliarum Rex, ad opem Albano ferendam incitatus a Pio, bis mille pedites minoribus tormentis instructos, [impetrat Albano suppetias e Gallia] milleque ducentos equites a Marescallo Cosse ductos, ei subsidio**



misit. Interea Pius viros decrevit, qui cœnobitatum Ordines ac monasteria ibi perlustrarent & recognoscerent, ad veteremque revocarent pietatis disciplinam, & ab hæreticis vexatos Catholicos sublevarent. Jam vero tandem ex iis locis Aurantio depulso, Pontifex Albano, tamquam de Ecclesia Dei optime merito, [eidem ensem & pileum mittit,] pileum ensemque decore gemmis ornatos, ac Pontificiis de more precibus consecratos transmisit: cum alioqui ejusmodi virtutum insignia, ferme Romæ capi manu Pontificia dudum consuissent. His autem muneribus, & honoris & grati animi causa, illustres Catholicæ veritatis conservatores ornare consueverunt summi Pontifices, ut ii turbulentis in rebus afflictam Christianam rempublicam tueri atque protegere velint impensius. At vero Pius, ut ad Christi gregem errantes oves Pastor bonus reduceret, atque omnes Catholicæ pietatis in officio contineret, jam ignoverat iis omnibus qui hæreses execrati ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem reverterentur: ex quo factum, ut ope divina, quamplurimi hæretica deposita malitia, ad Catholicæ veritatis cultum adducti, pie vitam instituerint. Quamobrem ad eum Albanus litteras dedit in hanc sententiam. Tanta illorum est multitudo, qui ad eam, [& ab hæresi multos abducit.] quam in rectam Catholicæ religionis viam redire volentibus Sanctitas tua fecit, gratiam amplectendam quotidie confluunt (id quod & ab Episcopis & ab Legatis Prolegatisque provinciarum refertur ad me) ut eorum numerus percenseri vix posse videatur. Et sane vel in hoc nemo non admiratur egregiam curam ac sollicitudinem, quam adhibet Beatitudo tua, cum omnium quidem expetenda salute, tum vero etiam eisdem summis precibus Deo commendandis. Cui quidem confido futurum, ut vita tua tam præclare sancteque acta, e totius Christianæ reipublicæ agro pestilentes hæreses brevi convellantur. Recens vero creati sacrorum Antistites tam egregie præstant officium quisque suum, ut a Sanctitate

tua eo in gradu collocati plane fuisse perspiciantur. Quare ei qui mihi succedet, illud unum in his ditionibus præstandum relinquitur, ut nimirum quo in statu sunt res, in eo sedulo conservet ac tueatur.

### LIBER III.

**Varia pro fide Catholica stabilienda & hæresi deprimenda per orbem a Pio V fortiter patrata.**

#### CAPUT I.

**Res ecclesiastica in regno Neapolitano restituta.  
Bulla Cœnæ Domini, ubique promulgata.**

[140] Iam vero cum in ipso Rege Catholico, & animum egregie pium, & eximiam erga sacrosanctam Sedem Apostolicam fidem atque obedientiam, ac denique singulare tum Catholicæ tutandæ religionis tum profligandarum hæresum studium Pius optime perspiceret; [Pontificem & Regem, alias optime convenientes,] patrio quodam amore sic eum complectebatur, eaque inter ipsos est mutuo coorta fiducia, ut summo Christianæ reipublicæ bono, tam afflictis in rebus duos haud dissimiles summorum Principum animos, arctissimo amoris vinculo prorsus conjunxisse Deus velle videretur. Etenim Pius nuntio de ægrotatione Regis accepto, sublatis in cælum manibus, divinam clementiam suppliciter imploravit, ut vel eum liberaret a morbo, vel certe sibi corporis imminueret firmitatem, annosque vitæ contraheret suæ, dum illi eosdem adjiceret: quin ejus vitam Christianæ reipublicæ longe magis, quam suam necessariam esse. Verum enimvero, ut difficile est inter mortales, præsertim vero Principes summos, de rebus omnibus ubique convenire; fatendum est, inter eos querelas quasdam extitisse; quarum in altero causa fuit sanctum quoddam consilium ac propositum corruptelas omnes e re Christiana publica

tollendi; [nonnulla controversiæ ortæ salva utrimque pace.] in altero vero statuum, jura, ditiones, regnaque sua eo in statu, quo ea nactus erat, conservandi. Quibus tamen querelis aut contentionibus, de quibus deinceps aliquid commemorare necesse fuerit, amborum animi nihil sunt offensi, quin mutua ut antea benevolentia conjuncti, magna consensione in commune Christianæ rei bonum defixi perpetuo fuere.

[141] Quocirca Pius cum præclare intelligeret, nihil esse vel ad rem Ecclesiasticam ordinandam, vel ad Christianam disciplinam aut lapsam restituendam, aut restitutam conservandam accomodatius, [Ita cum Visitatorem Pius Neapolim misisset,] quam si diœceses accurate visitarentur; id ipse primus aggressus, non solum per Antistites in sua quemque provincia, sed etiam per Apostolicos Visitatores, quos in varias orbis terræ partes emisit, sedulo præstari curavit. Atque a regno Neapolitano rem exorsus, Thomam Orfinum, spectatæ integritatis virum, Visitatorem Apostolicum eo cum potestate misit: qui Strongolensium a Pio factus Episcopus, & obeundis Ecclesiis, & corruptelis tollendis, & salutaribus præscribendis legibus, Neapolim profectus, cum ei Prorex edixisset, ut exsequendi decreti Pontificii regiam facultatem (quam vocant Exsequatur) acciperet, [eique se opponeret Prorex,] id facere constanti animo recusavit. [Epist. 6 l. 1] Se namque missum esse a Christi Vicario, cui haud quaquam esset opus hujusmodi laicorum potestate, atque eo minus in ditionibus Pontifici tributariis: neque vero indigere se aut uti velle litteris commendatitiis, quas illi Prorex ad regios ministros se daturum offerebat: quippe quæ perinde atque ipsa regia facultas valerent. Quo tempore Neapoli Magistratus duo Visitatori audacter obsistere non veriti, nec multo post ambo vita defuncti, terrifico ceteris fuerunt exemplo.

[141] Jam vero cum a Pio Prorex suppliciter impetravisset, ut super hac perscriberetur ad Regem, interimque negotio supersederetur, ita præstitum est. Sed responso serius allato, Pius corruptelam hanc nullo pacto ferre se posse professus, posthabita disputatione de vi generali regiæ ipsius facultatis, rem faciliori conditione transigendam putavit; quod Pontifici, [Rex illum voluit visitationem prosequi,] qui caput & Princeps est Episcoporum omnium, diœceses invisere multo magis liceret, quam propriis Episcopis: qui alioqui diœceses suas absque hujusmodi exsequendi concessu visitare consuissent. Itaque illi, visitationem ut prosequeretur, Pius imperavit; ad Proregemque Rex ipse perscripsit, Pontificem officium suum præstare permetteret. Perlustratæ sunt igitur absque alia Regia facultate Calabrenses, Hydruntinæ, Barienses, ac ceteræ adjacentes Ecclesiæ, in primisque Neapolitana civitas: in qua non solum Ecclesias, ac sacros homines Archiepiscopo subjectos, sed etiam qui ipsi Proregi a sacris erant, immunitatem objicientes, & recognoscendos & emendandos curavit. Quæ res magno tum publico, tum privato bono fuere: atque inde iis in regionibus, quæ antea plurimum imminuta fuerat, Apostolicæ Sedis auctoritas ac reverentia restituta est. Et sane mirum fuit, quocumque pergeret Visitor, magnum populorum spectare concursum, [uti magno cum fructu factum.] omnibus omium ætatum, sexuum, atque ordinum hominibus, ad eum suscipiendum ac venerandum certatim confluentibus; coram eoque in genua procumbentibus, ut vel una illos Pontificali benedictione dignaretur: utpote missus a Pontifice, cujus sanctitatis sic increbuerat fama, ut ab omnibus culta concelebraretur. Idem ferme in Hispania, in Gallia, in Germania, & ubique demum, quocumque ipse Visitatores vel Nuntios misit, contigisse, atque uberrimos pietatis fructus inde consecutos esse constat.

[143] Inter hæc autem Pius, ad rem Christianam & tuendam & vero etiam amplificandam in omnes partes pro munere suo semper intentus, [Circa bullam Cœnæ Domini querelas movente Legato Hispano,] Pontificiam constitutionem, quæ veteri atque recepto Romanorum Pontificum instituto, die Cœnæ Dominicæ sacro promulgari consuevit, non solum in Urbe Roma, sed per universum etiam Christianum orbem & edici jussit & conservari. Quod quidem dum sedulo curaretur, ecce tibi Ludovicus Requesensis, Major Castellæ Præceptor, in aula Pontificia Regis Catholici Legatus, ejus nomine cum Pio expostulare cœpit, primum de inusitata ipsius constitutionis in regnis ejus divulgatione, præsertim vero Neapoli, absque regio exsequendi concessu: dein quod omnibus sacras Consessiones excipientibus Pius imperavisset, ne absolverent eos, qui constitutionem ipsam violassent: in ea quoque adjuncta fuisse multa, quæ cum neque in antiquis neque vero in iis quas vel Julius III, vel Paulus, vel Pius, uterque eo nomine IV, ediderant, continerentur, admodum gravia viderentur esse; sententiis summatim adhibitis, ac verbis generatim significantibus, quæ populis confusionem afferrent, præsertim ob decreta sub anathematis pœna in eos, qui nova imponerent vectigalia: ex quo publicæ quietis exoriretur perturbatio, nonnullis civitatibus ea pensitare recusantibus.

[144] Ceterum quod ad jurisdictionem attinet, Regem habere vetusta & Apostolica decreta legitimaque jura, titulos & possessionem antiquissiman, [& alia plura objiciente,] atque immemorabilem. Pontificiæ auctoritatis usum temperandum esse ad rationem justitiæ, quæ nemini quod suum sit tollit immerito, idque eo minus Principibus publicis in rebus. Sententias præterea, de judiciis in Clericos exercendis adjectas, videri contra Siciliensis regni monarchiam, quæ & Apostolicis niteretur privilegiis & jure possessionis uteretur vetustissimo.

Offendi porro ipsum Reem, quod Paulum Odescalcum, Internuntium Pontificium, ejus regni citra ultraque Pharum Ecclesiasticæque libertatis propugnatorem appellandum Pius censuisset. Nam inde videri, velle Pontificem, Legatos in Siciliam inducere, nihil obstante monarchia; cumque Reges ipsius regni natos se esse Legatos obtendant, munus regium esse, Ecclesiæ atque immunitatum se vindicem ibi ac patronum profiteri. Neque vero minus Regem dolere, S. Lazari militiam, se inscio, in regna tua inductam fuisse, aliaque præterea multa edicta publicata, ac præsertim illud super iniquis Ecclesiasticorum bonorum alienationibus editum. Querebatur denique de armata satellitum cohorte Archiepiscopi Mediolanensis, qua illum uti non posse contendebat.

[145] His autem querelis Pontifex respondendum putavit, non quidem quod de rebus a se gestis rationem laicis Principibus reddere se oportere arbitraretur; sed ut ostenderet, [litteris ad Regem missis respondens Pontifex,] quæ Regi ea de re fuerant relata, a nonnullis proficisci, qui propriis ducti commodis, ut assolet, corruptelas suas tutari conabantur: quarum ipse quamplurimas certa schedula descriptas misit ad Regem. Hæc se cavere oportere nullo alio consilio, nisi ut rem Christianam pro munere sibi divinitus commisso tueretur, animarumque saluti hujusmodi tollendis erroribus, Catholicaque disciplina ac pietate in populos inducenda, consuleret. Ceterum quo longius latiusque quam aliorum Principum paterent ditiones ipsius Regis, eo quoque magis illum pro regnorum suorum incolumitate subjici debere Deo, ejusque in terris Vicario Romano Pontifici. [ostendit Bullam ex usu antiquo,] Constitutionem vero editam in die Cœnæ Domini, jam antiquo more receptam, licet in Urbe tantum a nonnullis Pontificibus evulgatam, tamen ubique terrarum, veluti alias etiam generales constitutiones vigere: atque olim seu Principes viros seu

populos, qui violatæ constitutionis hujus quoquo modo sese reos agnovissent, delicti veniam a Romano Pontifice suppliciter postulavisse. In omnibus porro vel expiationum vel Jubilæorum generalium litteris, in universas Christiani orbis partes dimissis, & item in iis quæ Confessionalia vocant, ejusdem constitutionis mentionem jamdiu perpetuo factam reperiri. In diplomate præterea de facultate, quam in Hispania Cruciatam appellant, petentibus illis Regibus aliquando concessa, præcipue nominatam esse hujusmodi constitutionem; quippe quæ mortales omnes, quotquot Christiano nomine censentur, sua obligatione devinciat: neque generalibus verbis vim ejus comprehendere consuesse, quod & a Paulo II & a Sixto IV declaratum esset. Ut igitur cautius rebus consuleretur, in veteri ipsius constitutionis editione consuetudinem increbuisse, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis præcipiendi, ut in suis quisque Ecclesiis eam evulgarent. Quod cum hoc tempore intelligeret ipse minime præstari, ac propterea in ea re ipsi constitutioni derogari, ob idque anathematis laqueis jacere homines irretitos, voluisse se animarum exitium avertere; quas præsertim haud excusaret ignorantia.

[146] [& pro Pontificii officii juræ promulgari.] Porro Sacerdotes admonere muneris sui, ad verum legitimumque Pontificem pertinere: ut ii lepram a lepra discernere, ac de peccatis, præsertim quorum est absolutio summo reservata Pontifici, recte judicare queant. Quod si quid est privilegii, quod clam sit ipsis Sacerdotibus, eosdem de his edoceri, Principum ministris grave esse non debere. Verba vero vel nuper adjuncta, vel in antiquis litteris inusitata, haud debere dura cuiquam videri: si quidem id jam in more positum esset, nonnulla videlicet in iis vel adimere vel adjicere, pro varietate temporum ac corruptelarum qualitate. Quod autem regio niteretur exsequendi concessu, neque id neque aliam ullam laicorum facultatem vim aliquam

habere in Ecclesiasticis decretis exsequendis, neque sacris habendis concionibus: quarum facultatem ab laicis petere, intolerabile prorsus esset. Laicis enim etiam religiosis, quod docent sacri canones, super ecclesiis, personis, & rebus ecclesiasticis nullam attributam esse facultatem: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Quæ res patent, utpote sacrosanctis legibus ac Conciliis jam satis explicatæ & constitutæ.

[147] [per eam non derogari Regiæ potestati,] Illud vero de tributis atque portoriis adjectum esse, quoniam in eo sæpius graviter peccaretur, nimirum cum vel a non habentibus potestatem, vel eis, qui per privilegia sunt immunes, quales sunt Ecclesiastici omnes, vel nullo jure sibi subjectis, vel denique contra sanctas leges imperantur. Itaque Principibus legitima potestate præditis non prohiberi, quin ex sacris legibus subjectis sibi populis æqua ac tolerabilia imponere tributa possint: ac licet in litteris Pontificiis, absque alia declaratione, ne nova imponantur onera, caveatur; ejusmodi tamen declarationem haud quaquam esse necessariam; utpote quæ numquam adhibita fuerit, ubi de iis quæ pedagia vocant tributis agitur: quæ res a sacris legibus jam satis explicata videatur. Quocirca non popularem excire tumultum, qui potius ex immoderatis oneribus a Principibus impositis exciti solet; sed rationem ac viam tradere, qua possint tranquillitatis ac religionis in officio homines contineri; & quos oporteret, commonere muneris sui, consilium sibi fuisse.

[148] De Apostolicis vero privilegiis, Regibus concessis, nihil sibi compertum esse, neque ex auctoritate sua injusti quidquam esse committendum: videre tamen se hujusmodi privilegia male passim usurpari, [nec privilegiis a Romana Sede ei concessis,] indeque multa fieri contra jura sive humana sive divina: & quicumque



niteretur, vel etiam uti soleret privilegiis, eum haud dubie debere illa proferre & aperire. Cum præsertim Pontifex summus, unus & legitimus sit privilegiorum omnium ab aliis Pontificibus concessorum & interpretes & iudex: qui ubicumque errata & offensiones compererit, pro suo munere debeat absque alia quæstione labentibus rebus providere. Verumtamen velle se tantum ut hisce rebus boni præficerentur administri, per quos omnia bene gererentur, ac de omnibus certior fieret ipse Rex; isque intelligeret, criminum ad divinum retinendum cultum judicandorum jus in auctoritate esse Romani Pontificis, Jesu Christi, Vicarii, non in arbitrio laicorum Principum: quibus nequaquam a Deo filio dictum esset; *Pasce oves meas*; sed ipsos tamquam pascendos agnos permittere debere, [citra ejusdem Sedis præjudicium:] se a S. Petri successore duci & gubernari, nisi velint se extra Christi gregem abduci atque abigi, per speciemque privilegiorum Ecclesiasticam subverter hierarchiam. [Ioan 21.] Ceterum (quando illud a pietate Regis egregie Catholici longe abesset) ipsomet Rege procurante sperare se rebus bene consultum iri, præsertim in Siciliensis monarchiæ negotio. Itaque Rex omnino sibi persuaderet, haud posse Pontificem tot tantave dare privilegia, ut successorum suorum auctoritatem imminuat, a Deo sibi collatam ad Ecclesiæ suæ sanctæ ædificationem, non autem ad ejus destructionem: contra quam quidem auctoritatem nulla objici præscriptio posset, vel antiquissima.

[149] Adjiciebat, contraria omnia, adversus ejusmodi objectam causam, [nec novum esse ut in Siciliam mittatur Legatus,] potius reperiri per Apostolicas in regnum illud decretas Legationes; posseque Pontificem arbitrato suo id tamquam gratuito concessum, sed exinde male versum, abrogare. Quare diploma Paulo Odescalco, Apostolico ultra citraque Pharum Internuntio datum, firmissimo niti fundamento: cum antea diu in eo regno Legatos &

quæstores, ipsis etiam Cæsaris Caroli V temporibus, Apostolica Sedes habuerit. Quod autem diplomata quædam eo inducenda dedisset, illudque in primis de alienatis Ecclesiæ bonis recognoscendis; id sancte ac rite provisum, cum ob Christianæ reipublicæ utilitatem, tum etiam ob cavendos animarum laqueos, quibus ea bona possidentes misere capiebantur. De S. Lazari militia, Apostolici muneris esse ejusmodi militias instituere vel extinguere, prout Pontificibus opportunum esse videretur: quas etiam illius regnis jam ipse concesserat, [aut improbari posse militiam S. Lazari] alibique sustulerat: neque vero posse Regem, uti Catholicum, contra quidquam decernere. Eam vero militiam ab se propterea restitutam fuisse, quod illi milites Sedi Apostolicæ, ubi & quoties vocati essent, contra quoscumque Romanæ Ecclesiæ hostes vel rebelles, armati inservire atque opem ferre suis impensis, ex officio suo, decretoque Apostolico, deberent. De Satellitum vero cohorte, qua ad Ecclesiasticam tuendam disciplinam utitur Archiepiscopus Mediolani, ex antiquis ipsius Ecclesiæ monumentis & institutis, [vel Archiepiscopi Mediolan. satellitium.] ad hanc usque diem usu retentis, liquido constare, quod in laicos de criminibus, sive ad sacrum tantum sive ad utrumque forum promiscue pertinentibus, quæstiones judiciale ille soleat exercere, ob idque armari satellitii uti ministerio. Denique nolle se tam graves errores vel corruptelas, in Dei offensam ac sacrosanctæ Sedis injuriam recidentes, ullo pacto tolerare. Hominum officia esse inter se distincta: ac propterea Principes suum quemque munus præstare oportere; Ecclesiæque dimittere, quæ Dei sunt.

[150] At enim Rex vere Catholicus, pro sua singulari pietate, administris suis in Italiæ ditionibus id sibi esse consilii per litteras declaravit, ne quid in sanctas leges committeretur; [quibus Rex acquiescit.] quinimo si quid commissum esset, corrigeretur. Neapolique Internuntio

Pontificio & loci & omnibus præcedendi data prærogativa; eique perinde atque Hispaniensi Oratori debitos honores habendos esse. Sed quoniam Regis jussa ministris ejus minime facientibus, id ferebatur impune, sacri interdicti legibus in eos agere Pius constituerat; fecissetque nisi ab amplissimis viris, studiosis ipsius Regis, ea de sententia deductus esset: plerisque suadentibus, mitissima quæque remedia tentanda prius esse, quam tam acre medicamentum adhiberetur: sic enim facilius se quod cupiebat consecuturum. Itaque in illis regnis deinceps omnia vel suæ jam integritati restituta, vel severis pœnis emendata fuissent, nisi gravissimum imminentis tunc contra Turcas foederis negotium, mox luctuosus ipsius Pontificis obitus rebus antevertisset.

## CAPUT II.

### Varia in Hispaniis & Indiis constituta.

[151] Hæc tamen, quin Pius & Regem optimum unice diligeret, & regnis ejus omnibus, in iis præsertim quæ ad Christianam spectant pietatem, ne quid induceretur erroris, diligenter provideret, nihil impediabant. Itaque in Hispania, ut res Christiana bonique mores optime conservarentur atque ubi lapsi fuissent sancte restituerentur, non modo per Apostolicos Nuntios, sed multis etiam salutaribus edictis ac decretis ibidem evulgatis, [Edictis abrogat varios Hispanorum abusus,] studiose procuravit. In primis vero illud edici jussit, quo, ut ante meminimus, sub anathematis aliisque gravissimis pœnis ludicra spectacula interdixit: in quibus taurorum ferarumque congressiones seu agitationes, non sine aliqua hominum caede gravique animarum damno, fieri consueverant. Roganteque Rege eam potestatem infirmavit, qua sanctissimi Sacramenti sodalitates uti vel potius abuti consueverant, cibos ab Ecclesia statis diebus interdictos permittentes: facultatemque sustulit, qua

utebantur Antistites in casibus Episcopo reservatis, gratiaque facienda; unde, quas velut Hispanicæ Cruciatæ nomine pensitabant Regi, pecunias colligebant. Statuit, ut ludi magistri omnes solennem ac legitimam fidei professionem ederent; atque ne inscriptiones sub imaginibus eorum, qui hæreseos damnati plecterentur, deinceps affigerentur in templis; sed eorum domus solo æquarentur, in medioque defigeretur columella cum marmorea tabella, in qua illorum vita pariter & exitus describeretur. Porro ut capitali supplicio damnatis, pridie quam in eos animadverteretur, sacrosancta rite administraretur Eucharistia. Iniquas fœneratorum negotiationes severioribus legibus sustulit, quamvis pecuniis difficilius mutuo accipiendis, quas mox curaturus erat in Belgis alibique, certum inde Rex detrimentum esset accepturus.

[152] Oblatam vero conditionem accipere Pius recusavit de Sacratorum hominum spoliis ea lege accipiendis, [recusat oblata inde morientium Clericorum spolia] ut eorum spoliorum dimidium Regi tribueretur: nam etsi Pontifici commodius foret & utilius ea per administros Regios colligi, cavendum tamen esse, ne in Clero magnam inde sibi conflaret invidiam, vel in avaritiæ suspicionem incurreret. Dolere porro se vehementer, quod tot decreta & facultates super tribus militaribus Ordinibus, & Cathedralium insuper ecclesiarum nominationibus, aliisque rebus Pontifices summi dudum concessissent: qui olim tantumdem, ac fortasse plusquam Reges ipsi, in Hispaniis humanis de rebus disponere & administrare potuissent. Sub idem tempus arcas non nullas, Calvinianis refertas Catechismis, [curat libros invehendos examinari.] in Hispanicum idioma conversis, ut mos est hæreticorum, per Hispaniam disseminandis, Lugduni Tolosæque in Gallia deprehensas fuisse, Pio renuntiatur. Quo ille cognito, graviter doluit: periculoque occurrens, ea de re Catholicum Regem admonuit, caveret

diligenter, ne exteri libri, ni prius bene cogniti & a sacris Quæditoribus approbati, in Hispaniam inducerentur: uti sedulo curatum est, tanto sublato periculo.

#### CAP. IV

[153] Agitabatur per idem tempus in Hispania gravis illa causa Bartholomæi Mirandæ & Caranciæ, Archiepiscopi Toletani, qui de hæresi postulatus, [Archiep. Toletanum hæresis accusatum,] ex Apostolicæ Sedis auctoritate ibidem in custodia tenebatur. In eum jamdiu cum esset habita quæstio, neque Paulus, neque Pius, uterque ejus nominis IV, Romani Pontifices, ut vel reus vel causa ad se Romam ex sacrarum legum præscripto deferretur, & coram ipsis, tamquam summis Episcoporum omnium fideique causarum iudicibus, ageretur, obtinere potuissent; quod apud Regem Catholicum ab illo sacræ Inquisitionis Senatu, id iudicii ex auctoritate Apostolica, sibi pro tempore sæpius delegata, [frustra obnitente Inquisitione,] ad se pertinere profitente, continenter daretur exceptio; Pius V, ut & reus & quæstio ad se deportaretur, quæ sua apud Regem erat auctoritas & sanctitatis opinio, prorsus effecit. Nam ob id maximis cum mandatis Petrum Camajanum, cujus ante meminimus, in Hispaniam misit, dato diplomate, quo, si minus jussa facerent, sacros illos violatæ fidei Iudices omni auctoritate iudicandi privabat, & a piorum communione segregatos declarabat: quamquam id illis, quod necesse non esset, minime fuit indictum. Simul atque Rex Pii postulata cognovit, qua erat in Apostolicam Sedem, & præsertim in hunc Pontificem pietate, licet nonnullis reclamantibus, constanter edixit, parendum omnino esse (ut ejus utamur pene verbis) Patri sanctissimo, ac quidquid ille decrevisset, prompte præstandum: nihil enim nisi sanctum ac Deo gratum ab eo statui posse, quippe qui divino nutu regeretur.

[154] Archiepiscopo igitur cum sua descripta quaestione sub arcta custodia Romam perducto & in sancti Angeli arcem incluso, [Romam deportari facit:] ad ejus causam & cognoscendam & dijudicandam, sapientissimis viris in consilium adhibitis, tam assidue Pius incubuit; ut quamplurimis super hac quaestione habitis congregationibus, iis ferme omnibus frequentissimus ipsemet interfuisse vel praefuisse potius, remque lata sententia prope decidisse perhibeatur. Sed aliis gravissimis distractus negotiis, morteque praereptus, rem successori suo Gregorio XIII definiendam reliquit: qui dum esset Cardinalis, a Pio IV hac de causa in Hispaniam Legatus, nihil reportaverat. Mox Pio V in Pontificatu suffectus, reum Archiepiscopum super tali crimine valde suspectum judicavit; certisque pœnis injunctis, ad voluntariam omnis hæreticæ pravitatis detestationem, ac legitimam Catholicæ fidei confessionem admissum, absolvit. Is porro, summo patientiæ & modestiæ documento, [qui sub Gregorio 13 fidem professus,] in adversarios suos in hac causa nihil unquam, ut ferunt, oblocutus, diuturnum carcerem alacriter constanterque perpessus, demum in cœnobio Fratrum suorum Sanctæ Mariæ supra Minervam, anno MDLXXVI sexto Nonas Majas, sumptis sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis, quæ cedentibus e vita præberi solent, singularem pietatem præ se ferens, Romæ in pace quievit: sub mortem sæpe Deum hominesque contestatus, se nihil omnino conscium unquam fuisse eorum criminum, quæ sibi ab adversariis objecta reum fecerant talis tantique judicii: quod tamen ipse injustum appellandum non putaret, quoniam secundum allegata probataque rite processerat; [impositam pœnitentiam reverenter suscipit ac pii moritur,] sed justum Apostolicæ Sedis decretum se revereri, optimeque conscientiæ testimonio fruentem imposita pro ceteris peccatis suis pœnitentiæ piacula lætum subiisse, ac se ad Deum in Catholica fide, quam in omni vita integerrime professus esset, divinæ clementiæ

fiducia nixum libenter commigrare. Inter hæc animam suam Deo ac B. Virgini ejus genitrici, quam pie sæpius invocavit, ac ceteris beatissimis spiritibus cælesti gloria fruentibus, denique Dominicanis suis Fratribus, ut pro ipso sacrosanctum Missæ sacrificium Deo sæpius offerrent, pie commendavit: ejus vero corpus in ejusdem templi presbyterio pio funere elatum, ab ipsis Patribus conditum est. Hæc pluribus obiter commemorasse libuit, ne quis tantum virum, ac talis tantæque Ecclesiæ Antistitem, turpi labe per calumniam fortasse notatum, infelici exitu vitam cum morte commutasse arbitraretur.

## CAP. V

[155] Jam vero ex Europa in Indiam, non longo ac periculoso navigationis cursu, sed brevi ac tuto narrationis compendio, transeamus: nam & in illis gentibus, [Pro Indiarum salute sollicitus Pius,] qua ad Christianam fidem convertendis, qua susceptæ jam religionis in officio continendis, & ubique rebus ad divinum cultum animarumque salutem necessariis provide curandis, ardens in universum Christi gregem toto orbe diffusum Pastoris vigilantissimi studium eluxit. Cum enim intelligeret rem Christianam in India, ad Orientem primo sub Lusitanicæ, mox ad Occidentem sub Hispaniarum Regibus, superioribus annis, Deo juvante summis religiosorum virorum, Franciscani primum, inde Dominicani Augustinianeque Ordinum, ac demum Societatis Jesu laboribus feliciter quidem propagari cæpisse; sed tantæ molis opus cum aliis difficultatibus ne melius procederet laborare, tum potissimum & majore neophytorum cura, & sacrorum ministrorum sedulo indigere ministerio; omni ope, quoad ejus fieri posset, exurgenti illi Christianæ Ecclesiæ succurrendum existimavit. [Epist. 18, 19, 20, 21 lib. 1] Et quidem Internuntium Apostolicum, [Reges Hispaniæ & Lusitanicæ monet,] per quem omnia melius inibi cognosceret ac

procuraret, eo mittere cogitaverat: sed mutato postea consilio, Regem Catholicum de Indica divinarum rerum necessitate, & quid facto opus esset, edoceri voluit: eique multa admodum salutaria monita suggessit, quibus illum ad eam rem sedulo curandam, jam currentem incitavit. [Epist. 16, 17, 18 lib. 2, Epist. 24, 25, 52 lib. 3]

[156] Cum enim susceptum olim, de illis regionibus concessu Pontificio ab Hispaniæ Lusitaniæque Regibus in potestatem redigendis, [ut Neophytis præbeant vitæ subsidia] consilium eo potissimum spectaret, ut idoneis Sacerdotibus & concionatoribus illo dimissis, infideles ad Christum, id in primis summo studio curandum esse: quod vero in hoc genere ad se pertineret, officium suum non defuturum. Sed quoniam non satis esset infideles ad Christum convertere, nisi conversis ac jam Christianorum in numerum aggregatis necessaria vitæ subsidia conferantur, cum ex collectis piorum eleemosynis more nascentis Ecclesiæ, tum ex regiis tributis alimenta illis præberi oportere; ne fame compulsi vel ad pristinos mores & vitam relaberentur, vel Christianam religionem, quæ his potissimum caritatis officiis fovetur & alitur, quasi duram abnegarent rejicerentque; ac per hanc occasionem Christi nomen per eos blasphemaretur in gentibus, dum parvulis panem petentibus non esset qui frangeret eis.

[157] Quod vero ad divina animarum alimenta pertinet; hæc eo studiosius illis curanda, quo anima præstantior est corpore; & quo terrenis cælestia, [Sacerdotes idoneos illis præficient,] sempiterna caducis potiora sunt habenda. In primis hoc divinum opus, divinorum omnium, ut S. Dionysius Areopagita testatur, operum maximum, nimirum in æterna animarum salute procuranda; Dei, quod ait Apostolus, adiutorem esse, Christique ministrum; id non cujuslibet idiotæ, sed proprium esse Sacerdotum; & eorum, qui Christianis sacris ita sunt initiati, ut possint,



secundum ipsum Apostolum, alios sanam doctrinam edocere, & exhortari in verbo veritatis; & eos, qui contradicunt arguere, & de ea, quæ in ipsis est, fide, speque rationem reddere. [I Cor. 3, Tit. I] Itaque licet unicuique, quod ait Sapiens, mandaverit Deus curam proximi sui; & quod quisque pro viribus ad suam aliorumque salutem recte præstare potest, id efficere quemque deceat, Deoque gratum censeatur; populares tamen homines & imperitos, non tam doctoris quam discipuli munus obire par esse. [Eccli. 17] Per sacros ergo & eruditos magistros Christiana catechesi imbuendos esse seu catechumenos seu neophytos: adultosque nisi rite instructos ad sacrum baptismum non admittendos.

[158] Per montes autem pagosque dispersi, ut commodius Christianis legibus & moribus assuescerent, [dispersos Indos in unum colligant,] urbanis in contuberniis collecti, ad socialem & piam vitam instituerentur: quod genus remedii præter cetera magno ad illarum gentium animos Christianis moribus instituendos usui fuisse, qui viderunt, inde regressi, sæpe testati sunt. Si vero ethnicis & Christianis unum esset hospitium, illis idololatriæ cultui superstitionique dicata loca non permitti, sed solo æquari delerique oportere; ne baptizatis ad impietatem relabendi præberetur occasio: nec tolerandum, ut Christiani, vel in sacra doctrina capessenda, vel exercendo Catholicæ religionis cultu ab ethnicis prohiberentur. At si veteranis tironibusque Christianis unum esset domicilium, caverent illi, ne hos pravis suis perderent moribus & exemplis: quinimo ita se gererent, ut eorum perspecta vitæ sanctitate, infideles impietatis puderet suæ, & ad Christi fidem suscipiendam magis incitarentur. Si vero Christiani jam adulti publice vitam degerent iniquam, præstare eos publice pœnas dare, quam iis diu toleratis offensionem peccandique occasionem neophytis ethnicisque præbere. Crapulam, intempestivaque convivia, & alia quibus illi populi dediti

erant vitia, sceleraque nefaria quibus humana societas omnis corrumpebatur, prorsus abolenda: infidelesque ad custodiendam naturæ legem adigendos esse. Ne qua mulier plures haberet maritos, sed Christiani matrimonii legem in mores inducerent. Nec regii ministri, mancipiorum loco, servitio uterentur Indorum, sed eorum tantum, qui servire sua sponte voluissent: iisque pactam mercedem tribuendam esse, neque eos immoderatis onerandos esse vectigalibus; sed qua par esset æquitate omnes habendos.

[159] Sacerdotes vero, concionatores, & Episcopos, ut decet, [eorum doctores immunes servent a tributis,] tamquam intimos Dei ministros, ab Regiis Magistratibus aliisque benigne accipiendos ac reverendos esse; eosque a vectigalibus ac tributis exemptos & immunes conservandos. Episcopis & aliis sacrorum administris liberam in sua exercenda jurisdictione corruptelisque tollendis relinquendam esse potestatem, præsertim in iis quæ ad Catholicam religionem tuendam & propagandam pertinerent. Denique Rex ipse Catholicos homines, integros, spectatæque virtutis Visitatores ad principes viros, ad Judices, & ad alios præterea illarum gentium Magistratus decerneret, qui hæc omnia rite præstari curarent, cognitisque omnium meritis, [oppressionem pauperum prohibeant.] suo quemque præmio vel pœna possent afficere. Ceterum pauperum oppressio, quo scelere in cælum exclamante, ut divina testantur oracula, iræ cælestes maxime provocantur, numquam esset impunis: ne videlicet miserabilibus eorum gemitibus permotus Deus, in Reges ipsos animadverteret. Armis porro contra ethnicos sumendis, iisque bello subigendis, nihil inique, nihil crudeliter ageretur: neque ad Christianam religionem eos compellendos esse; sed benigne sacra doctrina, & quod plus aliquando movet piis exemplis, ex infidelitatis tenebris eductos perhumaniter suscipiendos; eorumque errata corrigenda clementius,

pro mansuetudine atque indulgentia novellis ejusmodi Christi agnis exhibenda. Hæc & id generis alia complura salutis monita, quibus Rex ejusque administri ad eas gentes convertendas, recte moderandas, ac pietatis in officio continendas uterentur, sapienter ac pie præscribebat. Postremo, quod ad se attineret, auxilium suum, ut diximus, divinorumque munerum pro Apostolica auctoritate communicationem, proborumque Sacerdotum legationes, & alia tum ad amplificandum tuendumque honorem Dei, tum ad animarum procurandam salutem necessaria, nullo tempore dum viveret defutura: sicuti deinceps non defuisse res ipsa declaravit.

[160] Sed quoniam & Sebastiani Lusitaniæ Regis epistolis, & Francisci Borgiæ ex Gandiæ Duce Societatis Jesu Præpositi generalis admonitu, [In Iaponiam destinat Andream Oviedum Patriarcham Æthiopiæ,] nec ita pridem Pius intellexerat, rem Christianam in Japone adolescentem, inter alias, quibus premebatur, angustias, Episcoporum opera plurimum indigere; novellam hanc etiam Christi vineam, quibus posset adminiculis excolere pro suo Pastoralis munere non omisit. [Epist. 49 & 50 lib. 3] Erat per id tempus in Æthiopia Andreas Oviedus Castellanus, ex eadem Societate, summus sacrorum Antistes, Sedis Apostolicæ missu, Patriarchali dignitate singularique vitæ sanctitate ac doctrina præditus. Is cum maximis laboribus periculisque perfunctus, in illis gentibus ad Christianam fidem perducendis, diu multumque insudasset; cumque aut votis eventus, aut laboribus fructus parum responderet, bellis inibi cum Turca continenter exardentibus; Regeque illo pro sua barbarie veram detestante religionem, atque adeo Patriarcham ac socios ejus insectante; ad eum Pius diploma dedit, omnibus prudentiæ ac patriæ caritatis plenum officiis, quibus Dei ministrum, gravissimis ærumnis & cladibus afflictum, benigne consolatus, ad munusque suum strenue præstandum cohortatus est. Ei præter

cetera præcepit, ut si operam suam inanem ibi esse perspiceret, relicta Æthiopia, quod tamen commodo suo tutoque fieri posset, in Japonem Sinasque transcenderet; ibique Pastoralibus muneribus Catholico ritu obeundis ad æternam illarum gentium salutem incumberet. Ad eum sacri Concilii Tridentini decreta, tum recens Apostolico munita suffragio, misit: ut ea potissimum, quæ ad fidei doctrinam pertinerent, exequenda usuque retinenda in illis oris studiose procuraret.

[161] Andreas vero Pontificiis se litteris ad discessum non urgeri, certumque in via sibi si discederet ab hostibus vitæ discrimen imminere prospiciens, [eoque vita functo,] spe quadam etiam allectus fore, ut tum factæ tum etiam faciendæ euangelicæ sementis fructus meteret uberiores, in Æthiopia si se contineret, satius esse duxit: ubi nec ita multo post, variis molestiis & calamitatibus affectus, ad æterna laborum suorum præmia tandem emigravit. Itaque Pius, ut Japoniis Sinisque Christianis non deesset, ejusdem auctoritatis & argumenti Apostolicas litteras ad Melchiorem Carnerium Lusitanum, [Melchiorem Carnerium.] ex eadem Societate lectum Nicænum Antistitem, emisit: qui ex decreto Julii Tertii Romani Pontificis, una cum Andrea ipso atque aliis sociis suis in Æthiopiam dimissus, illi in ea missione successerat. Is ergo Pii litteris acceptis, ejus jussa facturus, ad Amacantum Lusitanorum emporium, haud longe a Sinis, qua patet in Japonem aditus, transmisit: ibique Japonios Sinasque Christianos ad se confluentes, per aliquot annos sacris initiabat Sacramentis, aliaque Pontificiæ potestatis officia rite præstabat. Sed is quoque, dum in Japonem iter adornat, summis laboribus curisque defunctus, vir de re Christiana optime meritus, & sanctitatis ceterarumque virtutum gloria clarus, excessit.

### CAPUT III.

#### Acta contra Augustanam confessionem, pro jure Ecclesiæ Tridentinæ, & pro fide Catholica in Scotia.

[162] Hæc dum ita curantur, magnum interea periculum Catholicæ religioni in Germania creari, Pio renuntiatur. Scilicet Maximilianum Cæsarem, ut graviora vitaret incommoda, [Ne Augustana confessio permittatur Austriacis,] secus facere se non posse profitentem, binis ordinibus, hoc est Proceribus ac Nobilibus Archiducatus Austriaci, & aliis præterea ditionibus hereditariis, ut Augustanam confessionem, hoc est, Lutheranæ impietatis professionem, sectarentur vel indulsisse, vel certe ut indulgeret spem illis injectam fuisse: idque, ut fama erat, ob ingentem pecuniarum vim, quas iidem Cæsari pensitabant: quamquam id de tali ac tam Catholico Principe apud bonos incredibile fere videbatur. Quidquid esset, id Pius ægerrime ferens, nulla interjecta mora, Cardinalem Commendonum, Veronæ consistentem, Legatum ad Cæsarem misit, ut si in tempore fieri potuisset, tam nefarium facinus impediret (utpote quod errores ex erroribus serens, exitioso ceteris gentibus futurum erat exemplo) vel certe Apostolica auctoritate illi denuntiaret, Pontificem omnibus execrationibus Ecclesiasticisque pœnis in eum animadversurum, ipsumque privaturum Imperatoria majestate; atque Catholicis Principibus in eum convocatis novum Imperatorem creaturum, nisi ejusmodi decretum si factum esset illico rescidisset. Qua de re statim Pius ad Principes viros quoquoersum nuntios dimisit, [solicitat intercessionem Regis Hisp.] in primisque ad Hispaniarum Regem, eum adhortans ad agendum eo de negotio cum ipso Cæsare, ac docendum quam certa inde pernicies immineret, & quam gravis Catholicæ religioni, quam ille ceteroqui tutari deberet, inferretur injuria. Rex vero quinas litteras easque longissimas super ea re manu sua

scripsit ad Cæsarem & ad Augustam sororem suam: quibus litteris admonebat, præterquam quod summi ponderis momenta rerum agerentur, illi etiam cavendum esse, ne Austriaca familia, quæ Catholicæ veritatis semper fuerat retinentissima, per eum hanc notam subiret, cum præsertim Rex ipse, si nullam superstitem haberet prolem, aliquem ex Cæsaris domo sibi in successorem adoptare statuisset.

[163] Ceterum Legatus, cum primum audientia sibi facta fuisset, [& per Legatum suum evincit apud Cæsarem.] Catholici Regis litteris nondum allatis, firmissimis efficacissimisque rationibus infregit atque retudit quidquid Cæsar enarraverat, excusans se ad id concedendum induci posse, ut ceteras hæreticorum factiones omnes extingueret; subjiciente Legato id nequaquam futurum, imo eam fore viam, qua illæ majorem in modum auferentur, stabilesque ac tutæ sic efficerentur, ut inde certum extremumque rerum excidium esset extimescendum. Verum Cæsare causas, quibus nonnullorum suasu id sibi licere arbitrabatur, iterum objiciente, Cardinalis, postremis admotis remediis, minis atque terroribus, eum ita confutare, ob oculosque illi quibus laborabat ponere pericula institit, ut eam Confessionem, se haud quaquam vel permisisse vel permissurum profiteretur; sed velle se omnino esse in auctoritate Romani Pontificis, a quo perterrefactum se esse dicebat, Legato referente. Nam visum sibi videre sese coram Pio, flagellum manu tenente, consistere; cujus opera scilicet ac studio factum esset, ut id enuntiaretur; eoque Principes Catholici omnes converterent oculos. Cæsar itaque statim provinciales suos, qui ob ejusmodi religionis causam frequentes convenerant, omnes dimisit: iisque & aliis, qui conventuri esse ferebantur, significavit, ne amplius eadem de causa convenirent: Legatoque pollicitus est, se quosdam hæreticos concionatores vicinis e villis expulsurum. Quibus rebus Pius auditis, summopere

**lætatus est: humanissimisque litteris, quas vidimus, ad Cæsarem datis, ejus pietatem & erga sacrosanctam Sedem Apostolicam studium commendans, illum, ut quæ ad Catholicæ fidei patrociniū & ad S. R. Ecclesiæ dignitatem conservandam pertinent, pro munere suo præstare numquam desisteret, acrius incitavit. [Epist. 19 l. 2] Atque ita fuit ab Ecclesia depulsum tam grave periculum. Quin ex hoc ipso facto tribus post annis rejectum consilium est atque petitio quorundam Archiduci Carolo subjectorum, eamdem Confessionem ab ipso Archiduce deposcentium.**

## **CAP. VII**

**[164] Per eadem tempora, ne unquam cum principibus viris pro re Ecclesiastica contendendi Pio deesset occasio, Archidux Ferdinandus Austriacus, in Ecclesiæ Tridentinæ civilem ditionem nescio quid juris sibi esse ratus, quorundam ei male consulentium impulsu, [jus Ecclesiæ Tridentinæ defendit,] contra veterem centum annorum & amplius consuetudinem, ad id quasi per vim obtinendum jam Tridentum cohortes emiserat, præsidariisque ejus urbis militibus ex illius & Ecclesiæ fructibus stipendia solvi statuerat. Quibus cognitis Pius, sacræ videlicet jurisdictionis ut custos summus, ita propugnator egregius, primum quidem omni adhibita moderatione illum ab eo consilio revocare; dein, cum & cohortationibus & precibus locus non relinqueretur, sacras in eum detestationes intendendas esse constituit: atque ut id ipsum contestati denuntiarent, Cardinali Commendono Legato, Melchiorique Billio Internuntio, pro Sede Apostolica in aula Cæsarea commorantibus, imperavit. [Epist. 8 l. 2] Mox etiam ea de re Scipionem Lancellotum, Romanæ Rotæ duodecemvirum, qui postea sacræ Purpuræ honorem est adeptus, ad Ludovicum Cardinalem Madrutium Tridentinum Episcopum, illiusque Ecclesiæ Sacerdotum Collegium, ad Bavaricæ Ducem & ipsum**

Archiducem, cum litteris misit: [Ferdinando Austriaco excommunicationem minatus.] quibus quidem litteris singillatim omnes admonebat, uti Ferdinandi conatibus opponerent sese, neque paterentur ut Ecclesia quidquam caperet detrimenti. Eidem praeterea litteras ad Cæsarem dedit, quibus intelligeret, Archiducem de suscepto consilio sibi deducendum, cum eoque expostulandum, uti fecit, de discrimine, in quod se Majestatemque Cæsaream atque adeo totam eam domum ille conjiciebat: de nota rursus, quæ sibi inureretur, si a Pio fuisset Catholicorum communionem submotus: de malo exemplo, quod ad imitandum objiciebat hæreticis, Germanicas Ecclesias omnes occupare conantibus, maximo suo totiusque Austriacæ familiæ dedecore ac detrimento. Illud porro etiam atque etiam videndum, quo majore se jure niti in ea causa putaret, eo minus per vim quidpiam sibi esse moliendum; itaque induceret animum, ut primo quoque tempore ab urbe Tridento milites subduceret, controversiamque vel interposito compromisso vel ex jure dirimi permetteret, offensumque placaret Pium, ipsi merito subiratum. Interim Christophorus Madrutius, Cardinalis Tridentinus appellatus, magnæ vir auctoritatis, & ejus Collega Ludovicus, ejusdem civitatis Episcopus, uti ferenda anathematis sententia supersederet, Pio supplicavere: nam fore brevi, id quod fuit, ut ejus rei absque Ecclesiæ damno componendæ ratio consiliumque caperetur. Itaque de illius Ecclesiæ jure cum nihil decessisset, eam Pius gravi periculo liberavit.

## CAP. VIII

[165] Magnos interea motus in Scotia perduellium hæreticorum furor exciverat: inclinataque jam res eo spectare videbatur, ut regia stirpe atque omni Catholicæ veritatis luce prorsus extincta, exitialis erroris tenebræ in recta fide labantibus præstringerent oculos, regnoque



potirentur hæretici. Tenebat per idem tempus regni gubernacula Maria, [Mariam Reginam Scotiæ] Jacobi Stuardi eo nomine Quinti Scotorum Regis filia, caris orbata parentibus, eximiae virtutis femina, Catholicæque pietatis propugnatrix egregia. Hæc primum Francisci II Gallorum Regis uxor, mox vidua, ad patrii Scotiæ regni administrationem cum revertisset; rebus ut consuleret suis, principum affinium suorum suasu, Henrico Stuardo Lennoisii Comitis filio nupserat. [Epist. 8 l. 1, Epist. 54 l. 8, Epist. 37, 38 lib. 4] Sed is per hæreticorum fraudes miserabiliter interemptus, reliquit ex ea genitum filiolum, Jacobum nomine: quo nunc in Anglia Scotiaque regnante, ope divina gentes illa, olim Catholicæ religionis cultu florentissimas, ad Apostolicæ Sedis obedientiam, sacrosanctæque Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ gremium reductum iri, optant boni omnes ac summis votis Deum comprecantur. Iterum ergo vidua Maria, cum Jacobi spurii fratris sui, hæreticorum facile Principis, [vexatam ab hæreticis] regnum pessimis artibus occupare conantis, ceterorumque perduellium insidiis undique peteretur; in maximas inciderat ærumnas ac difficultates: quas hoc loco recensere longum sit, minimeque opportunum. Inter alia vero erat, quod cum a Catholicæ fidei professione averti tentaretur, in assiduo vitæ discrimine versabatur; in custodiaque per annum afflicta, cum inde se fuga proripuisset, nullo jam loco tuta conquiescere poterat.

[166] Concitabat has turbas Elisabetha, Anglorum impia Regina; perduelliumque studia in primis fovebat, tum ut hæreticorum factionem & ipsa hæretica sustineret, tum etiam ut Mariam, utpote regni æmulam & heredem, e medio tolleret. Anglici namque regni scepra, [Nuntium cum pecuniis] non hæreticæ Elisabethæ, Henrici VIII Regis incestæ filicæ, sed ipsi Mariæ Catholicæ deberi constabat: cujus pater Jacobus matrem habuerat ejusdem Henrici sororem natu majorem. His ergo rebus cognitis, Pius ad rem Christianam vel in remotissimis Orbis

partibus & restituendam & propagandam pro munere suo semper intentus, Mariæ Reginae Scotisque Catholicis afflictis, quibus posset maximis adminiculis succurrendum esse existimavit. Itaque ad implorandam opem divinam piis suis aliorumque precibus confugiens, Regem Catholicum Philippum aliosque Christianos Principes, ut suppetias quisque suas Scotiae ferrent, graviter hortari atque inflammare instituit. Mox Vincentium Laureum, quem sibi post initum summum Pontificatum, ut ostendimus, Ecclesiae Montis-regalis in Subalpinis Episcopum suffecerat, Apostolica auctoritate Nuntium in Scotiam decrevit; quem viginti millibus aureorum (plura sine dubio, si tulisset occasio, deinceps erogaturus) ac salutaribus consiliis instruxit: quibus ille rebus ad protegendam religionis causam, Mariamque & regnum periculis eximendum, uteretur. Quin etiam ad illam manu sua conscriptas, studii sui & ardentis pietatis indices, ejusmodi litteras dedit.

[167] Ex quo, carissima in Christo filia, tumultus a perduellibus tuis, iisdemque sinceræ & Catholicæ religionis hostibus, excitatos intelleximus; non prætermisimus, quo minus ex animo, sicuti par erat, ad Deum tum nostris tum aliorum religiosorum hominum precibus confugeremus. Libenter tibi omnino vita & sanguine proprio suppetias attulissemus: [& consolatoriis litteris mittit] omni quidem animi ardore Principes Catholicos, ut tibi auxilio esse vellent, hortati sumus. Postquam vero te tam ingenti periculo divina ope ereptam fuisse novimus, ut gravi nos ægritudine levari sensimus, ita si non quas debebamus, saltem quas pro viribus potuimus, Deo gratias egimus. Nunc quoniam ob ingravescentem jam ætatem nostram, ac tot immensas occupationes, quibus hic pro universa Christiana republica distinemur, in Scotiam ire non possumus, mittendum duximus Nuntium nostrum, Vincentium Montis-regalis Episcopum, virum rara singularique propemodum

virtute, doctrina & prudentia præditum, qui tibi singulis quibusque occasionibus inserviat. Ipsi igitur æque ac nobis fidem in omnibus habebis. Quod ad nos attinet, enitemur certe atque efficiemus, ut nullum unquam paterni affectus studiique officium a nobis possis desiderare.

[168] Itaque Vincentius, omnibus, quæ ad legationis suæ munus obeundum necessaria videbantur, a Pio mandatis acceptis; sub ipso ferventis caniculæ æstu longum iter ingressus, præ multis ac gravibus Scotorum tumultibus Lutetiæ Parisiorum subsistere cogitur: nec potuit in Scotiam trajicere, uti Regina Maria pro maxima sua in Pontificem pietate vehementer optabat: [qui Parisiis coactus subsistere,] neque enim illa dubitabat, quin prudentissimis ejus consiliis auctoritateque nixa, tum Catholicam religionem protegere ac vindicare, tum regni incolumitati salutique prospicere aliquando posset. Quod si Regina consiliis, quæ a Pontifice, prudentiæ fideique plena, suggerente Nuntio, proficiscebantur, usa fuisset; ut deinde compertum est, graves calamitates, quas postea subiit, evitare proculdubio potuisset. Denique Vincentius tertium se jam mensem Lutetiæ detineri, [& inde frustra salutaria suadens,] moramque hujusmodi & Pontificis Maximi & Legationis suæ existimationi parum honorificam videri, Reginae quoque ipsius dignitati haud decoram esse idemtidem expostulans; crebris eam litteris hortabatur, ut quod in se erat, primo quoque tempore præstaret; egregiamque virilis animi constantiam ac pietatis ardorem, quem multis ac variis periculis pro fide Catholica susceptis memorabili posteritatis exemplo nuper ostenderat, non modo non extinctum, sed auctum etiam esse demonstraret. Quocirca Maria Edimburgi, quæ urbs primaria totius regni est, omnium ordinum conventum habuit, ubi duo vix tandem obtinere potuit. Alterum, ut quem diximus, filii sui paulo ante nati baptismus publice Catholico ritu, uti factum est,

celebraretur: alterum vero, licet promissum, ut nempe Sedis Apostolicæ Nuntius quo par erat honore in Scotiam admitteretur, hæretici præstare noluerunt. Itaque rebus, sive ad Catholicam religionem sive ad regni quietem pertinentibus, omnino desperatis; [redit in Italiam.] Vincentius legationis suæ munus obire non posse perspicuens, jubente Pontifice, ad regendam Ecclesiam suam in Italiam remigravit.

[169] Mariam deinde cum assiduis perduellium suorum insidiis tentaretur, Elisabetha fingens se afflictæ conditionem miserari, simulate solabatur; [captam deinde ab Elisabetha Mariam] auxiliumque suum pollicens, in Angliam ut transscenderet per fraudem alliciebat. His ergo & hæreticorum vexata dolis, & perfidis Elisabethæ pollicitationibus ducta, imo seducta, in Angliam demigravit; subsidium inde accepturam se, in Galliamque ad suos a quibus benigne invitabatur, fide publica transituram esse confidens. At vero non hospes ab hospite jura, hæreticorum perfidiam & immanitatem denuo cogitur experiri. Nam ubi Elisabetha Mariam habuit in potestate, sive quod nefarias hæreses amplecti recusaret, malletque pro fide Catholica pati quam impie regnare, sive quod Anglici regni jura ad Mariam (ut ostendimus) pertinere constaret, eam in vincula conjecit. Quam inde Pius per litteras sæpius est consolatus, & quibuscumque posset auxiliis eam liberare contendit. [solatur Pius,] Sed deinceps per annos ferme duodeviginti in arcta tenta custodia, cum nullo aut squallore carceris, aut cruciatuum terrore, aut denique blanditiis de firmissimo colendæ Catholicæ religionis proposito obedientiaque sacrosanctæ Sedi Apostolicæ præstanda dimoveri potuisset; impio ipsius Elisabethæ decreto capitis damnata, a terreni & caduci regni miseriis ad cælestis & æternæ felicitatis gaudia, ut pie creditur, feliciter evolavit.

## CAPUT IV.

### Acta pro conservanda fide Catholica in Anglia. Anathema in Elisabetham Reginam.

## CAP. IX

[170] Serpebat interea, maxime in Angliæ regno, Calviniana & alia multiplex hæretica pestis, manabatque malum quotidie latius: [Sub Elisabethæ tyrannide pressos Catholicos] quoniam hæreticos Elisabetha, Anglorum haud legitima Regina, tanta cum pertinacia fovendos susceperat, ut funestam illam veterum tyrannorum in Ecclesiam Dei sævientium immanitatem referens, Catholicos ibi piosque omnes variis divexaret modis. Eos enim iniquissimis legibus ac pœnis opprimere, & ipsorum bona vel proscribere vel diripere, & laicos & Sacerdotes, insuper & Episcopos, alios carcere, alios exilio, alios nece multare, sacrosantos Ecclesiæ ritus interdicerere & conculcare, atque alia impietatis plena flagitia patrare sic instituerat, ut per annos quatuor & quadraginta rerum potita, tandem divino iudicio, hoc anno MDCIII, dum hæc scriberemus, impiam vitam cum morte commutaverit. Ferebat hæc mala Pius Pontifex sane molestissime, ac pro munere suo ardentique in Christianam rempublicam studio, [juvare nititur Pius] quemadmodum in Gallia, Belgio, ac Scotia, sic in Anglia fæde gliscentis impietatis flammam vel omnino restinguere, vel certe quoquo modo posset coërcere, atque oppressos Catholicos summis mortalis & immortalis vitæ periculis eximere nitebatur. Quam ad rem & adjuvandam & conficiendam, dum Christianos Principes ac Reges per litteras adhortaretur, interim ipse Catholicos Anglos, sive patria depulsos, sive carceribus inclusos, sive etiam aliis incommodis afflictos, liberali & opportuno, qua pecuniarum subsidio, qua epistolarum solatio recreabat: & una quidem ex parte ipsi Scotorum Reginæ, ut jam diximus, opem ferre, eamque omnino liberare; ex altera vero lapsam in Anglia

religionem renovare cogitabat: simul & illam malorum omnium sentinam, seu, ut appellabat ipse, flagitiorum servam de medio tollere; si minus posset ad sanitatem revocari. [Epist. 22 lib 3, Epist. 10 lib. 4, Epist. 10 lib. 5]

[171] Fovebat enim suis Elisabetha studiis Christianorum dissidia; [& hos atque alios contra ipsam suscitare.] & impios hæreticorum conatus, in Gallia præsertim & Scotia Belgioque provehens, Germanos Protestantes adjuvabat. Quare Pius nonnullis viris in Anglia mandavit, ut de rebus & Catholicorum & hæreticorum omnibus cognoscentes, cuncta perscriberent ad se: atque ad pristinum sacrorum ritum in ipso regno instaurandum, Catholicos incitarent. Sed cum haudquaquam permetteretur, ut vel Apostolicus Internuntius, vel alius quispiam sacrosanctæ Romanæ Sedis personam sustinens, posset ibi consistere; omni studio faciendum curavit, ut Robertus Rodulfus nobilis Florentinus, qui per mercaturæ speciem illo commorabatur in regno, incolarum animos ad Elisabethæ perditionem rebellione facta commoveret. Is ergo Pontificis nomine rem diligenter egit, non modo cum Catholicis, quorum ibi bonus erat numerus, sed cum multis etiam Protestantibus, qui in id variis de causis pariter conspirabant: alii quidem ob vindicandas privatas inimicitias, quibus dissidebant ab iis qui ad ejus regni hereditatem aspirare conabantur; alii vero majore spe rerum innovandarum excitabantur: quod sane firmum optimi rerum successus fundamentum esse videbatur.

[171] [imploratis in eam rem Hispanorum & Francorum auxiliis:] Hæc dum occulte tractantur, ecce tibi exorta discordia inter Catholicum Regem & Elisabetham, Hispanicis de navigiis ac pecuniis Londini detentis, quibus Rex exercitui in Belgio stipendia solvere cogitabat. Cumque hæc eadem, una cum Genuensium mercimoniis, postulanti Regi nequaquam redderentur; Dux Albanus effecit, ut Anglorum merces Antverpiæ & aliis præterea

locis interceptæ pariter detinerentur. [Epist. 11 lib. 1, Epist. 35 lib. 4] Quocirca Pius, oblatam occasionem haud contemnendam esse ratus, efflagitabat ab Rege, ut Anglorum in Elisabetham pie conspirantium studia foveret: cum præsertim nulla ratione posset tutandis Belgicis ditionibus suis melius consulere, quam ea expugnanda Regina, qua dominante regiones illæ perpetuis infestationibus forent affligendæ. Ad hæc subiciebat debitum tuendæ religionis officium, quæ prima ad eum commovendum ratio esse debebat. Cui quidem consilio libenter acquiescente Rege, illud Pio reliquum erat, ut in idipsum & Gallorum Regem, & Gallos ipsos, qui Catholicis Anglis itidem faverent, prudenter inclinaret. Idque Pius confestim agere instituit, demonstrans omnino ferendam opem esse & Scotorum Reginæ, Gallorum Regibus affinitate conjuncte, & item Britannis Catholicis, qui Regibus ipsis opem tulerant eo tempore, quo ad Valesiam domum excidendam armata manu venerat Admiralius. Jam vero cum in Anglia res bene constitutæ viderentur, Rodulfus negotium eo perduxit, ut pars major optimatum in Elisabetham conspiraret: delecto sibi conjurationis Principe, Thoma Norfolkicæ Duce, viro Catholico: cui si res feliciter evenisset, Scotorum Reginam, nec invitam, ut ajunt, desponderant uxorem. Ad hanc vero conjurationem & augendam & confirmandam, atque adeo ad jam deplorati morbi infringendas vires, extrema remedia Pius adhibere constituit.

[172] Cum igitur videret Elisabetham ipsam supremi Ecclesiae capitis locum & auctoritatem in omni Anglia sibi arroganter atque impie usurpasse, [deinde sacrilegam Reginam excommunicatam] sacrosanctum Missæ sacrificium ac reliquos Catholicos abolevisse, impia dogmata & instituta, ad Calvinii præscriptum a se suscepta & servata, a subjectis etiam sibi populis servari mandavisse; Episcopos & Sacerdotes Catholicos ex

**Ecclesiis suis ejecisse, eosdem insuper & carceribus & acribus suppliciis ad necem usque divexasse; atque id genus alia complura, quæ referre longum esset, quæque satis jam nimis orbi cognita sunt, exempla impietatis edidisse; cumque ejusdem Elisabethæ animum tam pertinaciter obfirmatum intelligeret, ut non modo pias Catholicorum Principum de sanitate ac conversione preces admonitionesque contemneret, [& regno privatam declarat,] sed ne Sedis quidem Apostolicæ Internuntios in Angliam trajicere permetteret; gravissimum edictum promulgavit atque sententiam, qua ipsam Elisabetham hæreticam & hæreticorum adjutricem esse, & una cum iis, qui ei in ejusmodi flagitiis adhaesissent, anathematis pœnam incurrisse declaravit; ac præterea omni jure regni, si quod illi erat, omnique dignitatis & honoris titulo eam spoliatam esse statuens, proceres & universos illi subjectos ei præstandæ fidelitatis sacramento solvit, anathemate proposito iis qui ei deinceps in rebus ejusmodi paruisent. [Constit. 101]**

**[173] At enim cum hoc edictum in Hispania Galliaque publicari difficile videretur, [sententiam Londini affigente Feltono,] ne in illas nationes magis irritaretur ea pessima femina, idque in Anglia primum evulgandum putaret; ejus multa ad Rodulfum misit exempla, ab eo, uti fecit, ibi disseminanda. Cumque unde allata illa fuissent prorsus ignoraretur; quamplurimi, quod manu sua ea descripsissent, capitis supplicium publice pertulerunt. In iis Joannes Feltonus, Britannus, vir & generis nobilitate satis clarus, & Catholicæ veritatis confessione multo clarior: qui veræ fidei studio permotus, cum exemplum ejusdem sententiæ ad fores ædium Episcopi Londinensis affixisset, deinde comprehensus, acerbissimo genere mortis affectus est; constanter asseverans, se recte fecisse, atque ad idem denuo præstandum paratum esse. Illas enim Pii V Pontificis Maximi litteras merito sibi venerandas videri, seque agnoscere illum esse Jesu**



**Christi Vicarium in terris: quæ res indigenarum animos ita permovit, ut non amplius Elisabethæ parendum esse publice vociferarentur. Quod si per eos dies aliorum se duces aliquis præbuisset, proculdubio rebus subito motu subvertendis, atque adeo melius conformandis, populi animos adjecissent. Quamobrem Elisabetha metu percussa percussa a, quippe quæ Optimatum conjurationem præsensisset, armare sese atque parare instituit; cum ut se ipsa tueretur, tum etiam ut in ejus conjurationis participes acerbe sæviret.**

**[174] Interea Thomas Northumbriæ & Carolus Vestemerlandiæ Comites Catholici, veriti ne in ditionibus suis ex improvise ab hæreticis deprehenderentur, conjurationis sociis externisque haud expectatis auxiliis, [Catholicis Ducibus pecuniam subministrat] duodecim hominum millibus suffulti; cum edixissent, se eo potissimum nomine arma capere, ut Catholicam religionem resarcirent, avitasque pietatis leges in Anglia restituerent; bellicas vires suas ad expugnandam Elisabetham contulerunt. Verumtamen illi pecuniarum inopia pressi, cum rerum gerendarum sumptus diu sustinere non possent, in Scotiam tandem recepti, nihil profecere: sed illius, ut ajunt, causa fuerunt incommodi, ut Elisabetha suspicionibus ducta, ac ne conjugium Scotorum Reginae succederet valde sollicita, Norfolcium Ducem aliosque præterea multos, quo in numero Rodulfus erat, in vinculis jussit detineri: verum cum latentia conjuratorum consilia rescire illa non posset, captivos omnes præter Ducem dimisit. Interea Pius aureorum nummum centum quinquaginta millia Rodulfo curaverat, majoremque summam ad eam expeditionem parabat in dies: quo tamen ille subsidio carcere præpeditus, Catholicis sociis subvenire non potuit. Is vero postea illis dinumeravit certam ejus pecuniæ partem qua munitis in locis ac propugnaculis sustentare sese ipsi tutarique**

possent: aliam inde partem Norfolcio Duci, aliam vero aliis conjuratis occultis, ut in sententia persisterent, impendit. At cum idemdem obstreperetur in regno, Elisabetha quosdam in regiam per multiplicem simulationem advocavit, nihil tamen ausa tumultum excire: qui quidem abnuentes eo convenire, palam profitebantur, se nequaquam illi obtemperaturos, vigente scilicet edicto Pontificio: quod tamen illa grave sibi esse dictitabat, non tam ob rem ipsam per se, quam quod id factum esset a Pio, cujus & admirabilem ad Pontificatum assumptionem & vitam integerrimam ipsa prædicabat.

[175] Ceterum ut optimis quibusque fundamentis ea niteretur conjuratio; Rodulfum cum mandatis conjurati legarunt ad Pontificem, [Regesque Hispaniæ & Lusitaniæ ad eos juvandos sollicitat,] cui omnia, quod in ipsis erat, comparata esse renuntiaret, ut negotium & vindicandæ religionis, & suam in sedem restituendæ Scotorum Reginæ causa susceptum, conficeretur, eaque ipsi Norfolcio Duci in matrimonium collocaretur; ac Pio suggereret, incitandum esse Regem Catholicum, ad ea quæ poscebant conferenda subsidia. At Pius, rerum serie optime perspecta eademque probata; Rodulfum, per causam offerendæ de fœdere pactionis, ad Hispaniæ & ad Lusitaniæ Reges cum litteris misit. Quo tempore ad Norfolcium captivum Pius etiam perscripsit, uti bono esset animo; ac certo sciret, se nulla in re illi unquam defuturum. Rodulfus Catholico Regi litteras reddens, eidem retulit Pii consilium, ad tam egregium aggrediendum facinus dandaque illico postulata subsidia eum cohortantis. Quam ad rem Pontifex se non modo quidquid posset collaturum auxilii, sed etiam, si opus fuisset, ut optime de Christiana republica mereretur præsentem se affuturum; cunctaque Sedis Apostolicæ vectigalia, & item sacros calices, cruces atque adeo vestimenta sua ob id oppigneratum pollicebatur. Cumque hæc verissima esse constaret, illud satis esse

videbatur, si Rex Catholicus ex Gallia Belgica Angliam armatas cohortes trajiceret, ductore Chiapino Vitellio, ubi Albanus esset impeditus.

[176] Id vero cum Rex ipse fieri mandavisset, interimque procurante Pio, [sed moras injiciente Albano] aureorum ducenta millia in eam rem in Belgis dinumerari jussisset; intercedens Albanus, variis difficultatibus negotium obstructum esse (ut suspicionibus implicita saepe sunt Principum consilia) renuntiavit. Nam si eam expeditionem, inscio Gallorum Rege, Catholicus aggrederetur; fore ut indignati Galli, sua & Anglica simul arma in Belgas converterent; verentes nimirum, ne Anglia in Hispanorum caderet potestatem. Quod si etiam Gallitum intestinis bellis impediti, cum primum possent, Anglicanam expeditionem per se suscepissent; suspicandum esse Catholico Regi, ne eodem illi regno potirentur. Neque vero Pontifex ipse, quod satis utrisque esset, poterat tuta cuncta pollicere. Hæc igitur momenta rerum impedimenta que omnia, considerata Regi, per litteras Albanus proponebat. Cui dum Rex imperat denuo, ut nulla re impediretur, quin juvandis in Anglia sociis cœptam navaret operam, ad eum Misso Rodulfo cum pecunia in eam rem; interim divino judicio permissum est, [& conspiracy prodeuntibus Francis,] ut de rerum serie tota ad Elibetham referretur a nonnullis, Gallia regno politice magis quam pie consulentibus; statusque jure, (quod Pius diabolicum jus appellare solebat) atque vana suspitione implicitis, ne scilicet Anglia recepta, Galliarum Regno potirentur Hispani.

[177] Quamobrem majore adhibita diligentia, Norfolciæ Ducis litteras Elisabeth interceptit, cum aureorum duodecim millibus, quæ ipse in Scotiam, ut copias instruerent, ad socios submittebat. Extemplo Ducem arctius illa constrinxit, aliosque præterea multos in vincula conjecit: quo in numero fuit is, qui ipsi Duci erat a

secretis: qui in quæstionem datus, [expeditio illa evanescit.] ubi arbitrariæ litterarum notæ delitescerent, indicavit: ex quo Dux convictus, cum aliis quoque multis extremo supplicio fuit affectus. Id autem quam ingentem dolorem attulerit Ponfici, verbis explicari vix potest. Rex deinde Catholicus coram Cardinale Alexandrino, in Hispaniam, uti dicitur, ad eum Legato, collacrymans ajebat; nullum unquam hoc ipso vel praeclarius vel sanctius compositum stratagema fuisse: neque vero majorem unquam visam esse conjuratorum sive concordiam sive constantiam: si quidem per tot dies nihil unquam ab ipsis temere enuntiatum erat, magnaque rei bene gerendæ atque opportuna sese offerebat occasio. Sed enim summus ille mundi opifex, cujus nutu omnia gubernantur, seu mortalium peccatis id emerentibus, seu ut ex Anglia vigente persecutione plures interim Christi Martyres, uti deinceps factum est, in cælum evolarent; hos alioqui pios conatus irritos esse permisit.

## CAPUT V.

**Fides Catholica in Polonia & Prußia stabilita. Alibi hæresis infirmata, & Clerus reformatus.**

## CAP. X

[178] At vero nec minori periculo, hæretica gliscente perfidia, per idem tempus in Polonia res Christiana laborabat. [Misso in Poloniam Internuntio] Nam cum Petricoviæ, quædam adversus Ecclesiasticam libertatem publice decreta fuissent, inde sacra violabatur jurisdictio: ac præterea veteres Ecclesiæ ritus, statæque ceremoniæ plerisque locis immutatæ passim labebantur. Quibus rebus cognitis, Pius primum Julium Rogerium, Protonotarium Apostolicum, eruditum ac prudentem virum, jam a superiore Pontifice destinatum, Internuntium Apostolicum ad Sigismundum Poloniæ Regem decrevit, optimis consiliis ac mandatis instructum: in primis vero

Regem illum in officio contineret, eique denuntiaret, quicumque religionem contempsissent, eos (quod perpetuo res ipsa docuisset) divino iudicio graves in hac vita pœnas dedisse, præter æterna, quæ post mortem eos manent, atrocissima supplicia: atque ex immutatione religionis regnorum excidia consequi solere. Tridentinum Concilium, ab ipso Rege jam receptum, in usum induci; sacram jurisdictionem salvam & integram conservari; templa, cœnobia, aliaque sacra loca, vel ab hæreticis diruta, vel hominum negligentia collapsa renovari, sartaque tecta præstari; Christianæ disciplinæ leges pristinum in statum revocari; inter sacrorum Antistites controversias componi ac dirimi procuraret. [Epist. 4, 5, 22 lib. 2] Rex vero se Catholicorum patronum vindicemque præberet ac profiteretur; ejusque sorores, Principibus nuptæ viris, per homines pios Catholicæ veritatis in officio retinerentur. [Epist. 42 lib. 4] Transilvaniæ Princeps, ejusdem Regis sororis filius, a moribus ac consuetudine hæreticorum, cum seducere conantium, atque ad ecclesiasticam omnem ibi delendam disciplinam impie cohortantium, omnino sejungeretur.

[179] Et quoniam Magnus Moschorum Dux Polonicum Regnum invasurus esse ferebatur; [Moschum in Turcas excitat,] id Pius, quoad ejus fieri posset, avertendum sibi esse existimans, misit, qui de illius consiliis cognoscerent, agerentque cum eo, ut sese Christianis cum Principibus communi fœdere consociaret, seque potius ad bellum adversus Turcam hostem suum pro viribus gerendum compararet; quin etiam ea de causa cum Polono pacem conficeret: qua de re Pius erat ad Moschum Oratorem legaturus. Cogitabat per id tempus Rex ille, Reginam uxorem suam, ceteroqui legitimam, Maximiliani Cæsaris sororem, sterilitatis causa repudiare: id vero consilii præter alios hæretici maxime commendabant fovebantque: quod si factum fuisset, [regium divortium impedit,] præterquam quod sacris legibus repugnabat, ut

turpem Regi notam inurere, ita pernicioso tum Christianis, tum aliis etiam populis, præsertim vero principibus viris, exemplo futurum boni omnes judicabant. [Epist. 1 & 2 lib. 5] Itaque Pius per litteras apud Regem tantopere contendit, ut eam ille cogitationem abjiceret: quin etiam obtinuit, ne quispiam Regis nomine (quæ plerique a Pontifice petituri esse dicebantur) sacram sub utraque specie Communionem Sacerdotumque connubia deinceps auderet postulare. [decreta faventia hæreticis abolet.] At vero cum in Lublinsibus comitiis decretum olim esset & constitutum, ut ex Polonia Trinitarii & alii quidam hæretici depellerentur, Confessionistæ vero quos vocant & Calvinistæ tolerarentur; ea de re Pius cum ipso Rege & cum aliis Catholicis gravissime expostulavit, ostendens, id decreti Catholicæ veritati pestilentissimum esse: neque vero se id ullo pacto permissurum: quinimo facturum, ut Regis jussu hæretici illi ab omnium dignitatum gradibus ac publicis muneribus amoverentur. [Epist. 7 l. 1 & 23 lib. 2 & 1, & 2 l. 3 & 43 l. 4] Itaque statim illud antiquatum est & abrogatum. Quæ res illi regno salutaris admodum fuit: nam si secus accidisset, perversa ac falsa dogmata sua sectarii corroborassent, hæreticaque pestis miserandum in modum aucta fuisset.

[180] Post Rogerium Pius Vincentium Porticum, Lucensem, integrum virum, [alteri postea misso mandat ut agat gratis] quem dein Epidaurensium Archiepiscopum novimus, Internuntium Pontificium apud eundem Regem constituit: hujus autem opera Pontifex ibi multa eaque præclara ita gessit, ut inde magnam integritatis, animi magnitudinis, ac liberalitatis laudem sit consecutus. Ac primum quidem, ut ex earum gentium animis omnem suspicionem avaritiæ, cujus insimulabantur Sacerdotes, prorsus evelleret, faciendum esse constituit, ut sacra negotia cuncta & facultates, quas tamquam Apostolicus Internuntius daret, nullo quæstu nullaque intercedente vel pecunia vel mercede, sed gratuito ille gereret &

administraret. Quæ res ibi magno provehendæ religioni tum adjumento fuit, tum etiam incremento. Jam vero cum Rex aperte perspiceret, quam ardenti sinceroque studio Pius regiam in salutem regni illius amplitudinem & tuendam & amplificandam esset intentus; optavit, ut Internuntius regiis negotiis interesset: existimabat enim hac potissimum ratione futurum, ut ope divina cuncta sibi feliciter evenirent. Quocirca ejus tantum rei causa misso tabellario, id eum rogans, litteras dedit ad Pontificem: qui mox ad Internuntium manu sua scripsit in hanc sententiam. [Regique petenti ubique adsit.] Lætati sumus vehementer, indeque Deo gratias egimus, cum intelligeremus, abs te cumulate satisfieri Regiæ isti majestati; idipsumque ab ea de virtute tua judicari, quod jam antea nos quoque judicavimus. A nobis autem Rex ipse petit, ut quoties opera tua sibi fuerit opus, sive procurandis rebus humanis, sive aliis negotiis ad istius regni tranquillitatem & pacem conficiendis, tuum vel consilium vel officium ei desiderari ne patiaris. Et quoniam genus hoc petitionis a sincero quodam optimoque proposito videtur proficisci; tam præclaro desiderio deesse noluimus. Quare mandamus tibi atque præcipimus, ut quoties postulatus fueris, ea diligentia ac fide illi deservias, qua nobis ipsis inservires. Romæ XIII Kal. Februarii MDLXIX.

[181] His igitur consiliis deinde factum est, non modo ut major inter Pium ac Regem illum animorum conjunctio intercederet ac benevolentia, [unde multa Pontifici honorifica, regno utilia secuta.] sed etiam ut Internuntius Pontificia negotia regiis præferens, res graviores deinceps curaret conficiendas. In iis ut hæreticis amotis, publica munera Catholicis mandarentur: ut Stanislaum Hosium, Varmiensem Episcopum & Cardinalem, singulari virum doctrina parique vitæ sanctitate præditum, Rex honorificentius haberet, eo proximo sibi loco in Senatum admisso; cum antea inter Episcopos, uti Varmiensis

Antistes, septimus assideret. Internuntio præterea Pontificio concessum, ut ad dexteram Regis ubique esset, uti deinceps apud ipsum perpetuo fuit. Ex hac eadem fiducia mox orta & constituta est Lituaniam inter & Poloniam optata concordia, quæ sexaginta jam annorum spatio sæpius agitata stabiliri non potuerat. Hinc porro factum, ut sacra vectigalia, quæ ad sancti Petri patrimonium antiquo jure pertinent, facilius ibi ac tutius exigi possent: quæ cum jam inde ab anno post Christum natum MXXXVIII, ob datum Polonis concessu Pontificio Regem Casimirum, qui monachus fuerat Cisterciensis, Apostolicæ Sedi, quam tenebat eo tempore Benedictus IX, viritim gratis animis pendi cœpissent, dehinc passim solvi desierant: [Tributum sacrum ibidem exigere dissimulat:] quod Romani Pontifices pro tempore Polonorum Regibus, ad eas gentes in officio ac fide continendas, condonare interdum consuessent, præsertim ab anno salutis MDXXX. At vero cum Sigismundus Rex, bonis omnibus annuentibus, ea Pio pendi statuisset, illico Pontifex eadem exigendi eo misit facultatem. Quamquam ne res ad exitum perduceretur, variis intercedentibus hominum studiis, mox fuit impeditum: nonnullis Pio subjicientibus, cavendum esse, ne id avaritiæ speciem apud eas gentes præse ferret, itaque id damni Pius dissimulare maluit, quam vel ullam licet injustam cupiditatis notam subire, vel pusillis animis querendi occasionem dari: quamquam non ignorabat, in officio recte præstando retinendoque jure suo, vel pusillorum querelis vel iniquorum calumniis impediri quemquam non oportere: sed aliquando de jure suo non nihil decedere, magnum esse compendium.

[182] Inter hæc autem Romani Pontificis in Prussiam jura quædam retinenda ac tuenda esset Pius cogitavit: [suum autem jus in Prussia tuetur:] erat namque Prussia quondam Sedis Apostolicæ ditio, in qua Pontificius Quæstor considebat: sed eam ditionem Albertus Marchio



Brandenburgensis, sumpto Ducis titulo cum olim occupasset, eique filius succedens hæreticus vel ob id tenere illam jure non posset; ei qui titulum ac ditionem ipsam tum usurpabat, quidquid Apostolica Sedes in Prussiam haberet juris, in Lublinensibus Comitiis publice denuntiari, ac denuntiationem ipsam publicis tabulis consignari, uti sedulo factum est, Pius imperavit. Præterea vero, suadente Pio, Rex sese cum Maximiliano Cæsare ad rem Christianam a Turcarum furore vindicandam clandestino fœdere conjungere, [suadet fœdus cum Cæsare contra Turcas,] sororemque suam nuptum in Austriacam familiam collocare, atque de hisce aliisque de rebus in ipsius Cæsaris colloquium venire constituit. Quæ tamen ne fierent, aliena, ut plerumque accidit, interposita consilia præpediverunt. Ad hæc Societati Jesu, quæ benigne deinceps ac liberaliter ibidem accepta est, tria collegia, [collegia Societatis Iesu fundanda] cohortante Pio, Rex ædificavit: eaque & amplis vectigalibus, & pretioso instructissimæ bibliothecæ suæ munere decoravit. Ad extremum Rex, ut rectam suam in Deum fidem atque in Pontificem Pium observantiam testaretur, hæreticam omnem pravitatem in dies magis execratus, cum per tabulas duorum testium firmatas fide regioque signo præmunitas, se in omni vita Catholicam religionem ut antea professurum, nec ullam ejusdem religionis immutationem unquam in regno suo permissurum esse Pio spondisset, easque obsignatas ad eum tabulas misisset; ad hoc ipsum magis etiam confirmandum, die Cœnæ Dominicæ sacro, magna pii populi lætitia publice Catholico ritu communicavit.

## CAP. XII.

[183] Interea ubique ferme gentium Pontificis opera sanctæ religionis cultus renovabatur egregie. In primis vero Dantisci, quæ celeberrima Prussiæ civitas est, maximisque mercimoniorum commerciis inter omnes

Europæas urbes insignis. [cœnobium Dominicanis restituendum Dantisci,] Erat in ea civitate Catholicæ veritatis ita lumen extinctum, ut omni ecclesiastico jam Ordine sublato, nullum fieret sanctæ Missæ sacrificium, nullæ sacræ conciones a Catholicis unquam haberentur: omnia denique, Lutherana peste aliisque pessimis depravatæ religionis erroribus referta, miserandum in modum interibant. Verum hujus Pontificis ope, Dominicanæ familiæ Fratibus templum cœnobiumque suum ibi restitutum est: quæ ædificia & amplitudine & opere præclara etiamnum extabant, militum hospitio ac præsidiis exposita. Qua restitutione facta, plurimi concionatores egregii aliique præterea ejus Ordinis Sacerdotes eo missi sunt: qui sacris faciendis, tantoque illorum populorum concursu atque frequentia, quanta explicari vix potest, concionibus habendis, Pontificiis tum precum tum pecuniarum subsidiis adiuti, eas gentes ad fidem Catholicam reduxerunt. Exinde per eas regiones omnes, [magno cum fructu.] ad illorum quos ad sanitatem reductum iri spes erat commoditatem, ingentem Sacerdotum numerum decrevit, cum potestate, illos, modo ad saniora redirent consilia, a crimine hæreseos absolvendi: ex quo æternæ salutis admirabiles sunt fructus consecuti. Ac proinde continuata res est, ceteris pro tempore ministris eo missis, ad illorum populorum, divini luminis ope in dies resipiscentium, procurandam salutem: cujus quidem singularis beneficii haud immemores illæ gentes, in hanc usque diem cum gratiarum actione Pii laudes concelebrare non desinunt.

Jam vero cum nihil esse aut Deo magis invisum aut humano generi pestilentius hæretica pravitate, [hæresibus ubique comprimendis intentus,] Pius optime perspiceret; ad hanc contagionem ubique terrarum radicitus evellendam, cum in omni vita sua, tum in primis in Pontificatu, & prudentissimis consiliis, & piis cohortationibus, & humanissimis monitis, & bellicis

subsidiis, armis ac pœnis adhibitis, nullis laboribus parcens aut impensis, nihil non agendum sibi esse perpetuo cogitavit. Docent hoc ea, quæ in Italia, in Gallia, in Belgio, in Hispania, in Scotia, in Anglia, in Polonia, in Prussiaque ab eo contra hæreticos gesta fuisse hactenus commemoravimus. Ad hæc vero illud etiam accedit, quod eodem ipse religionis incensus ardore, cum Italicarum tum exterarum quoque gentium Præfectos commonebat interdum, summo studio invigilarent, ut si quis apud eos hæretica infectus labe deprehensus fuisset, is continuo sacrorum Inquisitorum in potestatem traderetur. [Epist 14 lib. 5] Ac propterea Catholicos & religiosos viros quoquoersum submittebat identidem odoratum, quid non solum hæretici, sed Catholici quoque Principes de religione sentirent, aut contra ecclesiastica jura permetterent, seu etiam committerent, quaque ratione viverent cum sua quisque familia. Sed quoniam de singulis hoc loco scribere, ut longum esset, ita minime necessarium, unum vel alterum exemplum attulisse fortasse fuerit satis.

[185] Cum ergo remotioribus quibusdam in locis Neapolitani regni, [Waldenses converti per Rodericium Societatis Iesus,] nonnullos jamdiu damnatam Waldensium, alio nomine Pauperum de Lugduno, hæresim sectantes superesse intelligeret; eo Christophorum Rodericium, Societatis Jesu Sacerdotem, ampla cum potestate misit: qui eos sanctitate vitæ solidaque doctrina, quibus ille præsidiis probe erat instructus, sapienter coargueret; errantesque oves ad Catholicæ Ecclesiæ gregem, uti fecit, ope divina revocaret. Catholicæ fidei desertor quidam, nomine Franciscus Celaria, hæreticus concionator, [& Celariam hæreticum per Casanovam Dominicanum capi curat,] Morbinio, quod est oppidum Volturenæ vallis, Mantuam, ubi magno cum illius civitatis periculo perfidiæ suæ virus effundebat, statis diebus clanculo proficisci consueverat: ad hunc Pius

Petrum Angelum Casanovam, Dominicanum cœnobitam, in Volturenam Clavennamque Gallicæ Cisalpinæ valles emisit, rationemque præscripsit, qua ille ad capiendum hæreticum uteretur. Quod quidem ei percommode cecidit: nam illum, ex quodam hæreticorum conventu Curicæ celebrato Morbinium versus redeuntem, atque per os Abducæ trajecturum, ipse Casanova ibi præstolans, octo virorum ope subnixus, suis manibus comprehensum in lintrem ad id comparatum detrudit: eumque vinctum inde Placentiam, uti sibi fuerat imperatum, ad Octavium Farnesium Ducem perduxit: qui pro sua in Sedem Apostolicam fide ac pietate eum Romam devehendum curavit. Damnatum hæreticum pœnam sequi oportebat, ut igni vivus cremaretur: [quo Romæ exusto,] sceleris tamen consortibus, qui non modo Mantuæ, sed alibi etiam erant, prius enuntiatis. Cui morbo, & item ceteris, quæ inde proficiscebantur, malis opportuno subinde remedio provisum est. Ille vero tandem sui pravitatem agnoscens errati, antequam igni traderetur, serane, an seria pœnitentia duci visus est: atque ita mortuus flammis fuit absumptus.

[186] At vero Pontificis jussu, ad hæreticum capiendum concionatorem, [frustra hæretici conqueruntur:] administros Pontificis eo penetravisse, tantum Rhætorum animis terrorem incussit, ut eorum præcones per Catholicorum oppida deinceps vagari non auderent. Extemplo Rhaeti ad varios principes viros de sua, quam violatam esse querebantur, vindicanda jurisdictione legationes decreverunt. Dux autem Albuquerque, Gabriel a Cueva, ditionis Mediolanensis Præfectus, ad quem in primis illi confugerant, ut erat vir admodum pius atque Catholicus, id quod res erat eis respondit: Pontificem absolutam ac legitimam in omnes terrarum orbis partes potestatem habere, quoties ipse vellet hæreticos vel capi, vel meritis affici suppliciis. Quamobrem cum adversa votis responsa retulissent, præmia publice

proposuerunt iis, qui Casanovam ejusque fautores vel enecassent, vel eos vivos aut mortuos in potestatem sibi tradidissent. At enim Pius, quin ad alias ejusmodi hominum pestes, tum eodem tum alio etiam tollendas mitteret, haudquaquam sibi propterea desistendum esse constituit: qui in vincula conjecti, Romam ad eum a multis principibus viris, citra ullam fere contentionem, perducere curabantur.

[187] Cum enim Petrum Carnesiccam, Protonotarium, civem Florentinum, [sic & a Florentiæ Duce transmissus Carnesicca comburitur,] hæreticum sæpe relapsum, primo Pontificatus anno, vinctum ad se Romam perducere una litterarum significatione a Cosmo Medice Florentiæ Duce postulavisset, id ille statim, qua semper fuit in Deum fide, & in Apostolicam Sedem (præsertim in Pontificem Pium) obedientia ac pietate, summo studio præstandum curavit: adjecitque si ob ejusmodi causam, quod ab illo Deus omen averteret, Principem ejus filium sibi tradi Pius voluisset, eum ab se in vinculis illi missum iri. At hæreticus ab sacro Inquisitionis magistratu Romæ damnatus, secularique potestati traditus, ignis supplicium pertulit: cum per annos viginti septem ea infectus labe, sacris proventibus clam hæreticos impie sustentasset; atque inter alia pravitatis indicia, permultæ ad hæresiarcham Calvinum ejus epistolæ cum responsis deprehensæ fuissent. Guidum præterea Zanetum Fanensem, eadem hæretica perfidia notatum, Pataviique latentem comprehendi, ad Sedisque Apostolicæ judicium Pius deduci mandavit: [& Zanetus Patavii latens capitur.] licet Venetis Senatoribus judicium illud ad se pertinere profitentibus, in ea re obtinenda variæ de jurisdictione contentiones intercesserint. Sed Pius ejusmodi caussarum omnium ubique gentium supremum se ac legitimum judicem agnoscens, quod volebat obtinuit, edicens, hæc ex sacris legibus non ad profanam, nisi quod ad infligendas pœnas post latam per Ecclesiasticos judices

sententiam, spectare, sed ad sacram potestatem omnino pertinere.

[188] Ceterum nihil Pro gratius poterat accidere, quam si videret ex hæresi aliquos resipiscere, [gaudet Pius in conversionem virorum primariorum.] & ad Ecclesiæ unitatem obedientiamque redire: atque hanc animi voluptatem cum de omnibus sentiret, eam tamen singularem ex primariis viris resipiscentibus percepiebat. Intelligebat enim, quod ait S. Augustinus, claros homines cum multis noti sint, multis esse auctoritati ad salutem, & multis præire secuturis. Quare cum aliquando cognovisset, Polonos quosdam nobiles viros ad fidem Catholicam revertisse; eximio persusus gaudio, datis ad ipsos clementissimis litteris, summum illud beneficium quod a Deo accepissent gratulatus, amantissime illos ad perseverantiam adhortatus est: qui postea in suscepto pietatis cultu persistentes, magno ceteris illis gentibus, ad æternæ salutis viam pie tenendam, adjumento fuere [Lib. 8., Conf. cap. 4].

### CAP. XIII

[189] Acre porro studium ac diligentiam Pius adhibuit tum Venetorum Sacerdotum ordinandæ disciplinæ, tum in omni illa ditone Christianis moribus & institutis sive restituendis sive etiam conservandis. Diligebat enim eam ipse Rempublicam, atque universis illius vel decretis vel legibus tuendis, quatenus æquitas ferret; paratum semper sese præbuit. Cum igitur Joannem Antonium Fachinetum, qui postea Innocentius IX appellatus bimestrem Pontificatum sanctissime gessit, virum summo rerum usu, eximia juris prudentia & integritate ornatum, apud eum Senatam Internuntium Apostolicum toto Pontificatus sui tempore decrevisset, ejus opera complura ibi, eaque præclara, & utilia confici negotia procuravit. Ut autem Sacerdotum disciplinam ordinaret, Venetis

considerandum proponebat; hæreticos, [in ditione Veneta præcipit Sacerdotum mores emendari.] quemadmodum nullo certo pravitatis suæ nituntur fundamento, ita depravatis quorundam Clericorum moribus objectandis, falsam & iniquam sectam suam prætexere solere imperitæ multitudinis animis obcæcatis. Cumque magno Italiæ ornamento esset illa Respublica, in qua tamdiu Christiana religio floruisset, quoniam divinis legibus ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ antea Veneti obtemperassent; summo quoque studio curandum, ut pietatis in officio se omnes continerent: populorumque, in primis vero Sacerdotum mores ac disciplina recte sese haberet. Neque enim cuivis Reipublicæ satis esse, si Princeps unus bonus ipse fuerit, subjectis interim sibi populis data peccandi licentia: ex qua demum Reipublicæ perniciēs maneret & exitium: cujus rei cum aliæ provinciæ complures, tum in primis Galliæ reliquas gentes non sine magno suo malo commonerent. Statuit porro, ut olim sacris legibus cautum erat, ne cum mulieribus habitarent Sacerdotes, ac ne ita multi sacris initiarentur ordinibus: in eaque re major & morum & eruditionis ratio deinceps haberetur. Satius enim esse, in ordinatione præcipue Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum ducit, ut ait Christus, ambo in foveam cadunt. [Matth, 15]

[190] Edixit præterea, ut adversus execranda in Deum Sanctosque maledicta, publice constituti viri, in eos animadverterent, [& alia plura utiliter suadet.] qui in sacrosanctam Romani Pontificis, Ecclesiæque vel auctoritatem vel dignitatem obloquerentur: nam obtrectationes ejusmodi argumenta quædam & initia quondam fuisse immutandæ religionis, ac rerum status convellendi. Hæc & id genus alia complura Pius Venetis præcipiebat, quæ magno & sacris & profanis rebus pie componendis aut constituendis adjumento fuere: nam his monitis illi permoti, ad Pontificis juvanda consilia

jussaque facienda, sese converterunt. Itaque sacrorum Antistites sunt in sua quisque loca profecti: Abbates, & Ecclesiarum administri, aliique præterea sacrati ordinis Ecclesiasticam servare disciplinam, moresque componere omnes jussi, alii quidem paruerunt; alii vero, qui contumaces essent ceterisque præberent offensionem, per illam ditionem omnem, vel ad saniora consilia revocati vel expulsi vel alias propositas pœnas subire coacti sunt.

## CAPUT VI.

**Ecclesiæ Mediolanensis jura protecta:  
Ordo Humiliatorum deletus.  
Duci Florentiæ honores aucti.**

### Cap. XIV.

Exardebat etiam per eos dies inter S. Carolum Cardinalem Borromæum, Mediolanensem Archiepiscopum, virum eximie sanctitatis laude clarissimum, ac regios ejusdem civitatis Magistratus, gravis in primis ac multiplex de sacra jurisdictione controversia. [Pro S. Carolo Borromæo, jura Ecclesia Mediolanen.] In ea præter cetera contigit, ut Ecclesiastici fori lictor primarius, cum armis Principis edicto prohibitis comprehensus, eorundem jussu Magistratum in carcerem truderetur, ac deinde publice fune acerbissime tortus in exilium cedere juberetur. Quare cum omnes hujus facinoris affines auctoresque præcipuos ab Ecclesiæ communione Archiepiscopus pro potestate sejunxisset, ac proinde Senatus Mediolanensis Præsidem duosque primarios Senatores ad dicendam coram se causam Roman Pius evocasset, ac judicio in eos constituto rem ipse dijudicare atque componere statuisset, Philippi Catholici Regis in Urbe procuratores, Regem ipsum jussa Pontificis omnia facturum esse in se recipientes, negotium



præverterunt. [Epist. 16 & 17 lib. 1, Epist. 38, 39, lib. 3] Itaque Pius per Joannem Baptistam Castaneum, Rossani Archiepiscopum, ordinarium suum in aula Regia tunc Internuntium, virum omni virtute præstantissimum, qui deinde ad summum Pontificatum eVectus, [apud Philippum Regem fortiter tuetur,] Urbanus Septimus est appellatus, & item per Vincentium Justinianum, universi Dominicani ordinis Antistitem, ac denique per Julium Aquavivam, Atriæ Ducis filium, utriusque Signaturæ Referendarium, viros eximia prudentia, doctrina, & integritate præditos (quos ambos ipse postea sacræ Purpuræ dignitate decoravit) ad Regem ob hæc atque alia id generis negotia ab se missos, apud eum agebat, ut auctoritatem suam retinere atque exercere posset Ecclesia Mediolanensis. Secus enim imminere periculum, ne inde clanculum aditus aperiretur hæresibus: quibus deinceps occurrere, eidem Regi vel cupienti haud ita facile foret. De optima quidem pii Regis voluntate se nihil ambigere, sed ne quid præter vel contra illam committerent administri, se jam re ipsa doctum subvereri. Ceterum se potestatem, quam a Deo summam acceperat, in id interpositurum, atque in ejusmodi causis pro Ecclesiastica retinenda libertate se vitam & sanguinem, si opus esset, libenter profusurum.

[192] Demum post varias contentiones Regii quidam administri, [ne qui ea violarent impuniti haberentur.] ad quos ea magis pertinebat causa, Mediolani, Pii concessu, ab Archiepiscopo stata ceremonia in gratiam Ecclesiæ recepti, merita pœnitentiæ piacula publice subiere, spectaculo pro foribus ædis maximæ constituto. Sed arma prius Archiepiscopalibus jam erepta ministris restituerunt: solemnique jurejurando sese devinxerunt, in Ecclesiam deinde nihil umquam tale se commissuros. Atqui nec multo post quicumque in ea fuerant culpa, fere omnes vario immaturæ mortis genere decesserunt: relicto posteris exemplo, ne quid audeant in Ecclesiam temere

moliri; sed eam potius, ut pios homines decet, tueantur ac protegant. Sacram namque dignitatem aut Ecclesiastica jura violare vel imminuere, scelus est, ut Christianæ reipublicæ perniciosum, ita Deo Ecclesiæ suæ vindici justissimo tam odiosum & invisum, ut quicumque in eo genere deliquerint, in eos graviter ira divina semper exarserit. Quin etiam si prisca memoria repetamus exempla, inde maximam in genus humanum offendemus invectam esse partem incommodotum. Hinc hæreses, hinc civiles dissensiones, publicas clades, hinc denique civitatum, regnorum ac Regum excidia divino judicio consequi semper consuevisse, sacra profanaque testatur historia. Verum hæc, & ea quæ mox de Humiliatorum Ordine subjiciam, complectar brevius, quoniam eadem & uberius & melius explicata legere est in libro de ipsius Cardinalis vita, quam vir egregius Carolus a Basilicapetri, olim nostræ hujus Congregationis Clericorum regularium S. Pauli Præpositus Generalis, nunc Episcopus Novariensis, accurate conscripsit.

### Cap. XV.

[193] Humiliatorum, quos appellabant, Ordinem inde Pius extinguendum esse statuit. [Reformandis Humiliatis intentus S. Carolus] Ii namque cum jam quingentis circiter ab hinc annis egregia pietatis laude in Italia florere cæpissent, dein sensim neglecta perfectioris vitæ disciplina (ut ad deteriora proclivia sunt hominum ingenia, ac nisi optimis culta studiis perpetuo fulciantur, vel præclara instituta facile prolabuntur) a susceptæ religionis officio declinabant in dies. Cui malo Pius pro sua pastorali cura quibuscumque posset remediis occurrendum esse constituens, ipsi Carolo Cardinali, cujus in patrocinium jam traditus erat ille Ordo, de eo corrigendo, & ad pristinam disciplinam revocando, mandata dederat. At is cum jussa Pontificis exsequi niteretur, magnam apud quosdam ejusdem Ordinis

Præpositos, ab ejusmodi rerum instauratione clam abhorrentes, sibi conflavit invidiam: quæ usque adeo crevit, eoque temeritatis eorum perpulit animos, ut locum suum desertorem quemdam, Hieronymum Donatum, cognomento Farinam, ad Cardinalem quoquo modo possit e medio tollendum, inducere non dubitarint. [ideoque ab iis ad mortem petitus,] Is ergo cum nefarium scelus variis artibus sæpenumero committere nequidquam tantavisset; demum quadam die, quæ dies fuit ad VII Kalendas Novembris, anno MDLXIX, vesperi clam in Archiepiscopale palatium ingressus, Cardinalem in sacello cum familia sua sacris de more precibus intentum, ab aperto loci ostio, ictu minoris tormenti, glande & aliquot præterea quadratis plumbi frustulis instructi, confodere est aggressus. Exaudito strepitu, mox, ne incepto precantes absisterent, præsentis animo jussit Cardinalis. Utrumque divinitus factum esse dixeris, ut & eo temporis momento, quasi ad ipsos orantium animos magis confirmandos, pio concentu canerentur ea Domini verba: Non turbetur cor vestrum, neque formidet; [cum sclopi ictum excepisses illaesus,] & ictus ad Cardinalis tergum perveniens eum, a nefario percussore quatuor quinqueve cubitis distantem, nihil offenderet. [Ion. 14] Glans enim plumbea, cum nec extimam quidem ejus vestem lineam (superpelliceum vel rochetum appellant) trajecisset, sed in ea fœdum vestigium reliquisset, in dorsique spina leviter contusa cum tumore signum impressisset, in pannum humi stratum decidit. Frustula vero, eo quoque minime læso, varia loca petierunt: alia quidem inani ictu trajectis vestibus & ambustis, in iis diffusa reperta sunt: alia vero in parietem & lignum, quæ contra ostium erant, Carolo medio, excussa ceciderunt. Itaque famulum suum protegente Deo, periculum admirabiliter evasit sanctus Antistes.

[194] Hisce rebus auditis Pius, utpote qui Carolum ipsum, virum ut honoris dignitate, ita virtutum omnium laudibus

illustrissimum, [Pius Deo gratias agit,] unice diligeret ac complecteretur; quique pati nullo modo posset, ut sacrosancta vel Cardinalium vel Episcoporum violaretur auctoritas, eoque minus vita peteretur, vehementer condoluit: eaque de re in Cardinalium conventu verba faciens casum deploravit, eosque hortatus est, ut de tanto viro per miraculum servato, Deo gratias agerent. Mox suo nomine ad Regem Catholicum litteras dari, eique negotium gravissime commendari jussit, ut provinciæ Mediolanensis administris, quæ oporteret, pro rei gravitate præscriberet. At enim optimus Rex, tantum facinus & ipse vehementer execratus, ut sacrilegi parricidæ diligentissime conquirentur, meritisque suppliciis afficerentur, imperavit. [& Carolo gratulatus,] Caroli vero litteris, quibus rem ipsam accurate descriptam per Nicolaum Ormanetum ad Pium referri curaverat, Pontifex manu sua respondit; hoc jam inde ab ipso mundi ortu iniquis semper in more fuisse, odisse justos, eosque insectari: sed dum illis obesse conati sunt, profuisse potius, sibi vero nocuisse. Dolere se maxime quorundam cæcitatem, qui contra se ipsos laborarent: Deo gratias egisse, quod talem virum sibi servasset, & dæmonis conatum infregisset: non solum Dei fiducia, maximo alioqui præsidio, sed diligentia etiam in se custodiendo uteretur: vindicturam id sceleris divinam majestatem, ut solet, in tempore. Deum oraret per se, & per alios, ut cæcis lumen daret.

[195] Ceterum Pius, tam nefarium scelus haud quaquam dissimulandum ratus, in primis Carolum jussit sibi suspectos prodere: qui respondit, [eodem frustra deprecante,] scire se correctionis causa multos sibi offensos esse, sed legitimam suspicionem habere nullam: nolleque, quantum in se esset (quod etiam publico scripto testatus est) aut in quemquam omnino ea de re agi, aut suorum aliquem ejus inquisitionis vel judicii ullo modo esse participem: quin etiam sæpius Pontificem supplex

**Carolus rogavit, ut criminis auctoribus ignosceret, Deoque factum remitteret. At vero Pontifex, cum edictum evulgasset in eos, qui sceleris affines essent, idque nondum comperiri posset; ineunte anno MDLXX Antonium Scarampam, Episcopum Laudensem, [inquisitionem criminis committit Ep. Laudensi:] qui de maleficio diligenter quæreret, alio graviore cum edicto Mediolanum legavit. Quo edicto ibi per Episcopum promulgato, anathemati omnes subiciebantur quicumque non indicarent, quid de eo facto nossent; indicantibusque impunitas promittebatur, etiam si sceleri consensissent. Huic autem edicto, ut Carolo ipsi & aliis Cardinalibus in posterum magis caveret, generalem adjecit constitutionem, qua veteris decreti pœna, in percussores Cardinalium a Bonifacio VIII sancita, etiam conscios sceleris, nisi indicarent, teneri statuit.**

**[196] Jam vero tandem conjuratione patefacta, flagitii auctorem in oppidum Clavasium, ubi inter præsidarios milites incognitum se adscribi fecerat, [& reis morte punitis,] receptum esse Pius intelligens; confestim Emanuele Philibertum, Sabaudia Ducem, cujus in ditione illud est præsidium, per litteras commonuit, Ecclesiasticorum Judicium in potestatem eum protinus dare ne recusaret. Qui ut optimus Princeps Catholicæque religionis studiosissimus, & in ipsum Carolum singulari observantia propensus, reum comprehendi, sub arctaque custodia Mediolanum Archiepiscopales in carceres perducere curavit. Quos etiam in carceres conjecti statim illi Præpositi & in quæstionem dati, crimenque confessi, Senatus judicio capitis damnati sunt, una cum ipso sacrilego percussore. Quare cum in truculenti sceleris hujus detestationem, tum etiam ob alias ejus sodalitates corruptelas, eodem anno MDLXX totum Humiliatorum Ordinem Pius extinxit, [ordinem ad paucos redactum extinguit.] eorumque Præposituras, sacerdotia & vectigalia, partim Cardinalibus, partim etiam religiosis**

locis, piorumque sodalitatibus adjudicavit. [Const. 119, 120] Monachos vero, qui fuere non amplius centum septuaginta quatuor, ex ipsis distributis facultatibus, victu monastico donec viverent sustentari jussit, & in religiosa disciplina Episcoporum cura contineri. Hunc demum exitum habuit optimus quondam monachorum Ordo, taleque edidit Pius exemplum neglectæ disciplinæ vindicandæ, ut ceteri sibi discant cavere diligentius.

## CAP. XVI

[197] Sed quemadmodum Principes viros, si quid contra sacram potestatem ecclesiasticaque jura committerent, reprimere Pius non formidabat, sic eos ubi Sedi Apostolicæ favere, Ecclesiæque dignitatem & Catholicam fidem, quibus deberent ac possent auxiliis, protegere cognovisset, [Cosmum Florentiæ Ducem] amplissimis muneribus & honoribus augere consueverat. Cum enim ad Catholici nominis hostes in Gallia, ut diximus, debellandos, Cosmum Medicem, Florentiæ Ducem, adjumenti plurimum attulisse, eumque & Christianæ Reipublicæ tuendæ salutis, & Apostolicæ Sedis obsequio perpetuo intentum esse animadverteret; ipsum atque successores ejus omnes ad altiorem honoris gradum provehere, Magnique Ducis Etruriæ, provinciæ sibi pro maxima illius parte subjectæ, titulo insignire pro potestate constituit: cum ut piam liberalissimi Principis ac domus clarissimæ in Ecclesiam Dei beneficentiam ac merita honorifico grati animi officio prosequeretur; tum etiam ut ceteros Catholicos ac principes viros, ad ejusmodi in Christianam Rempublicam sive subsidia sive beneficia pro tempore conferenda, illustri remunerationis genere provocaret: nihil tale Pii temporibus procurante Cosmo, nec ab eo id se impetratum esse cogitante; sed totum id ipsius tantum Pontificis curatum arbitrio est.

[198] Etenim eodem ipso bello Gallico conflato jam ac prope confecto, Comitem Sanctæ Floræ rogabat Galliarum Rex, ut Pontificis Cosmique auxiliares copias, quibus ille præerat, [missis & continuatis in Galliam subsidiis,] ultra constitutum sibi tempus in alios tres menses in Gallia contineret. Comes ea de re ministrum suum ab epistolis misit ad Pium: qui sibi gratum quidem esse respondit, milites suos illic ejus subsidii causa commorari; sed de Cosmi cohortibus se non posse ultra præstitutum tempus quidquam decernere, neque oneris illi plus imponendum videri: nam Cosmum cumulate satis officio fecisse suo, cum præsertim ille, suadente se, centum & amplius nummum aureorum millia in ejusdem belli subsidium Gallorum Regi commodasset. Mox Comitum nuntio Pius imperavit, ut cum ejusmodi explicatione consilii rediret in Galliam, Florentiamque prætergrediens singillatim de rebus omnibus Ducem certiore faceret. [optime meritum de religione;] Dux autem eo accepto nuntio; Non erat, inquit, cur Pius hoc de me sibi polliceri vereretur: non solum enim subsidiarios meos cum Pontificiis copiis, quamdiu voluerit ipse, in Galliis pro Catholica religione permanere curabo; sed etiam, eo jubente, operam in illo bello meam ei navare, & quidquid ex ditionibus meis subsidiorum cogi poterit, prompte suppeditandum polliceor, deferoque libentissime. Quod cum per litteras nuntius Pio significasset, oculos ipse convertit in Christi de cruce pendentis effigiem, junctisque manibus supplex Deum oravit, ne permetteret se tristem obire diem suum: sicuti contigisset, nisi per occasionem sibi in Cosmum, de sancta Ecclesia Dei optime meritum, grati animi significationem dare licuisset.

[199] Subinde cum ei veniret in mentem, temporibus superioris Pontificis agitatum esse de augendo Cosmi titulo, [titulo majori aucturus,] ea de re ubi diligentius cognovit, eum, aliis Principibus non admonitis, Magnum

Ducem creare decrevit; ac suis ipse manibus regium illi diadema designavit, in quo hæc verba ab se dictata voluit inscribi. [Constit. 88 Epist. 46 lib. 4] Pius V Pont. Max. ob eximiam dilectionem, ac Catholicæ religionis zelum, præcipuumque justitiæ studium, donavit. Cumque super hac re diploma scribendum curavisset, id per Michaelem Bonellum, Cardinalis Alexandrini fratrem, misit ad Cosmum: cujus in eo diplomate virtutes, atque ea, quibus erat maxime conspicuus, [diplomate misso explicat gentis Etruscæ] promerita jussit explicari: præsertim vero, quod provinciam ille suam ab hæretica contagione liberam conservasset: quod Sedes Apostolica gratissima plerumque obsequia, atque etiam commoda, subministratis ab Etruscis auxiliis, olim ac nuper accepisset; idque complures Romani Pontifices, præsertim Innocentius & Clemens, uterque eo nomine IV, Gregorius X, Benedictus XI, Martinus V & Leo X luculenter restati fuissent; adeo ut tam eandem provinciam, quam ejus Rectores & Magistratus, ob peculiarem erga Romanam Ecclesiam devotionem, & observantiam, propenso paternoque affectu variis muneribus & honoribus jure cohonestandos atque ornandos esse censuissent.

[200] Quod ipse Cosmus majorem in dies eximiæ virtutis suæ splendorem, ferventiorumque Catholicæ religionis cultum, & in administranda justitia præcellens studium, [& ipsius Cosmi laudes eximias] ex eo tempore quo imperare cœpit, nusquam prætermisisset. Quod Carolo Gallorum Regi Christianissimo, adversus ejus rebelles & hæreticos, pecuniis, peditatu & equitatu, Pio ipso cohortante, alacriter opem tulisset. Quod pro eximia ejus in Deum pietate superioribus annis Militiam S. Stephani, ad rectæ fidei exaltationem ac propagationem, instituisset; bonis ditasset & ampliasset. Quod delatum sibi admirabiliter Principatum admirabilius regeret ac moderaretur; illumque singulari prudentia, in pacis ac



**justitiæ amœnitate, ab ineunte ejus ætate diligentissime contineret & conservaret. Quot terra marique præpotens, piratis, facinorosis, sicariis, quietis & otii publici perturbatoribus, Sedisque Apostolicæ perduellibus & adversariis, hostis acerrimus scelerumque severus vindex existeret. Quod numerosae frequenti populorum ei subditorum, Deo benedicente, multitudine, copiosis grandibusque redditibus gauderet ac frueretur. Quod validus peditum & equitum numerus in omnes usus ei præsto semper esse posset. Quod quamplures florentissimas urbes, tam Cathedralium quam earum nonnullas Metropoliticarum dignitate insignes, & gymnasiorum generalium celebritate liberaliumque disciplinarum studiis ornatas, munitissimos portus, validissimas arces, loca tutissima, triremium classem paratam & instructam, tam ad Tyrrheni sui maris quam ad Romanæ Sedis oræ maritimæ tutelam, haberet. Quod rerum omnium copia, ditionis amplitudine, locorum ubertate, continua vitæ felicitate, demum gentis celebris admodum & opulentæ viribus subnixus effloresceret. Quod cuncta hæc ipsa & alia bona immensæ Dei omnipotentis benignitati accepta referens, ea ad divinum honorem & gloriam paratissima semper fore profiteretur. Quod absoluta potestate, ratione liberi & recti Domini Florentini, nemini subjectus esset, ut juxta distinctionem Pelagii Romani Pontificis inter ceteros magnos Duces ac Principes censeri & numerari posset ac deberet. Quod ipse ejusque filius primogenitus Franciscus, arctis admodum affinitatis & necessitudinis vinculis cum Maximiliano Cæsare designato, & maximis Christiani nominis Regibus conjuncti essent: iique a nobilissima stirpe Medicæa, multis honoribus & titulis decorata, & ex qua tot illustres viri ac tres Romani Pontifices prodiissent, ortum haberent.**

**[201] His ergo atque aliis ejusmodi, quæ latius in ipso diplomate referuntur, justissimis de causis id honoris &**

tituli Cosmo ipsi illique inclitæ familiæ, [eique dat titulum Magni Ducis,] de supremæ suæ Apostolicæ potestatis plenitudine, conferendum esse statuit: idque Romanorum Pontificum decessorum suorum secutus exempla, præsertim Alexandri III, qui Alfonso ex Duce Lusitanicæ Regem constituit, & Innocentii pariter III, qui Colaionnem Bulgarorum & Blanchorum, qui Pannonicæ Regibus subjecti erant, Regem fecit; & Bohemicæ Duci, ut in suis litteris Regem se nominare posset, concessit; &, ut alios plurimos omittamus, Pauli IV, qui nostris temporibus Hiberniam insulam in regni titulum ac dignitatem erexit. Cosmum ergo, Romam ad suscipienda insignia diadematis evocatum, honorificentissime in aula Regia Pius excepit. Mox in sacello Pontificio inter sacrorum solemnia, die Dominica Lætare, [coronam & sceptrum ac rosam benedictam,] quæ incidit in tertium Nonas Martias, anno MDLXX, suis ipse manibus ejus capiti eximii pretii coronam imposuit, atque sceptrum illi dedit in manus: Cosmo prius pro more sese jurejurando obstringente, ad fidem & obedientiam Pio ipsi, ac ceteris deinceps Romanis Pontificibus ejus successoribus Ecclesiæque præstandam: eumque inter hæc sacra Rosa, ipso die de more ab se consecrata, condonavit.

[202] Neque vero passus est Pius, ut ille vel de itinere Romam suscepto, vel de diademate recipiendo, [nequidquam reclamante Oratore Cæsareo,] Cæsarem aut Hispaniarum Regem commonefaceret. Providebat enim fore, ut nonnulli alii Principes viri, quantum in ipsis esset, eam rem impedire conarentur: quæ tamen res ad Sedem Apostolicam, bene de se meritos eum in modum remunerare cupientem, omnino pertineret. Sed antequam sacellum Pius ineret, Cæsaris Orator, illi neutiquam licere Cosmum ita redimire, supplex denuntiavit; quod is non Pontificis beneficiarius esset, sed Cæsaris, cujus essent partes hujuscemodi. Cui mox Pius: Quonam, inquit, jure Imperatores ipsi vel sunt vel appellantur Imperatores, nisi

ex Apostolicæ Sedis auctoritate? Subinde ad se Fiscus procuratorem accitum, uti ipsius Sedis rationibus caveret, admonuit Qui jussa faciens, Oratori Cæsareo respondit; Pontificem nequaquam accipere denuntiationem ejusmodi, sed eam veluti legibus adversam repudiare. At vero Maximilianus, identidem instigatus a suis, [ipsoque Cæsare:] Florentiam civitatem ad Imperium pertinere dicentibus, dari Pio curavit certa scripta, quibus jura sua confirmare conabatur; ut id tituli omnino deleteretur: secus enim multa se, quæ inde proficiscerentur, incommoda minitari: demum haudquaquam licere Romano Pontifici de rebus humanis, in locis sibi non subjectis, quidquam statuere. At Pius, uti potestatem in terris gerens Christi Domini, cujus sunt cæli terrarumque ambitus, ultro citroque agi ea de re amplius noluit: ratus id minime convenire ei, qui pro sua amplissima auctoritate posset hæc, & alia in hoc genere longe majora, ad communem Christianæ reipublicæ salutem, efficere. Neque tamen passus est, ut in ejusmodi opinione Cæsar diutius inhæreret: [cui & factum probat.] nam per Cardinalem Commendonum Legatum, quam gravi errore consilarii sui eum implicuissent, ei coram referendum imperavit. Ac proinde rationibus, quibus Cæsar ipse de ea mente deduci maxime poterat, adjunxit etiam exempla, & Imperii in Occidentem per Apostolicam Sedem translati, & Septemvirum in Germania creatorum, & ejus, quam ab ipsa sacrosancta Sede iidem habent, auctoritatis: & illa demum, quæ passim Pontifices summi regnorum jura commutarunt, ac varios Principes novis & amplissimis titulis olim decoraverunt.

## LIBER IV.

### Apparatus & fœdus ad bellum Turcis inferendum.

## CAPUT I.

**Cyprus a Turcis cœpta occupari. Pii V cura, ut  
suppetias a Regibus Hispaniæ & Lusitaniæ  
acquirat.**

[203] Dum hæc agerentur, ineunte vere ipsius anni MDLXX, Selymus II Turcarum Imperator, pacis fœdere, quod ille jamdiu a patre cum Venetis ictum anno superiore jurejurando firmaverat, perfide violato, [Selymus Turca Cyprum petit a Venetis,] grave & exitiosum Christianis intentans bellum, in primis Cypri regnum, uti fecit, occupare nitebatur: ob idque maximos, si unquam antea, bellicos apparatus Constantinopoli & alibi ab eo fieri constabat. Cyprum, mediterranei maris insulam longe maximam & opimam, quam Veneti per annos octoginta & amplius pacate ac legitimo jure tenuerant, eo magis sibi subjicere Tyrannus, pro immensa sua dominandi libidine & efferato in Christianos odio, cupiebat; quod inde ad alias Italiæ adiacentes insulas & oras aditum sibi patefacere, & Venetos per idem tempus duabus maximis cladibus afflictos, Turcarum impetus sustinere, nedum frangere nullo modo posse, confideret. Nam anno superiore, & summa frugum inopia, propter cæli intemperiem, non modo Venetiis, sed per Italiam quoque laboratum erat; [velut spectantem ad jus regni Memphitici a se occupati] & Venetum navale seu armamentarium, toto fere orbe celeberrimum, bellicis machinis, armis atque aliis rebus ad bella necessariis instructissimum, horribili casu ingentique jactura conflagraverat. Hoc igitur Selymus inito consilio, Cubatem legatum suum ad Venetos misit, qui denuntiaret, eam se insulam sibi deposcere, & pro jure in eam suo, & pro ea quam adeptus erat Memphitici regni possessione. Cum enim Sultanus Rex Mempheos (Cairum appellant) jam ante annos centum & quinquaginta Joannem Lusinianum, Cypri Regem, ad Thalamem Peloponnesi oppidum cepisset, octoque millium aureorum nummum in annos singulos vectigalem fecisset; demum quidquid Sultanus

possedisset, in potestatem Turcarum, qui postea ejus imperium obtinuerant, pervenisse: atque ita Cyprium sibi successionis lege deberi, ac nisi inde Veneti cederent, se ad eorum interuersionem cum mille navigiis & amplius proditurum.

[204] Hæc autem referenti, atque alias præterea minas superbe jactanti, quæ oportuit constanter Veneti respondere: se Regibus Ottomanis omni tempore datam fidem servasse, [quibus id generose negantibus,] Cypri causa annua tributa pendisse, multorum commodorum amplificandique imperii occasiones plurimas dimisisse, ut pacta fides suam obtineret religionem, judicasseque magnanimos Principes nihil magis decere, quam fidem datam præstare, & ubique servare constantiam: ne primi pacem violasse dicerentur, multa & indigna & acerba, quæ passi essent, dissimulasse; finibus suis se non excessisse; denique nihil tale in eum commisisse, quam ob rem ille posset ita se gerere. Quare quando jure fœderis non possent, armis id regnum se defensuros, quod a majoribus acceptum veteri ac legitimo jure possiderent: post obitum videlicet Catharinæ Reginae Cypri, quam Venetus Senatus, utpote civem suam, e clarissima Corneliorum familia, in gratiam Jacobi Lusiniani postremi Cypri Regis, antequam illi nuberet, sibi filiam adoptaverat. Quæ proinde eodem Jacobo ex eoque genito filio posthumo vita functis, ejus regni legitimum heredem ex mariti testamento Senatum ac Rempublicam Venetam reliquerat. [& auxilium a Pio petentibus,] Itaque ad jus suum pro viribus retinendum parati Veneti Turcicum legatum dimiserunt: imminentiæque pericula per Michaelem Surianum, suum apud Sedem Apostolicam Oratorem, Pio renuntiari curaverunt: supplicantes, ut non modo classi, quam ipsi bene validam instrui maturabant, opem ferret; sed opportuna quoque per alios Principes in id dari subsidia procuraret. Venetorum autem spem non modo non fefellit Pius, sed etiam longe superavit: hanc

enim tam præclaram, quam sibi divinitus oblatam esse existimabat, occasionem amplectendam esse ratus; præter illa, quæ quanta posset maxima se præbiturum, [eos ille invitat ad fœderis sacri societatem,] ab aliisque Principibus diligenter procuraturum pollicebatur auxilia, sociale fœdus, quod ipse jamdiu volutabat animo, Venetis proposuit Christianis cum Principibus ineundum, ad avertendum communem hostem, vel si fieri posset evertendum; at que id se curaturum esse spondit, & in se recepit.

[205] Prompta ac pia Pontificis officia studiaque sibi quam gratissima esse, eamque rem prudenti ipsius judicio conficiendam, libenter se deferre Veneti responderunt: sed quod plurimum temporis intercessurum intelligerent, antequam fœderis condiciones convenire, Principesque ad suscipiendum commune bellum induci possent, præsentibus periculis moram non ferentibus, illud urgebant impensius, ut quam maxima celeritate a Christianis auxilia flagitarentur: interim de conditionibus ageretur. Hac approbata sententia Pius, rebusque omnibus in summo Cardinalium consessu mature consultis & constitutis, ut id nomini Christiano bene ac feliciter eveniret, ipse primum Spiritus sancti opem suppliciter implorans, privatim & publice supplices ad Deum preces indicit. Mox Ludovicum de Torres, Camerae Apostolicæ Clericum, spectata prudentia & integritate virum, cujus optima fide & opera aliis in rebus usus fuerat, ad Catholicum Regem Philippum, [sicut & Philippum Hispaniæ Regem,] qui & præcipuam hujus belli causam habebat, & classe jam instructa, potentia & imperii magnitudine plurimum valebat, cum litteris legavit: quibus litteris afflictæ Christianæ Reipublicæ statum graviter deplorans, & quam ipse acerbam sane molestiam inde caperet ostendens, illum ad bellicas vires suas cum ceterorum Christianorum principum armis conjungendas, ad frangendosque Turcarum conatus impellebat.

[206] At licet summorum virorum opinione, fieri vix posse videretur, ut Principes in hanc belli societatem coirent, ob varias inter se prætensas causas, quæ singulos ad suam quemque rem curandam inducerent; nihilominus Pius, pro eo quod optimi omnium parentis, aliudque nihil præter publicam salutem spectantis, nomen sibi pepererat; nullo suspectæ fidei, quod ad se attineret, in animis Principum relicto loco, rem totam conficiendam suscepit: Ludovicoque mandavit, in primis Regem Catholicum edoceret, quo in periculo non modo Veneta, sed etiam universa Christiana respublica versaretur, imminente bello ab hoste potentissimo pariter & immanissimo: [Ostendens non de Cypro tantum sed & de ditionibus ejus defendendis agi:] qui licet Cypro tantum atque aliis Venetorum ditionibus interminari videretur; verendum tamen esse, ne ceteris etiam Christianorum oris, præsertim maritimis locis ipsius Regis, pro nocendi opportunitate moliretur exitium. Quæ res Pontificem admoneret, ut pro suo pastoralis munere universo Christi gregi solícite prospiceret, imminentibusque periculis occurreret. [Epist. 13 l. 4] Eam vero esse rei conditionem, ut quemadmodum Veneti per se ipsi tantam belli tempestatem diu sustinere non possent, sic ipsi Regi ad sua mediterranei maris defendenda littora non satis esse præsidii. Itaque non liquere, utrinam eorum magis in votis esse deberet id fœderis, quod utrisque & sumptus imminueret, & ditiones redderet tutiores, [vires autem jungi ipsi esse utilius,] & earum amplificandarum in spem animos erigeret; cum præsertim & periculum esset commune, & superiorum temporum difficultates sublatae jam essent; & item utrisque id esset ingenii, ut regna quisque sua tenere niterentur, ad monarchiam neutiquam contententes. Quod si Veneti per se ipsi tanta essent victoria potiti, id nequaquam Regi aut commodum fore aut honorificum: quippe qui absque illius ope tam egregiam nominis existimationem, imperiique vires essent adepturi. At si Regiis auxiliis adiuti debellassent

hostem, magnam partæ victoriae laudem accessuram ipsi Regi, cujus ope res bene processisset. Evincentibus vero Turcis, universum fere belli pondus cladisque periculum regiis ditionibus imminere. Prudentis etiam esse consilii, statuere, nihil amplius fidendum esse hosti, qui datam sæpe fidem violare non dubitasset.

[207] Denique id auxilii se, pro summa ipsius Regis Christianam rempublicam pietate debitoque tuendæ Catholicæ religionis officio, [seque id jure suo petere;] deprecari: ac pro concessu Ecclesiasticorum Hispaniæ fructuum, quos Pius IV ipsi Regi condonaverat, ut ille se ad centum armatas triremes contra Christiani nominis hostes sustentandas obstringeret, ad Mediterranei maris oras tutas & integras conservandas: ac propterea se id subsidii libenter confirmasse, ut triremes ipsæ perfidorum hostium telis propellendis deservirent. Sed non esse, cur magnopere laboraret in ostendenda fœderis hujus tam per se perspicua sive necessitate, sive utilitate, sive etiam honestate; præsertim apud Regem, non minus prudentia ac pietate, quam animi & imperii magnitudine maximum ac potentissimum: qui, licet res sua non ageretur, tamen pro singulari suo tuendæ Catholicæ Ecclesiæ studio & officio, hanc divinitus oblatam occasionem libenter amplecti, [interim vero rogare ut Venetis subsidium ferat:] eamque divini beneficii loco ponere vellet ac deberet. Et cum rei hujus peragendæ momenta Pontificis arbitrio Oratorique in Urbe suo Veneti detulissent, postulare se, ut Rex per procuratores suos Romæ apud se, quæ oporteret agi & confici, primo quoque tempore mandaret: ne, dum per litteras longasque moras ob maxima locorum intervalla res diutius extrahitur, periculis post ruinam occurratur. Rationibus ipsius Regis Pontificem, pro singulari suo in eum amore, proque meritis ejus, proba fide, non minus quam Venetis quibus minus deberet, consulturum. Ceterum quando fœdus exiguo temporis intervallo sanciri



non poterat, impendentibus interim cladibus occurrens, vel per eum annum, Rex triremium suarum Venetis præberet auxilium. His igitur mandatis instructus, ad XVII Kalendas Aprilis Roma profectus, Cordubam, ubi tum Rex morabatur, magnis itineribus pervenit: ab eoque benigne & honorifice acceptus, legationis suæ causam Piique consilia breviter exposuit.

[208] Loquentem Rex attente & libenter audivit, deque singulari sua in Pium Pontificem observantia ac pietate nonnulla præfatus, [quod Rex benigne annuit,] se in ejus studia vota que propensum esse, classe que & comœatu Venetis se Pontificis gratia subventurum ostendit. Sed de ineunda societate, quod majore indigeret deliberatione, consiliarios suos Hispali, quo tum ire properabat, velle consulere. [Epist. 15 l.4] Hispalim proficiscentem Regem Ludovicus prosequitur, denuoque cum eo & cum Didaco Spinosa S. R. E. Cardinali, Regii consilii Præsidi, & cum aliis summis viris, ad quos Pii litteras attulit, quique apud Regem gratia & auctoritate plurimum poterant, de negotio sæpe congressus; varias, quæ objiciebantur difficultates prudenter superavit: ac magnam inde virtutis suæ laudem apud omnes consecutus, Pium voti compotem fecit. Quo quidem etiam in negotio conficiendo Joannis Baptistæ Castanei, Rossani Archiepiscopi, per id tempus ordinarii apud Regem Internuntii Pontificii, de quo supra facta mentio est, studium & opera commendatur. Rex itaque, quod ad fœderis condiciones attineret, spatio ad deliberandum sumpto, summa voluntate se Pontifici obsecuturum esse respondit: atque interim, dum Oratori in Urbe suo, aliisque ut oporteret ea de re quid agendum decerneret, ut imminentibus periculis occurreret, confestim quinquaginta triremes, hinc inde in Italico mari collectas, [50 triremes concedens.] in Siciliam deduci jussit; ac Neapolis Siciliaeque Proregibus, ut, quam Pius postulaverat, Venetis frumenti copiam facerent, edixit; ac triremes ipsas, Venetis addixit auxiliis; easque

gubernantem Joannem Andream Auriam, Melphicæ Principem, ut Pontificiæ cassis Præfecti monitis obsecundaret, admonuit. [Epist. 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21 lib. 4]

## CAP. II

[209] Ejus vero præfecturæ munus Marco Antonio Columnæ, Paleani Taleacotique Duci, Neapolitani regni equitum Magistro, III Idus Junii, hoc anno Pius detulit. Eumque, [Pius Columnam præficit suis triremibus,] utpote virum prudentissimi consilii, ac bellicæ virtutis laudibus insignem, duodecim Pontificiis triremibus cum potestate præfecit: quæ res magno apparatu ac pompa confecta est. Nam ad cælestem opem pro felicissimo rerum successu suppliciter implorandam, per Marcum Antonium Cardinalem Columnam, coram Pontifice in publico amplissimorum Patrum cœtu, in sacello Pontificio, peracto sacrosancto Missæ sacrificio, Pius sacris de more precibus adhibitis, [eique sacrum vexillum tradit.] suis ipse manibus Columnæ dedit Præfecturæ vexillum, ex Damasceno serico rubro confectum: in quo erat Christi Domini de cruce pendentis imago depicta, atque hinc inde effigies sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, his verbis inscriptis: In hoc signo vinces. Ut, qui Constantini illius Magni pietatem & animi magnitudinem egregie referret, is eodem quo ille fausto ac salutari signo, tamquam hostilis cujusque & infestæ violentiæ propugnaculo, contra Christiani nominis hostes felicissime uteretur. Porro Catholico Regi pergratum accidit, id muneris Columnæ, quem ipse plurimi faceret, a Pontifice mandatum esse; ad eumque perscripsit, ut licet Auricæ loco & auctoritate præstaret, non tamen ejus prudentissimi & nauticarum rerum perissimi Ducis consilia unquam spernenda sibi esse arbitraretur. Columnam subinde Pius Venetias misit, ut duodecim triremes a

Venetis acceptas instrueret, atque alia ad eam expeditionem necessaria procuraret.

### CAP. III

[210] Rebus igitur in Hispania bene constitutis, Ludovicus de Torres ad Sebastianum Lusitaniæ Regem, quod ei præceperat Pius, contendit: quem cum Sintræ, quæ villa est haud longe ab urbe Olisipone, convenisset; Pontificis litteras mandataque edidit: illumque non tam ut sociale foedus iniret, quod ei tum Indicis tum Africis expeditionibus impedito, [Petit & a Lusitano Rege suppetias eique suadet nuptias cum Franca:] tantum oneris Pius imponere vereretur; sed ut impendentibus Venetorum periculis quam posset opem ferret, cohortatus est. [Epist. 11 & 12 lib. 2 Epist. 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34 lib 4] His adjecit, quæ de Regiis nuptiis procurandis in mandatis habebat: pergratum Pontifici ac bonis omnibus futurum, quin etiam sibi regnoque suo perhonestum ac salutare, si Rex in animum induceret, Margaritam Caroli noni Galliarum Regis sororem sibi uxorem adsciscere, ex qua proles majoribus digna, ad tuendam pietatem regnumque suum stabiliendum, procrearetur. Ad hæc Rex, quod ad Venetos pertinet, se communi periculo ac metu commoveri: neque sibi voluntatem ad bellandum deesse, sed facultatem: nec ita pridem pestilentiam exortam Olyssiponem affluisse, & vastitate facta, remiges ac milites absumpsisse. Cum primum Lusitania se ex clade refecisset, publicæ rei non defuturum: multis nominibus id se facere debere, sed præcipue, quod Pio Pontifici, quem ipse unice coleret, gratificari & obsequi vehementer cuperet: [qui respondit Venetos se adiuturum ut posset,] gratias Deo quam maximas agendas esse, quod hisce calamitosis temporibus tam vigilantem sanctumque Pastorem Ecclesiæ suæ præficere voluisset, qui tam præclaram ac necessariam Principum societatem, ad Christianam

Rempublicam ab hostium furore vindicandam, conciliare niteretur. Arctissimis porro se amoris vinculis Venetorum Senatus conjunctum esse, quem sciret in Principis patris baptismo sponsorem adhibitum fuisse: confidere se proximo anno triginta navigiorum & eo majorem classem, lectissima Lusitanicæ juventutis manu instructam, auxilio missurum. At si minus quam expectaretur præstaret, id eum excusare, quod in novi orbis tractu terrestribus ac navalibus copiis cum Turcis continenter bellum gereret: ibi Christianæ rei suam opem utiliore fore, quam si in Mediterraneo mari fœderatorum vires adauxisset.

[211] Quod vero ad uxoris ducendæ rationem attineret, se in ea quoque re optimam Pii voluntatem paternamque caritatem & agnoscere & venerari: [de nuptiis nil posse absque Hispano statuere.] sed quoniam ea de re inter se & Philippum Hispaniarum Regem avunculum suum jam agitarum erat, variaque intercesserant consilia, de quibus Pontifex haud satis edoctus Roma proficiscenti Ludovico certi quidquam præscribere non potuisset, expectandum esse, quid Pius his litteris responderet, quas ad eum & ad suum in Urbe Oratorem super ea re proxime dedisset. Hæc per Internuntium, & per Apostolicas litteras ad Regem ipsum, & ad Henricum Cardinalem ejus patruum, Principem ætate & auctoritate gravissimum, & ad Catharinam Regis aviam, feminam non minore pietate quam prudentia præstantem, cum diu multumque agitata fuissent, nihil denique confectum est. Itaque Ludovicus, cum benigno responso magis quam rerum obtentu, a Lusitano dimissus, Pontificis jussu in Hispaniam revocatur: ut Regem Catholicum de fœdere jungendo in officio contineret; eumque, ut ea de re quam primum ad suos in Urbem mandata perscriberet, hortaretur.

## CAPUT II.

Christianæ classes conjunctæ, fœdus tractatum.

## CAP. IV

[212] Interim vero per litteras Pius Auriam admonuit, ut primo quoque tempore Regis Catholici classem, Pontificiis ac Venetis triremibus, ex composito jungendam curaret. Fecit ille statim quod jussus erat. Itaque sub æstatis finem, hoc anno MDLXX, Christianorum classis tota simul centum & octoginta fere triremibus, [Classis Christianæ conjunctio.] undecim onerariis, & duodecim quas vocant galeaceis constabat: in Cretamque devecta institit ut Cyprum versus proveheretur, ubi jam validissimus Turcarum exercitus, trecentis circiter navigiis, ac cum terrestribus tum navalibus copiis instructus, Nicosiam celeberrimam eamdemque munitissimam urbem mediterraneam circumsedebat. Verum Christiana classis, opportuna in dies capiens consilia, deque Turcarum progressu ad eos profligandos identidem certior facta, demum cognovit obsessam urbem jam in hostium potestatem pervenisse. Quo tempore inter Columnam & Auriam importune coorta controversia est, Auria se Columnæ placita ubique sequi non debere profitente: itaque turbata concordia, nihil proficiebatur. Hac re cognita Pius, vehementer condoluit: [per ducum discordiam inutilis redditur.] & quamquam Italicæ gentis dissentionem, percutiendique fœderis difficultatem animadverteret, ac tam ingentem & validam classem, fere omnem Italicis instructam viribus, diversas in sententias levi momento distractam esse intelligeret, non tamen deseruit sese: verum Deo, ad quem, uti dicitur, assiduis precibus confugere solebat, confidendum esse ratus; eumque precatus, ut ea controversia componeretur, obtinuit.

[213] Interea Catholici Regis de fœdere mandata ad Pium afferuntur: quibus Rex, quod ad rationes suas attineret, Antonio Perenoto Granvellano & Francisco Pacieco Cardinalibus, [Interim ad Venetos Regiosque delectos,] &

Joanni e Stunica Oratori in Urbe suo, ejus rei tractandæ & conficiendæ provinciam delegabat, arbitro Pontifice constituto: Veneti vero Michaellem Surianum, de quo jam dixi, pro se decreverunt. Quæ mandata qua par erat auctoritate munita, delegatosque viros cum tantæ rei & agendæ & explicandæ aptos esse Pius approbasset, eos advocatos ad se in hanc sententiam allocutus est. Maximis de rebus, iisque Reipublicæ Christianæ summopere necessariis, hoc tempore vobis, dilecti filii, est proposita deliberatio. Nam, ut videtis, in hoc summum orbis terræ consilium adhibiti estis, ad agendum ac providendum, [perorans Pius exponit quanti momenti res in deliberationem veniat,] qua ratione ac via, icto inter Christianos Principes fœdere, bellum & maximum & maxime pium ac periculosum, contra Turcas, acerrimos Christiani nominis hostes, non tam inferri ultro quam nobis illatum sustineri necessario, atque a nostris omnium cervicibus depelli propulsarique possit. Agitur ergo in hac causa de protegenda Ecclesia Catholica, de totius Christianæ rei, in primis vero de vestrorum Principum, quibus proximum imminet periculum, salute ac dignitate conservanda: denique (quod rebus omnibus antiquius vobis esse debet) de divini nominis honore ac gloria, cum piorum omnium bono conjuncta, & tutanda & augenda; vel etiam (quod Deus avertat) magno nostro cum damno sempiternoque dedecore, plurimum imminuenda.

[214] Jam vero conspiciamus, ac summo nostro cum dolore, nec sine Christianorum Principum ignominia, [crescere per Christianorum dissidia Turcum,] sentimus, quas injurias, quas clades immanissimus Turcarum Tyrannus olim nobis intulerit: quam multas, easque nobilissimas, ac veræ pietatis antea cultu florentissimas, & urbes, & insulas, & provincias, & regna nobis eripuerit & usurparit. Discordia Principum Christianorum, fons malorum omnium & origo est. Dum enim ii aut intestinis dissidiis ac bellis mutuo sese conterunt & miserabiliter exagitant; aut alii

aliud volentes, in contrarias sæpe sententias distracti, suam quisque rem cupidius procurant; interim barbarus ille hostis Asiam fere omnem, & magnam Africæ, magnam Europæ quoque partem quondam invasisse ac sibi subjecisse non contentus, ecce nostris temporibus Rhodum insulam cepit, ac Melitam aggressus, Chium atque alias insulas & regiones occupavit; expugnatoque Sigeto, bonam Pannoniæ partem suo subegit imperio. Nunc vero Selymus, terra marique ingenti exercitu comparato, universæ Christianæ Reipublicæ exitium intentans, ante omnia Cypri regnum obtinere contendit: [indiesque potentiores ipsi Italiæ imminere:] ut non sine causa nobis omnibus inde sit graviter pertimescendum, ne sævissimus hostis idemque potentissimus, viribus auctus & ad majora nobis inferenda detrimenta in dies factus audacior, in Cretam Siciliamque transgressus, & cunctis mediterraneis insulis, portibus, orisque potitus, in Italiam, hoc est, in Christianorum viscera tandem irrumpat, omniaque subvertat. Quod quidem, ne ad peccatorum nostrorum ultionem fieri Deus permittat, ut assiduis precibus, ac meliore genere vitæ nobiscum enixe contendere decet Christianos omnes sic in primis summi Principes, sensibus ac viribus conjunctis, pro suo sibi divinitus tradito tuendæ Christianæ reipublicæ munere, impendentis periculi calamitatem nobiscum omni ope debent arcere.

[215] Nos autem, quos licet indignos divina providentia in hac totius orbis custodia & tamquam in specula collocavit, [quare sollicitus ipse pro suo Pontificis officio,] ut integram ab exitio, liberam a periculo, vacuum a metu rem Christianam omnem nostra vigilia ac cura redderemus; Ecclesiamque Dei, quam ipse acquisivit sanguine suo nobisque commisit, sartam & tectam conservaremus; officio nostro deesse nullo modo possumus, nec volumus aut debemus. Quare, quando soli tantæ rei pondus sustinere non valemus, Reges ac Principes Catholici

nominis jam pridem & monere, & hortari, & rogare pro  
 nostra auctoritate non desistimus, ut communis hanc belli  
 societatem, pro suo defendendæ religionis officio, [ac  
 Principum voluntate,] nobiscum inire velint. Quam ad rem  
 annuente Deo, cum vestrorum Principum, quorum  
 potissimum hoc bello res agitur, animos paratos  
 invenerimus, vestræ prudentiæ nunc est vestrique consilii,  
 diligenter agere, providere & efficere, ne quid impediatur  
 aut interturbet, quo minus sanctissima hæc juxta, &  
 necessaria jungi conflarique societas possit. Nihil autem  
 impediet, si in communi periculo communia potius, quam  
 privata commoda procuraveritis; si (quod vos pro vestra  
 integritate & prudentia facturos esse confidimus)  
 statueritis, nihil esse posse tanti, [hortatur ut adjungenda  
 in communem hostem arma conspirent,] quod honori  
 divino, quod Ecclesiæ sanctæ saluti, quod vestrorum  
 Principum incolumitati, quod regnorum ipsorum bono,  
 quod piorum denique omnium votis, quæ universa hoc in  
 discrimen adducuntur, anteferendum putetis. Si  
 communem pestem, communibus quoque remediis ac  
 viribus, averti oportere; si totius Christiani nominis  
 hostem, omnium si fieri possit Christianorum armis &  
 opibus compescendum, debellandum, evertendum  
 decreveritis: neque posse Regem unum aut alterum,  
 quamvis præpotentem, per se tantam belli molem  
 sustinere; sed complurium potentissimorum Principum  
 conjunctas vires, divinisque & humanis opibus instructas,  
 optime posse quosvis Turcarum & barbararum gentium,  
 aut exercitus frangere, aut conatus comprimere, aut  
 furorem extinguere, aut imperium nomenque delere.

[216] Non deerunt nobis hoc ad efficiendum tum divina,  
 tum humana subsidia. Aderit tam piis conatibus ille ipse,  
 qui Ecclesiam suam nec antea deseruit ullo tempore, [de  
 divino fidentes auxilio] nec in præsens aut in posterum  
 pro sua clementia est unquam deserturus. Nec fallere  
 promissa possunt ejus nos confirmantis illis verbis: Ecce



ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi: Confidite. Ego vici mundum: & Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam meam. [Matth. 28 Io. & Matth. 16] Quæ tamen auxilia nobis ea lege Deus repromisit, ut, quantum in nobis est, semper connitamur efficere. Quod vero ad humana præsidia spectat, non solum vestrorum Principum animos in hanc expeditionem propensos, [& humanum in promptu habentes,] sed etiam paratos exercitus, & ad dimicandum alacres; jam instructas classes, & in aciem deductas, jam fortissimos duces ac promptos habemus. Tantum hæc omnia, ut firmiora, validiora ac diuturniora fiant, sanctissimi fæderis vinculo colliganda sunt. Quæ cum ita sint, videte quæso, ne Christianæ reipublicæ exitiosum, & nobis permolestum, & vobis turpe sit, huic summo consilio, præsertim in re tam aperta, quæ per se ipsa loquitur, consilium intelligi defuisse. Sed arripite opportunam hanc, quam Deus nobis offert, occasionem: quæ aliis temporibus optari quidem illa posset, sed par numquam certe reperiri: quin eam si neglexerimus, id apud posteros nostros merito nobis probro fuerit sempiterno.

[217] Quod si divinitus oblata tam præclara occasione uti voluerimus, cum perpetuo decore saluteque, frementis rabidi illius canis in nos saevientis dentes infringemus: florentissimum Cypri regnum, [ad Terræ sanctæ recuperationem Cypro servata viam habituri,] quod omni ope tueri conservareque debemus, non modo Venetæ, sed universæ Christianæ reipublicæ vindicabimus: nobisque ad sacrosanctum illud Salvatoris nostri sepulcrum, atque alia Palæstinæ loca, ipsius Christi Domini consecrata vestigiis, feliciter recipienda viam aperiemus, cum ad ea nullus alius nobis aditus relinquatur. Nam cum olim Hierosolymitani regni recepta possessio est, suadente humili quodam fratre, & Urbano II decessore nostro Christianos Principes fere omnes in eam expeditionem impellente; per Constantinopolitanos fines

trajectus fuit Christianus exercitus: quod nunc fieri nullo modo potest. Sed cum una Cyprii maris navigatione in Palæstinam commodius adeatur, retenta Cypro, ad illas Terræ sanctæ ditiones recuperandas faciles patebunt aditus. Nec dubitare debemus, hoc inter nos percusso fœdere, quin alii Catholici quoque Principes in id ipsum deinceps facile conspirent. Quorum enim una fides est, una religio; [& aliis Principibus præituri exemplo:] eorum etiam ad illam tuendam ac propagandam unus debet esse animus, una contentio: & quorum idem est periculum, eorum quoque ad id depellendum idem studium junctaque potentia debet adhiberi. Ut quemadmodum omnis omnium Regum virtus, auctoritas, dignitas, splendor, opes, atque potentia a Deo, velut summo universæ potestatis fonte derivantur; ita ad illius & protegendum cultum & gloriam amplificandam, ea cuncta certatim conferantur, Ego vero, quod ad me attinet, illud aperte profiteor; si huic expeditioni præsentiam meam ullo modo prodesse posse confiderem, non modo me periculis omnibus libenter exponerem, sed inter primos etiam, pro gloria Dei & pro Christianæ reipublicæ salute, sanguinem & vitam alacriter profunderem.

[218] Hac cohortatione commoti sunt vehementer principum virorum animi, rei conficiendæ præidentium: [cum autem neutri vellent esse in rogando primi] ac Pii magnitudine animi probitateque commendata, una cum Cardinalibus, tractando fœderi ab eo præpositis, convenerunt. Hi autem fuere, Joannes Moronus, Michael Bonellus, Joannes Aldobrandinus, Carolus Crassus, cui vita functo Joannes Paulus Ecclesia suffectus est, Petrus Donatus Cæsius, Hieronymus Rusticucius, viri prudentia, pietate & rerum usu præstantissimi: quos omnes (Morono excepto) in amplissimum Cardinalium ordinem ipse cooptaverat. Principio res inibi fuit, ut actum de ea propemodum esse videretur. Nam Regii, Venetos id supplices efflagituros esse confidentes, condiciones ut

proponerent ipsi, præstolabantur. Veneti contra, fœdus, quod nequaquam deposcebant ipsi, sed Pontifex, non minori illis quam sibi commodo futurum esse profitentes, ea de re agere primi recusabant. Quocirca Pius, ut omnem tolleret difficultatem, is esse voluit, [prior Pius proponit capita ineundi fœderis,] qui utrosque ad id precatus impelleret, causam hanc, quæ ad universam Christianam Rempublicam pertineret, privatis omnibus omnium rationibus anteferendam esse demonstrans. Inde porro quædam rerum veluti capita proposuit, quibus negotium confici convenienter posset; eaque ipsis dedit expendenda.

[219] Regii vero, Pontificiis etiam nonnullis assentientibus, eam ad id legem volebant adhiberi, ut societas adversus infideles omnes conflaretur: ac nominatim in Mauritaniam, Principemque Seriphum, qui Philippo Regi Catholico intra fretum Herculeum infestus esse poterat. At Surianus obsistere: se non esse ad id agendum admissos, [quod in solos Turcas faciendum decernitur,] nisi ut in Turcas fœdus iniretur: hoc tantum & Principes rogatos esse, hoc sibi ab Republica sua datum in mandatis: de ceteris vero gentibus ac Regibus nominatim agere, non esse statuere, sed evertere, quod præcipue quæreretur. A quibus enim speratur auxilium, eorum non irritandos, sed conciliandos potius esse animos: neque iis injiciendam suspicionem esse, quorum adversus communem hostem essent exspectanda subsidia. Nam & Sophum Persarum Regem, quem Christianis auxilio futurum sperarent (quod etiam Cardinalis Moronus cum Suriano sentiens præmonuit) infidelium numero censi. In Mauritanos autem societatem inire, illis potius quam sociis honorificum videri: minusque decere Hispaniarum Regem potentissimum, ad hostes nulla ferme instructos classe debellandos, sociorum auxilium quærere. Hac igitur approbata sententia, in Turcas tantum, & in loca illis subjecta, nominatim in Juliam Cæsaream (quæ nunc

appellatur Algerium) Tunetum, ac Tripolim sociale bellum suscipiendum esse censuerunt. Erant porro qui vellent, ad fœderis pacta magis constabilienda, ea anathematis vinculis obligari: sed Venetis datam inter Principes fidem sufficere demonstrantibus, assensum est.

[220] In his atque aliis sententiarum varietatibus, quas omnes hoc loco referre longum sit minimeque necessarium, præsertim de communi sumptuum collatione, [ratio sumptuum initur.] diu multumque disceptatum. Erant ii sumptus in singulos menses aureorum nummum sexcentena fere millia. Surianus pro sua Republca, quartam partem, prætera nihil, in medium conferendum decernebat. Regii vero dimidium tantum, cum interim sextam partem contribuere vix posset Ecclesia, uti fecit in fœdere icto anno MDXXXVII, præsertim quod ab eo tempore annua Pontificis vectigalia minus quadringentis millibus aureorum haberent. Itaque Pontifex quinque tantum & triginta millia se tribuere posse pollicitus, quod reliquum erat oneris, æqua portione Regem inter & Venetos distribuendum esse dicebat; longe tamen plura, quam pollicitus esset, uti factum constat, postea præstiturus.

### CAPUT III.

**Ioannes Austriacus electus Dux totius exercitus.  
Fœderis conditiones, pecuniæ  
subsidia comparata.**

### CAP. V

[221] De totius porro ineundæ societatis exercitus Duce designando haud levis contentio fuit. Hispanis contendentibus, ut ad id Regius aliquis propterea decerneretur, [Dux totius exercitus] quod & Rex ipse plura quam alii in id subsidia conferret, & hoc ad regiam

existimationem valde pertineret: eam tamen electionem comprobari Pontificis Venetorumque volebant arbitrio. At Veneti, indictum sibi fuisse bellum objicere: idque in mari orientali gerendum, ubi sui vel duces vel milites locorum peritia præstarent, ubi quoque Turcis subjecti populi, Venetis potius quam Regiis aut Pontificiis signis, ad se illa servitute eximendos, excitarentur: denique se majore classe instructos esse, propterea e suis unum totius belli Ducem constitui par esse. Assensere demum, ut tres Imperatores essent, qui deliberarent de rebus omnibus, eorumque deliberationes atque consilia, quod ad executionem attinet, arbitrio Pontificis remitterentur. Ceterum Pius supremam hanc Præfecturam Emanueli Philiberto Sabaudiaë Duci, [post variam deliberationem,] utpote Principi summa auctoritate ac bellicarum rerum usu præclarissimo, mandare maxime cupiebat: eaque de re cum ipsius sensum per litteras explorasset, ille pro sua pietate animique moderatione respondit, se Pontificis nutu in bellum contra Turcas, tantum ut auxiliarem militem, libenter profecturum: nullumque laborem aut periculum, ut Christianæ reipublicæ prodesset ac Pio obtemperaret, unquam detrectaturum. Verum ne Pontifex voti compos fieret, aliorum obstitere suspiciones: Venetis quidem objicientibus, quod cum alia multa id præpedire viderentur, tum illud in primis quoniam ille Cyprium in regnum sibi jus esse prætenderet; Hispanis vero, ne id imperii præpotenti viro ditionesque suas amplificare cupienti deferretur, obsistentibus, unumque Joannem Austriacum, Cæsaris Caroli V filium, deposcentibus: his tamen, ne a Pontifice prorsus dissidere viderentur, placebat, ut rei quidem terrestri Sabaudius ipse, navali vero præficeretur Austriacus.

[222] At vero Pius, totius belli summam uni potius quam pluribus committendam esse ratus, negotium ita confecit; ut, cunctis approbantibus, summum belli Ducem atque Præfectum Austriacum ipsum declararit, [deligitur

Ioannes Austriacus;] qui rei navali terrestrique cum imperio præsideret. Erat is supra ætatem tot tantisque bellicarum rerum laudibus insignis, ut tanti belli molem ei tradi tuto posse, cum paulo ante res bene gesta in tumultu Bætico contra Mauros, tum navalis hujus expeditionis felicissimus exitus indicarit. Prospiciebat enim Pius ope divina fore, ut Christiana res in eo bello prospere procederet; & cum eum uti summum belli Ducem aliorum consilia audire præstareque oporteret, futurum ut res celerius conficeretur: rebusque deliberandis, ex trium Præfactorum suffragiis duobus evincentibus, Pontificii Venetique Ducum sententia facile conveniret: quippe qui cum hoste congredi magis cuperent, ac bellum extrahere iis foret incommodius quam Hispanis. Veneti autem primum Hieronymum Zanium, deinde eo revocato, Sebastianum Venerium, viros prudentissimos, ac rerum maritimarum peritissimos, suæ classis Imperatores declaraverunt.

[223] Disceptatum porro est de summi Imperatoris Vicario constituendo, quando Joannes expeditioni coram præesse non posset. Id igitur muneris, post varias contentiones, Pius detulit Columnæ, Pontificiæ classis Præfecto, qui nec ita pridem, [Vicarius ejus Columna,] de rebus ab se tum gestis tum gerendis cum Pontifice communicaturus, Romam e classe redierat: atque hunc subinde Venetias misit, qui non mediocriter nutantes Venetorum animos confirmaret. Ii namque suspicati, ne Surianus, maturandi foederis impense cupidus, plura quam habuerat in mandatis præstitisset, Joannem Superantium illi collegam adjunxerant, qui rem difficultatibus obstruebat. Verebatur etiam Pius, ne Veneti ancipiti distracti consilio rem protrahere cuperent, spe ducti fore ut Turca pacis consilium iniret. Non defuere tamen, qui objicerent Pio, nequaquam e dignitate Pontificia factum videri, ab se aliquem ea de re Venetias mitti. Quibus ipse respondit, [qui Venetias missus obstacula removet:] se pro communi

Christianæ rei beneficio indigna quæque perpeti velle, atque extrema virium experiri. Quod si Veneti sua explicare consilia noluissent, sacratissimum Christi sanguinem pro iis, quos Turca jam captivos tenebat, effusum de illis pœnas repetiturum. Columna igitur Venetias profectus, rem ita composuit ac tam præclare sese gessit; ut magnam prudentiæ laudem inde consecutus, eam legationem necessariam fuisse demonstraret. Jam vero tot tantisque difficultatibus res erat impedita, ut sanctum hoc & necessarium fœdus fieri minime posse dicerent sapientes viri, nisi summa virtus, acre studium, singularis prudentia ac patientia Pii Pontificis, bene juvante Deo cunctis submotis impedimentis, rem ad exitum perduxisset. Post multas igitur, & graves, [itaque sancitur fœdus] & longas contentiones, anno MDLXXI, ad XIII Kal. Junii confectum est negotium; atque in publico Pontificis & Cardinalium consessu solennis jurisjurandi religione sancitum fœdus, magna piorum lætitia subinde promulgatum, in has convenit conditiones.

## CAP. VI

[224] Pius V Pontifex Maximus, Hispaniarum Rex Catholicus Philippus, & Veneta Respublica fœdere perpetuo junguntur, [sub his conditionibus.] tam ad inferendum bellum, quam ad illatum quoque propellendum, adversus Turcam & omnes quas ille possidet ditiones, Julia Cæsarea (que nunc Algerium appellatur) Tuneto ac Tripoli etiam comprehensis.

Bellicus fœderatorum apparatus sit, triremes ducentæ, onerariæ centum; Italorum, Hispanorum, & Germanorum peditum quinquaginta millia; equitum levis armaturæ quatuor millia & quingenti; bellicis tormentis, tum majoribus tum minoribus, commeatu, ceterisque rebus necessariis instructi.

**Opes & apparatus ejusmodi quotannis, mense Martio aut Aprili ad summum, in promptu sint in Orientali mari; ut iis rebus belli Duces, ad fœderatorum & Christianæ reipublicæ utilitatem, pro opportunitate rerum ac temporum uti possint.**

**Quod si hostes adversus sociorum loca bellum susceperint, classium Præfecti, vel cum omnibus copiis vel cum earum parte, ante suscepta expeditione relicta, opem ferant; omnesque vires ad auxilium vexatorum convertant.**

**Fœderatorum Principum Oratores quotannis per autumnum, de suscipienda in annum insequentem expeditione, ac de copiis comparandis, cum Pontifice Romæ deliberent decernantque.**

**Pontifex Sedesque Apostolica duodecim triremes, rebus omnibus necessariis ornatas; ac tria millia peditum equitesque ducentos & septuaginta præbeat.**

**Pontifex sextantem, Rex Catholicus semissem, Veneti trientem totius sumptus bellici tribuant.**

**Sumptus, quos facere Pontifex non possit, pro ratione suarum partium Rex & Veneti suppleant. Si quid Veneti plus sua portione dederint, id Rex compensare teneatur.**

**Veneti commemoratas duodecim triremes, bellicis tormentis & armis præmunitas, Pontifici commodent: quas ipse milite, remige, & com meatibus instruat; & confecto bello, instructas Venetis reddat, nisi quid belli vis absumpserit.**

**Et quoniam fieri potest, ut rerum bellicis usibus necessariorum major uni quam alteri copia suppetat; si**



quis plus sua portione contulerit, ab alio ceteris in rebus compensetur.

Si commeatus fœderatis deesset, eum sibi e locis suis aut aliunde, prout commodius fuerit, capere liceat, moderato pretio, sintque rei frumentariæ exportationes sociis omnibus liberæ, ad usum copiarum. Nemini vero fas sit ex iis locis commeatum exportare, in quibus inesse contigerit; nisi prius fœderatorum classibus copiisque provisum fuerit. Liceat tamen Catholico Regi commeatum arbitrato suo Guletanis, Melitensibus, classisque suæ necessitatibus, ex Neapolitano Siculoque regnis devectum, providere.

Ubi vero certum vectigal exportantibus est impositum, id in sociorum detrimentum augeri non possit: at ubi ordinarium portorium non existit, id mediocrem summam non exuperet.

Quod si Turcæ, præsertim ab Algerio, Tuneto, Tripolive, Regem Catholicum bello petant, quo tempore nulla fœderatorum fieret expeditio, tum Veneti quinquaginta triremes bene munitas Regi subsidio mittant: quod ipsum fiat ab ipso Rege, si Turca Venetos aggrederetur: atque id auxilii negari non possit, dummodo qui bello premuntur, majores non habeant vires, quam sit fortasse quod petunt subsidium.

Si vero contra Algerium, aut Tunetum, aut Tripolim Hispanus bellum suscipiat, quo tempore nulla sociorum communis fiat expeditio, vel nullum a Turca Venetis grave periculum immineat, tunc Veneti quinquaginta bene validas, & instructas triremes ei mittant auxilio. Id ipsumque pariter auxilium Hispanus Venetis simili conditione submittat, quando ipsi in Adriatico sinu ab urbe Apollonia, quæ nunc Velona dicitur, Venetias usque bellum gerent.

**Si quis Pontificie, ditionis locus bello tentaretur, reliqui fœderati periculum nitantur avertere, ad ejusque tutelam conspirent.**

**Omnibus rebus & consulendis, & decernendis, & administrandis tres fœderatorum Principum summi Duces intersint: ratumque sit, quod vel tres communi consilio vel duo decreverint.**

**Bellicæ societatis hujus & totius Christianæ classis, maritimarumque & terrestrium copiarum omnium, summus Imperator sit Joannes Austriacus: qui vel de communi cum ceteris fœderatorum Præfectis, vel saltem de consilio unius rebus omnibus moderetur. Quo absente vel impedito, summa cum potestate præsit Pontificiæ classis Dux, Marcus Antonius Columna.**

**Summus Imperator in communi expeditione communi fœderatorum vexillo utatur: in propria vero expeditione cum proprio vexillo præsit is, qui illam susceperit.**

**Honorificus porro locus Cæsari, & Gallorum & Lusitanorum Regibus pateat, ad hanc belli societatem ineundam: qui pro sua singuli portione fœderis vires adaugeant.**

**Hos & ceteros Christianos Principes Pontifex pro sua auctoritate paterne cohortetur; ut hoc inito sociali fœdere, viribus & armis Christianæ reipublicæ consulant: quod ut fiat, ceteri quoque fœderati operam omnem & auctoritatem adhibeant.**

**Loca communibus fœderatorum armis recepta inter ipsos distribuantur, ut in fœdere anni MDXXXVII, Tuneto, Algerio, Tripolique exceptis, quæ oppida sint Philippi Regis: tormenta vero apparatusque bellici, ubivis gentium**

venerint in potestatem, pro ratione sumptuum inter fœderatos dividantur.

Epidaurum, Ragusium nunc appellatum, ejusque ager nullum a fœderatis detrimentum aut incomdum accipiat, nisi aliqua justa de causa vel Pontifici Pio vel ejus successoribus secus visum fuerit.

Neque vero per ullam causam inter fœderatos controversia objici possit aut impedimentum, quo minus vel expeditio vel fœdus non continuetur: atque ejusmodi controversias quælibetque dissidia judicare, tollere, vel componere, sit Pii Pontificis ejusque successorum.

Ne cuiquam ex fœderatis liceat, aut per se aut per alium, ceteris sociis inconsultis ac non approbantibus, agere de pace aut de induciis, aut de ullo amicitiae genere cum hoste communi. Atque hæc quidem omnia bona fide plene & integre, ut Christianos Principes decet, servare studeant fœderati.

## CAP. VII

[225] Sancito fœdere atque, uti diximus, promulgato, tum ad agendas gratias divinæ majestati, tum ad cælestem opem implorandam, ut ea res bene ac feliciter eveniret, publicas in Urbe tridui supplicationes, quibus ipse more suo pedes interfuit, [Iubilæum promulgat:] & amplissimum per universum Christianum orbem Jubileum Pius indixit; Cardinales omnes graviter cohortatus, ut quisque se, familiamque suam ad ipsas habendas supplicationes, ac Jubileum ea religione promerendum componerent, ut & Deum placare & Christianis populis singulari pietatis exemplo esse possent. Mox cum intellexisset, Venetos ferme supra vires bellicorum sumptuum magnitudinem bello contra Turcas gerendo sustinere, [concedit facultatem ab Ecclesiasticis accipiendi subsidia.]

clementer illis indulgit, ut in universa ditione Veneta ab sacratis viris aureorum nummum centena millia in annos quinque, durante fœdere, per sacros administros colligere possent. Similique usus liberalitate in Regem Catholicum, ei multiplicem cogendæ pecuniæ tribuit facultatem: atque illi centum triremes confirmavit, quæ ad maritima Italiæ tutanda præsidia, Pii IV concessu, Ecclesiæ vectigalibus sustentabantur. Inter hæc nonnullis Pio subjicientibus, opportune factum iri, si per eam occasionem opimos proventus aut alia commoda consanguineis suis apud Regem ipse procuraret, se sacrarum facultatum mercatorem nequaquam esse respondit: sed ejusmodi subsidia ad Christianæ reipublicæ salutem se gratuito ac libenter concessisse, ut fœdus ictum eo liberalitatis vinculo sanctius devinciret. Ac vere id quidem: neque enim ea prius ut concederet, adduci unquam potuerat, nullam ejusmodi causam subesse videns.

[226] Et quoniam propter multa eaque maxima, quæ & Melitensibus & Cæsari in Pannonia contra Turcas, [pecuniam colligit] & Gallorum Regi & Belgis Britannisque Catholicis adversus hæreticos pugnantibus, tum pecuniarum tum vero copiarum auxilia sæpe miserat, exhaustum erat ærarium Pontificium; ex urbanis Magistratibus nonnullos bellici hujus subsidii causa vendere, ut moris est, prope cogebatur. Quare Cardinali Alexandrino, sororis suæ nepoti, Camerarii munus, quod ei superiore anno contulerat, abrogare venaleque habere constituit. Id vero Cardinali minime ingratum accidit: [vendito munere Camerarii,] quin etiam is Christianæ reipublicæ causa in gratiam Pontificis tali munere libentissime sese abdicans, Pio id postulanti respondit, si vellet eo genere subsidii ad ejusmodi occasionem ut, id majoris se in beneficii loco positurum, quam eo ipso recipiendo posuisset. Hunc igitur Magistratum, qui suapte natura venalis erat, vendidit Pius septuaginta milibus

nummum aureorum. Eademque de causa Camerae Apostolicæ clericorum numerum, [Clericos Camerae augendo,] cum antea septem essent, adauxit ad duodenarium: e quibus centum & viginti quinque millia nummum aureorum collegit. Duodecim ditioribus Cœnobitarum Ordinibus, qui postea triginta duo aureorum millia in annos singulos se collaturos esse transegerunt, quadringentorum millium aureorum tributum imperavit: ex quibus fidei Montem instituit, eumque Religionis Montem appellari decrevit: [exigendo contributiones a Religiosis.] atque eisdem Ordinibus ipsius subsidii causa, nonnulla bona sua vendendi fecit potestatem. His & aliis præterea Cœnobitis senas decimas imposuit: habitaque mendicantium Ordinum ratione, illorum tributum ad tres decimas, ex antiqua æstimatione revocavit. Super alios itidem sacros fructus ac pensiones per Italiam, excepta Venetorum ditione, sex decimas indixit. Ad hæc usus quoque semel est menstruo fructu nonnullorum Romanæ curie Magistratum. Statuit demum ut exules tum Clerici tum laici, ab exilio revocarentur; in eos imposita multa, per viros ad id electos definienda.

[227] Fuere, qui per hanc occasionem Pio proponerent, ex usu maxime futurum, si ad ecclesiastica beneficia regressus Sacerdotibus concederet: [recusat tamen pretio concedere regressum ad beneficia.] nam inde decies fere centena aureorum millia colligi posse: quorum tamen consilio minime acquiescendum Pius putavit, quod ea res ad alia multa & indigna & indecora viam patefaceret. Sic enim fore, ut Ecclesiastica bona, quæ viris probis ac sapientibus arbitrio Pontificum distribuenda essent, sensim ineptorum & indignorum hominum fierent quasi patrimonium: atque ita non virtuti & Ecclesiarum utilitati; sed carni ac sanguini, atque adeo impuris interdum administris consuleretur. Denique nullam tantam esse posse necessitatem, quæ Principem quemvis bonum,

nedum Pontificem Summum, ad ea quæ vel divinis vel humanis legibus minime consentanea sint, publice concedenda debeat inducere. Verum ante omnia summo id sibi studio faciendum existimavit, ut sine cunctatione ad Christianos Principes legationes decerneret, cum, ut junctum fœdus magis ac magis confirmaret, tum etiam ut eos ad moliendum, si fieri potuisset, Turcarum excidium impelleret ac provocaret.

#### CAPUT IV.

### Legatio Cardinalis Alexandrini ad Philippum Regem Catholicum.

#### CAP. VIII

[228] In amplissimo igitur Cardinalium consessu, ad XIII Kal. Julias habito, Cardinalem Alexandrinum ad tres præcipuos Christiani orbis eosdemque potentissimos, Hispaniæ videlicet, Galliæ & Lusitaniæ Reges; & Cardinalem Commendonum absentem ad Cæsarem Poloniæque Regem, Legatos Apostolicos declaravit. [Cardinalis Alexandrinus, Legatus Apostolicus] Sed de Commendono postea; nunc de Alexandrino: cui ad Reges ipsos litteras dedit, pastoralis studii ac paternæ caritatis plenas: quibus litteris, quam gravate præsentis illius sibi & unice cari & intime conjuncti opera privaretur, ostendit. Huic proficiscenti complures lectissimos sacros Proceres virosque præstantissimos comites esse voluit. In his fuere præcipui, Hippolytus Aldobrandinus, jam ab ipso Pio primum Romanæ Rotæ lectus Auditor, hujusque legationis ac negotiorum omnium moderator, nunc Clemens VIII Pontifex Maximus; Alexander Riarius, Apostolicæ Cameræ Auditor, Patriarcha Alexandrinus; Hippolytus Rubeus, Episcopus Ticinensis; [cum præclaro comitatu] Joannes Franciscus Sangeorgius, Comes Blandratae, mox Urbis Præfectus & Episcopus Aquensis; Mattheus Contarellus, legationis hujus, deinde Gregorii XIII

**Datarius; Franciscus Maria Taurusius, mox Avenionis, nunc Senarum Archiepiscopus, omnes postea Cardinales; Cæsar Specianus post Novariensis, nunc Cremonensis Episcopus; Guilielmus Bastonus, nunc Episcopus Ticinensis; Vincentius Herculæus & Bartholomæus a Lugo, ambo ex Dominicano Ordine Theologi: ille ad Sarnensem primum, inde ad Forocorneliensem, mox ad Perusinum; hic ad Interamnensem Episcopatum assumpti; Franciscus Borgia, ex Gandiæ Duce religiosus, tunc Præpositus Generalis Societatis Jesu; Annibal Crassus, Cameræ Apostolicæ Clericus, post Episcopus Faventinus; Pyrrus Tarus & Joannes Petrus Gislerius, præsules Romani; omnes viri pietate, rerum usu, integritate, sapientia, ceterarumque virtutum splendore conspicui: ut præclarum hunc comitatum, Romanæ aulæ florem, & Episcoporum, Cardinalium, summorumque Pontificum quasi seminarium fuisse, nec immerito, dixerimus.**

**[229] His & aliis omnibus Pius cautum esse jussit, ne ullum omnino donorum genus, seu a Principibus seu ab aliis acciperent, neque pro seipsis aut pro aliis Legati gratia apud ipsos Principes uterentur: [profectus in Hispaniam] suum enim esse, meritis præmiis eorum quemlibet afficere. Neque vero moram ullam interponere Legatum passus est, summa diligentia maturandæ profectionis primum ad Catholicum Regem, in quo majora earum momenta rerum posita esse videbantur. Itaque pridie Kalend. Julias Roma profectus & in itinere cum ab aliis. Italiæ Principibus, tum in primis a Sabaudicæ Duce, magnis acceptus honoribus; apud eum biduo commoratus, atque ejus optimique Principis Guilielmi Jojosæ, [& Madriti humanissime a Rege exceptus,] Gallicæ Narbonensis Proregis, ductu per medios Galliarum hæreticos Avenionem usque deductus incolumis; III Kalend. Octobris ejusdem anni, Mantuam Carpetanorum (Madritum appellant) pervenit: ibique ab Rege, qui honoris causa cum Regio comitatu ei obviam processit,**

honorificentissime & humanissime fuit exceptus. Redditis a Pontifice litteris Legatus ostendit, tam ardenti communis salutis studio Pium teneri, ut si per ætatem licuisset, ipse ad hæc cum Rege peragenda venturus fuisset; sed quoquo modo posset id absentem agere, quod coram præstare impediretur: summo Dei beneficio socialis belli fœdus in Turcam sancitum esse, nunc ineundam esse rationem, non modo ne auxilia quæ pepigissent minuerentur; sed ut nova eaque majora si fieri posset adderentur. Regi, ad rem Christianam tutandam & conservandam nato, omnia tentanda & conanda esse, ut furentem Christiani nominis hostem reprimeret: ejus opes & imperium quotidie magis augescere, Christianorum imminui. Nisi conando audendoque Rex aliquid pro viribus moliretur, periculum imminere, ne ut cœpisset res Christiana laberetur: si bellum contra Turcam Rex ardentius suscepisset, eum non modo illata ab eo vulnera ulcisci, [hortatur cum ad bellum Turci eum serio promovendum,] sed etiam tota Africa potiri posse. At si Venetorum vires frangerentur, Regi graviora impendere pericula: cladibus, quas Pannoniæ & Austriacis ejus cognatis passim hostis intulisset, plus satis ostendi, quo in discrimine res Hispana & Italica versaretur.

[230] Ceteris quidem Principibus Christianis minus turpe fore, [quod neminem magis quam ipsum id deceat] si alienis periculis neglectis sua tuerentur: Philippum vero, qui opibus & auctoritate tantum valeret, ut merito columen Christianæ reipublicæ religionisque præsidium haberetur, vix (quod pace tantæ Majestatis dictum vellet) effugere vituperationem posse, si quos Principes aut nationes a Turca opprimi pateretur: omnium sive existimatione sive efflagitatione, neminem magis decere quam Philippum, libertatis Christianæ vindicem se præbere. Illi ergo, ut Christianæ rei sibique consuleret, difficillima quæque superanda esse. Icti namque foederis viam, quæ a primis rerum agendarum consiliis duxisset



ad deliberationes, magnas difficultates habuisse: sed illam majores habituram, quæ a deliberationibus ferret ad exequenda absolvendaque ea quæ decreta fuissent. In primis igitur diligentiam adhibendam esse, ut statutis locis ac temporibus rerum bellicarum apparatus & copiæ præsto essent: cum plerisque in rebus tarditatem & procrastinationem obesse, tum hoc bellum celeritate indigere: consilia, ut Rex ipse optime nosset, esse temporum, quæ in horas mutarentur; cum negotiorum maturitates præterissent, rerum opportunitates sero & nequidquam quæri. [providendumque maturæ apparatusi necessario.] Ad rem igitur bene gerendam magni interesse, belli rationes ita constitui, ut ex re & tempore consilia capi possent: ne in rebus subitis & angustis, cum maturato opus esset, Rex semper consulendus, interjectoque longo terrarum spatio ex Hispania deliberationes semper essent expectandæ. Omnia præterea Regem experiri & tentare oportere, ut Maximilianus Cæsar & Carolus Gallicæ Rex in hanc belli causam descenderent. Omnia autem prospere processura, si hostis terrestribus Christianorum & navalibus copiis urgeretur. Hæc, in quibus secundum Deum spes salutis consisteret, Pium non solum petere & obtestari, sed etiam quasi debita ab eo Rege poscere, cujus, Deo bene juvante, quam maximæ in orbe terrarum opes essent.

[231] Legatum hæc & alia referentem benigne Rex audivit: Pio, qui de Christiana republica numquam nisi divine cogitasset, se maximas gratias agere, majores etiam habere: primum, [cui Rex annuent] quod tali mente esset, quali caput & summum columen rei Christianæ esse deceret: deinde quod Alexandrinum Cardinalem, consiliorum & pietatis avunculi effigiem, ad se misisset. Pii mandata sibi curæ futura: omniaque prout tempus & res sineret, se diligenter acturum. In primis ergo Joanni Austriaco, in eam expeditionem profecturo, mandavit, ut

expleta ejus anni navigatione, [cum accelerando bello providisset;] cum triremibus cunctisque bellicis opibus in Italia subsisteret, quamvis paulo ante eidem jussisset, ut hibernatum rediret in Hispaniam. Deinde, ut nulla de re ad initam societatem pertinente, ex Hispania dehinc Romæ aut in classe expectanda deliberatio esset: liberam potestatem cognoscendi & decernendi, quæ ex usu essent, Granvellio & Pacieco Cardinalibus Stunicæque Oratori suo permisit. Quidquid illi Romæ constituissent, id ratum firmumque perinde, ac si apud se actum esset, futurum. Præterea jussit, ut præscriptis temporibus decreta subsidia præberentur: denique per litteras & Cæsarem & Galliarum Regem, ad ineundam fœderis societatem, ut Legatus Pii verbis postulaverat, graviter cohortatus est.

[232] Initæ vero societatis rebus hunc in modum constitutis, Legatus habere se ad eum privata Pontificis mandata demonstrat: [rogatur a legato] quæ etsi non ad belli rationem, ad tollendas tamen dissidiorum causas pertinerent. Pio semper id animi fuisse, ut amicos & Sedis Apostolicæ studiosos Reges, non modo nihil sui juris deperdere, sed etiam dignitate, gratia & honore auctiores esse vellet. Quæ ceteri summi Pontifices in Neapolis Siciliæque Reges olim contulissent, ea ita firma esse debere, ut ne quid de sacrosanctæ Sedis jure derogeretur. Sed in eorum regnorum administrationem multas corruptelas irrepsisse, quæ sacris legibus ac Pontificiæ auctoritati repugnarent: ut inter alia, quod Regii constituta in Sicilia monarchia, [ut Neapoli & in Sicilia consulat libertati ecclesiastica,] quæ ad Apostolicæ Sedis patrimonium pertinet, in sacros viros jus sibi vindicarent, & in Neapolitani regni finibus Concilii Tridentini decretis non obtemperaretur: Pontificiisque litteris & constitutionibus, quæ decreti Regii, quod Exequatur appellant, immunes esse deberent, obsisteretur. De his & aliis Legatus Pii verbis petebat, ne

ab institutis superiorum temporum, & ab jure tamdiu retento recederetur. Nec magis Sedis Apostolicæ quam ipsius Regis interesse ut iis malis occurreretur: propterea quod ubi Ecclesiastica jura violarentur, ibi nescio quo divino consilio fieret, ut turbulentæ seditioes pestiferæque hæreses exorirentur; populique communicatis consiliis in caput & in fortunas Principum conjurarent. At ubi Principes cuncta post religionem habuissent, & humana imperia sacræ auctoritati submittenda probe pieque sensissent; ibi eos, pulsus curis atque periculis, solido ac tuto rerum statu frui: idque tum vetustis, tum recentibus exemplis constare. Ceterum Pio curæ esse, non modo ut sine injuria, sed etiam sine querela res administrarentur.

[233] Eum præterea postulare, ut controversiæ Mediolanensis Ecclesiæ finis imponeretur; & jus amissum veterum Archiepiscoporum culpa, [Mediolanensi Archiepiscopo jus suum relinquat,] qui diutius absuerant, restitueretur. Lectionem Oeconomi ipsius Ecclesiæ, quam sibi Regii usurpaverant administrari, summo Pontifici, ad quem unum id jure spectat, relinquendam esse. Regem, qui ad æquitatem omnia referri vellet, Pio pergratum facturum, si suis præcepisset, ne se alieno juri immiscerent. In regno Neapolitano & Mediolanensi ditione, ad sustinendum bellum Turcicum, sex decimas Pium indixisse: eam collationem mere esse Ecclesiasticam, [indictas a Papa decimas per suos non attingat.] eamque pecuniam veteri instituto ab Ecclesiasticis administris exigendam esse: neque vero quidquam Regiis impertiendum: si quid eis antea tributum esset, id summorum Pontificum indulgentia factum fuisse, neque ejus rei certam ac perpetuam legem posse constitui. Nunc vero Pium postulare, ne pecuniam ad bellicos usus erogatam, ad suorum lucrum revocari Rex pateretur.

[234] [Cosmo Magni Ducis datum titulum ne indignetur] Illud porro Pio non minorem curam attulisse, quod de Cosmi Magni Etruriæ Ducis titulo nonnulli per invidiam, secus ac res esset, Regi detulissent; multaque affinxissent, quibus a Cosmo Regis animum alienarent. Sed non esse, cur id Regi aut ægre ferendum esset aut æmulis credendum putaret. Principem Italum esse neminem, qui afflicta Christiana republica se ad omnes casus paratiorem ac constantiorem præbuerit, quam Cosmus Medices. Officia ejus & studia, cum aliis occasionibus, tum precipue proximo bello Gallico perspici potuisse. Præclarum hunc virum, & de Ecclesia optime meritum, consilioque & pietate florentem, dignum judicasse, quem Magni Ducis titulo pro potestate decoraret. Testem esse Deum, se neque ambienti neque petenti, sed ultro, hunc honorem detulisse. Quo consilio & qua spe hunc æmuli oppugnassent, Regem conjectura assequi posse. Cosmum, qui in eam rationem semper incubuisset, ut æqui & iniqui intelligerent, se fide & observantia erga Regem ceteros anteire; etiam in posterum omnia facturum, cum ingenti significatione suæ erga tantam majestatem propensæ voluntatis.

[235] Ad hæc illud Pio molestum accidisse, quod de M. Antonio Columna Regi delatum esset, [aut Columnam classi Pontificiæ præfectum,] eum a Pio delectum, quem Pontificiæ classi præficeret, Summique fœderatorum Imperatoris Vicarium constitueret, non, ut quidam per invidiam querebantur, quod alios ab Hispanis propositos minus quam par esset vel æstimaret Pius, vel privatis rationibus ductus quemquam posthaberet: sed quod Columnam, clarissimi nominis ducem & bellicæ virtutis gloria præcellentem, Catholici Regis studiosissimum cupidissimumque perpetuo cognovisset; hæc omnia ea mente constituta fuisse, ut Regi gratificaretur. Alios præteriisse, qui Principum quidem opibus & studiis commendarentur, sed minus multa virtutis suæ

documenta dedissent. Superiores summos Pontifices vix aut numquam adduci potuisse, ut hujusmodi honores intimis Regum clientibus deferrent: quod igitur Pontifici, pro sua in Regem caritate gratiam conciliare vel augere debebat, id Columnæ invidiam confiasse: sed quod gloriæ esse par erat, id vitio verti minime oportere. Denique, non ut Pii gratia Columnæ prodesset, sed ne obsesset, Regem rogari.

[236] Pium præterea magnum aliud opus conari, eumque spe quadam obtentari, [utque Algerii Præfecto Christianis adjungendo faveat.] fore ut Lucialius Calaber, Christianæ religionis desertor, tunc Algerii Præses, archipirata notissimus, idemque terrestrium ac navalium certaminum usu insignis, ad pristinum veræ religionis cultum reverteretur, si ei de ditione aliqua vel certo stipendio in Italia provisum esset: ea namque de re Pium recentibus litteris factum esse certiore. Itaque Regem optime reipublicæ Christianæ consulturum, si tam bellicosum ducem & tam multa audentem Turcis detraxisset: quod si conatus irriti cecidissent, tamen id boni sua sponte secuturum, ut ob eam rem Lucialius Turcis invisior & suspectior ad omnia redderetur. Et quidem Pio, nec inanis spes injecta esse videbatur, si inter Christianos Principes illud teneretur institutum, ut huic hominum generi opportuna & commoda degendæ vitæ subsidia tribuerentur, fore, ut non modo Catholicæ fidei desertores, sed ex ipsis quoque Turcis non pauci ad Christi castra confugerent. His expositis, Legatus adjecit, posse Rempublicam inclinatam erigi, si quæ præclare inchoata essent, constanter ad exitum perducerentur. Pontificem omnem spem rei bene gerendæ, secundum Deum, in spectatissima Regis pietate positam habere: quam si iis miseris temporibus præstitisset, imminetia pericula longe fore leviora. Spe impetrandi se lætum, ad talem tantumque Regem venisse: lætiorem discessurum,

si responsum super tantis rebus, quale magna & generosa Regis instituta sponderant, retulisset.

[237] Ad hæc Rex, non minore quam antea benignitate, respondit: [Rex benigne ad singula respondet.] Regni Neapolitani Siculique ditiones eo jure se tenere, quo a majoribus traditas accepisset: ut aliena occupare non consuesset, sic hereditarias & justas possessiones tueri æquum esse. Etsi possessione & causa se superiorem existimaret, tamen Pontifici se morem gesturum: hominemque peritum rerum ex suis Romam missurum, id quod ante recusasset, qui in re præsentis de iis controversiis disceptaret. De jure Mediolanensis Ecclesiæ, de Oeconomatu, de decimarum rationibus, in auctoritate se summi Pontificis penitus futurum. De Cosmo, licet alii secus scripsissent aut coram locuti essent, tamen se Pio crediturum potius: nec solum in Cosmum se eum futurum, quem Pius esse voluisset; sed Maximilianum Cæsarem, qui ei ob novitatem honoris valde succensisset, leniturum. De Columna, quanti eum faceret, cum res ferret, se factis ostensurum: neque solum de conservanda, sed etiam de amplificanda ejus dignitate libenter cogitaturum. De Lucialio vereri, ne medicina morbo esset inferior. Nam etsi ea Pii sapientia esset & auctoritas, ut ipse ab eo, non summus Pontifex ab se deberet admoneri; tamen indicandum, quid vere sentiret; ab hujusmodi hominum ingeniis, qui ad omnem auram spei mobiles essent & infidi, nullam bonam frugem expectari posse. Se tamen cogitaturum, quid de hac re commode fieri posset. Omnibus in rebus officium, fidem, & pietatem præstiturum: & Pio Pontifici, quem ipse unice diligeret & coleret, quibuscumque in rebus posset, obsecuturum.

## CAPUT V.

Legatio ejusdem Cardinalis Alexandrini ad Reges Lusitaniæ & Galliæ.

## CAP. IX

[238] Cum amplissimis verbis Legatus Philippo gratias egisset, ad Sebastianum Lusitaniæ Regem progressus est: & cum eadem fere, quæ superiore anno Ludovicus de Torres Internuntius postulaverat, ab eo deposceret; eadem ferme responsa retulit. [Epist. 53 l. 3] [Idem apud Regem Lusitaniæ legatus agens,] In hisce atque aliis rebus agendis, aiebat Rex, Pontificis in se benevolentiam, paternam caritatem atque prudentiam non solum diligere, verum etiam admirari. Quæ vero causæ ante obstitissent, quo minus auxilia præberet, easdem etiam nunc manere: & ut nunc se res haberet, non solum mansuras, sed ad veteres difficultates novas etiam accessisse. Multo majores copias, quam singulis annis in Indiam miserit, transmittere oportere: ibi quoque bono publico sibi cum Turcis bellum gerendum. In illis item regionibus, [reperit eum variis bellis irretitum,] ubi omnia infesta essent & hostilia, ubi incolæ insociales advenas pejus omnibus malis odissent, portus imperii magnis operibus præmuniendos esse: & quamquam appeteret hiems, tamen classem instruendam esse, & contra hæreticos quosdam piratas educendam, qui oppressis plurimis navibus, cum multos alios, tum Sacerdotes nonnullos obtruncassent. Sibi præterea compertum esse, Seriphium Mauritanici Regis, qui proximo superiore anno insulas Canarias depopulatus esset, nunc magno conatu classem ædificare, ad terrestres copias maritimas addere, & vires augere: non cunctandum videri, quin huic hosti occurreret. Ingentem præterea classem parandam & ita distribuendam, ut alia pars Minæ, alia Congii regno, alia insulis tuendis sufficeret. Porro famam percrebuisse, hæreticos, pace facta, ex Gallia & Britannia piraticas naves deducturos, & Lusitaniæ maritimam oram populaturos: hos aliarum triremium apparatu coercendos esse. Itaque circumspectis regni viribus, nihil superesse,

quo amicis Principibus auxilio esse posset: sperare tamen se, Pium hæc in bonam partem accepturum.

[239] Hæc palam, & aperte Rex obtendebat: secreto autem, ut postea magis compertum est, bellum Mauritanum meditabatur. [nova contra Mauros meditari.] Ejus consilii causam, plerique nonnullis religiosi instituti Sacerdotibus, consiliariis ejus adscribebant: quorum auctoritas apud Regem tanti erat, ut rerum summa ad eorum arbitrium judiciumque revocaretur. Ii Regi auctores esse dicebantur, ut in præsentia connubio abstineret, bellumque prius cum Seriphio conficeret. Quæ res animum Reginae Catharinæ Regis avicæ, quæ in Sebastiani capite stirpis regicæ spem periclitari cerneret, exulceraverant, & a Sacerdotibus illis alienaverant: eorum partes esse agebat, ut in rerum divinarum studia incumberent, non ut regnorum administrationibus se admiscerent, aut Regibus modum conjugii & cœlibatus, pacis & belli facere auderent: plus iis rationibus nocituros Regi quam, quod sanctis institutis imbuerent, profuturos. De his atque aliis tum privatis tum publicis in nepotem Regem querelis, Regina ipsa libellum & litteras Legato dedit ad Pium perferendas, ut iis malis occurreret: ac nisi rebus modus fieret, in Castellam, unde venerat (erat enim Caroli V Cæsaris soror) reverti constituerat. Sed Reginae querelæ Legatique mœstitia, quam ex negatis auxiliis præ se ferebat, rem prolapsam aliqua ex parte restituerunt.

[240] Nam Legato (quod erat alterum susceptæ legationis caput) Pii verbis, [persuadet tamen nuptias cum Margarita Valesia,] ut Margaritam Valesiam, Gallorum Regis sororem, sibi uxorem adjungeret, Sebastianum vehementer hortante; ille demum, ut alicui ejus petitioni obsecutus videretur, se in potestate Pontificis futurum pronuntiavit; dotis nomine nihil aliud postulans, nisi ut Gallorum Rex cum aliis Christianis Principibus in Turcas



belli societatem iniret. Sed præclare composita consilia longe alium, quam sperabatur, exitum habuere. Dum enim hæc in Lusitania curantur, Antonius Maria Salviatus, S. Pauli Episcopus, postea Cardinalis, qui tunc Internuntii Apostolici munere apud Galliæ Regem fungebatur, [sed hanc Henrico Navarro desponsam] Pio renuntiat, Margaritam factis sponsalibus Henrico Borbonio, Navarræ Principi, desponsam esse, se omnibus rationibus ne id fieret obnitente; quod Pio molestissimum fore non ignoraret: & quoniam ii consanguinitate conjuncti essent in tertio gradu aliisque rebus præpediti, Catharina Galliæ Regina senior petebat, ut eos ad legitimi matrimonii jus Pius legibus exolveret. Re audita, Pius ægerrime tulit, negavitque ullum tristiorem nuntium ad se perferri potuisse: hæc non modo non placere, sed ne licere quidem. Henricus enim, licet regio genere ortus, jam inde a puero patris contubernio bellis & artibus militiæ eruditus, missusque in varias expeditiones fortibus factis Gallorum in se animos convertisset; hanc tamen gloriam opinionum hæreticarum labe magnopere fœdabat. Ex matre namque hæretica natus, & inter hæreticos educatus, Calvinianoque veneno a teneris imbutus, jam ingentes in Gallia motus excitaverat: & quamquam vulgari quadam opinione hac fieri affinitate posse videbatur, ut inter Gallos ipsos bene conveniret, hæreticique ab infestandis Catholicis deinceps abstinerent, & quod ad res seculares attinet. Regi Gallorum obtemperarent, sic ut regnum illud in pristinum statum restitueretur; verumtamen Pius, qui secundum Deum judicabat omnia, rem secus interpretabatur: pravitatem videlicet jam expertus eorum, qui Christianissimi nominis splendorem depravatæ religionis fuce non mediocriter obscurare conabantur. [cum mœrore intelligit improbatque:] Itaque non modo in aliam partem accipiebat omnia, sed etiam quidquid dicerent refellebat, quid inde mali futurum esset prospiciens. Ac rei dolore æstuans, & divini honoris studio ardens, lævam manum,

qua dexteræ loco uti solebat, ad cervicem admovisse dicitur; & jurejurando affirmasse, se capitis sui jacturam facturum esse potius, quam ut Reginae iniqua petenti morem gereret & publicæ causæ deesset; seque tempestatem omnem subiturum, ne quibusdam indulgendo malum publicum fieret.

## CAP. X

[241] Rebus in Lusitania utcumque compositis, regiisque illic animis inter se conciliatis, Legatus Pii litteris in Galliam devocatur: quo maximis itineribus per dubios infestosque saltus media hieme cum pervenisset, honorifice acceptus, [Quare Regi Galliae bellum contra Turcas suadens legatus,] adeundi Regis potestate facta, Pii consilia diligenter exponit. Ac primum nihil esse, quod Pius, Principes, populi que Christiani magis expeterent, quam ut Rex eosdem, quos Catholica Ecclesia amicos & inimicos haberet; & societate cum ceteris Regibus inita, arma in Turcas viresque converteret. Id si faceret, & pro Christianissimi nominis dignitate officioque facturum, & omnia domi forisque pacata & tranquilla propediem habiturum. Ad hæc præclara veterum, præsertim Galliae Regum instituta facinoraque commemorat. [Epist. 11, 12 lib. 4] Quamdiu Reges Sanctam Ecclesiam tutati essent, eos rebus secundis usos esse, orbemque terrarum victoriis & triumphis peragrasse: si qui postea ex iis, consociando se cum Turcis, iram Dei meruissent; nunc Rex, vires conferendo cum Christianis, divinam clementiam promereretur.

[242] Deinde consilium de sorore Borbonio collocanda vehementer improbavit. Pium, qui Regem unice diligeret, eum per regalem dignitatem, [instat ut ejus soror Lusitano potius quam Navarro detur.] per effusum a Christo sanguinem, per quidquid carum esset orare atque obsecrare, ne quid gravius de salute Gallorum & Regni

incolumitate consuleret. Deum hominesque testificari, vatem se haud inanem futurum; nisi orientem flammam oppressisset, mox cum nemo auxilio esse posset, eum nuptialibus hisce facibus conflagraturum: male se rem habere, cum impietati vires adderentur. Ubi esset religionis studiorumque dissimilitudo, ibi veram & tutam pacem esse non posse: etiam atque etiam caveret, ne spe præsentis tranquillitatis perpetuam tranquillitatem amitteret: tacitas & occultas inimicitias magis timendas esse, quam indictas & apertas. Si cum Lusitano, Catholici nominis Principe longe clarissimo, affinitatem amicitiamque junxisset, id fore Galliæ Regi Regnoque, & ad dignitatem gloriosum, & ad securitatem tutissimum, & ad rerum amplificationem utilissimum: ad eam rem Pium adiutorem se & internuntium profiteri.

[243] Illud præterea Pio, pro Christiana republica sollicito, [queritur hæreticum Constantinopolim legatum esse:] magnam suspicionem injecisse, quod homo inimicus, Catholicæ fidei desertor, Aquensium in Gallia Episcopus, dignitatis abrogatione notatus, Constantinopolim legatus esset: augurari conjectura, eum nihil recte facturum, qui a Catholicæ veritatis via declinasset. Quid Venetias tentatum venisset, Pium subodoratum fuisse: eumque subvereri, ne is urgendo pervinceret, ut vel pace induciisve inter Venetos & Turcas factis, sociale foedus disturbaretur; vel inita nova aliqua cum Galliarum hæreticis societate, Turcæ ad majorem Christianæ reipublicæ perniciem impellerentur: præsertim bello contra aliquam Catholici Regis ditionem inferendo. Augeri suspicionem, quod Philippus Strotius, in Gallia haud procul a Rupella, naves aliquot ornare jam instituerat; specie quidem in Indias nuper a Gallis inventas transmittendi, tantas tamen esse latebras tantosque animorum recessus, ut quid credi possit ignoraret. Hæc & alia ad Regem Legatus. Sed magis

benigne auditus est, quam ut quidquam impetrare potuerit.

[244] Quibus Rex ita respondit: Romanæ Ecclesiæ dignitatem, atque adeo Christianæ reipublicæ tutelam, [Rex humaniter excusat exhaustas bello vires.] Galliæ Regibus maximæ curæ semper fuisse: eosque propterea magnos olim labores & pericula suscepisse, ac proinde fama rerum pro Catholica religione gestarum orbem terrarum complevisse. De animo suo inde conjici posse, quod carissimum fratrem pro Catholica fide summis vitæ periculis & hostium telis objicere non dubitasset: sed civilibus bellis contra hæreticos, ut ipse nosset, per annos multos paulo ante sustinendis, nunc ærarium ita exhaustum esse, populos sic afflictos, ut præsentibus viribus ad tutandum regnum vix contentus esse posset. Rebus suis melius constitutis, officio suo non defuturum, & quantum in se esset enixurum, [Legati CP. missionem,] ut studiis suis & opibus in re Christiana conservanda & amplificanda ceteros Reges ac Principes superaret. Aquensium Episcopum de rebus ad Galliam valde pertinentibus legationem ad Turcam obiisse, nihil mali moliturum: optare se a Deo, ut potius terra sibi dehisceret, quam ut tam præclarum ac sanctum fœdus impediret. Christianæ reipublicæ salutem & dignitatem sibi primam semper fuisse vitæque cariorem.

[245] Quod Margaritam sororem, de consilio Principum prudentiumque virorum, Henrico despondisset, ad id multa fuisse quæ hortarentur: [affinitatem cum Henrico,] sed præcipue, quod ille majorem animi ingeniique indolem præ se ferret, quam in ullo unquam Borbonicæ gentis eluxisset: multa in homine signa perspici, ut conjici posset, parem bello juvenem neminem iis temporibus futurum. Illud unum intolerandum esse, quod hæreticis opinionibus deceptus abhorreret a Catholica veritate: cujus tamen veritatis tanta vis esset, ut se contra falsarum

opinionum commenta facile tueretur. Catholicæ religionis hoc esse proprium, ut victa vinceret: qui magnis præterea naturæ bonis præditi essent, eos facile adduci, ut ejectis errorum tenebris, veritatis lucem intuerentur. Ad curandum hunc morbum, præsertim in principum virorum ingeniis, existimasse lenia remedia plerumque salubriora esse, quam acria: sibi quidem persuasum esse, traditis veræ & germanicæ pietatis rudimentis eum non solum evasurum qualis optaretur, [cum spe illius ad fidem Catholicam adducendi,] sed aliquando magno Ecclesiæ ornamento & adjumento futurum: multos nostra & antiquorum memoria celebrari, qui cum Christiano nomini & Catholicæ religioni infestissimi fuissent, ex inscitæ tandem tenebris emersissent, seque ad bonam frugem recipissent. Si is, qui caput errantium esset, ad bonas partes traduceretur, quot & quanta commoda consecutura? Galliam magnis & intestinis oppressam malis caput tandem erecturam: consilio & auctoritati locum futurum: qui contagione insanirent, furere desituros. Fateri, se necessitate adactum indigna multa pertulisse: verum illud jurejurando affirmare, Regnum se potius & caput in discrimen adducturum, quam ut illatas Deo injurias inultas relinqueret. Ceterum quid moliretur, enuntiandum non esse.

[246] Inter hæc Rex, e digito suo detracto annulo, cui adamas eximii pretii erat illigatus; Accipe, inquit, [datoque annulo fidelem se ecclesiæ mansurum promittit.] Legate, pignus hoc, arrhabonem promissionis fideique meæ, quam tibi do, me ab sanctæ Sedis Apostolicæ obedientia numquam defecturum, & quæcumque sum pollicitus adversus horum scelestorum hominum impietatem, cumulate præstiturum. Legatus accipere annulum recusans, sibi omnino satis esse ait, tanti Regis testatam fidem, omni pignore omnique obside majorem. At Pio ex humanis erepto, Rex Cardinali annulum misit: cujus in pala incisa erant hæc verba: Non

minus hæc solida est pietas, ne pietas possit mea sanguine solvi. Ceterum ejusmodi nuptiarum negotium in aliud tempus extractum, quod nollet Pius eos legibus solvere, ejus successoris Gregorii XIII permissu confectum est. Quid autem postea successerit, quibus de causis Clemens VIII Pontifex Maximus id conjugium irritum esse declaraverit, assiduisque precibus, jejuniis ac lacrymis a Deo ipsius Henrici ad Catholicam fidem conversionem exoraverit, eumque in sanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ gremium receperit, receptumque Christianissimi Galliarum Regis in solio, quod nunc felicissime tenet, legitime collocaverit, ut vera omnino pius Rex Carolus IX prædixisse videatur, plenius litteris prodere, nostri non est instituti.

[247] Ceterum Pius, ex occasione natæ peseos dies Regi Philippo Catholico virilis prolis, [Pius Hispano suadet affinitatem cum Gallo.] Catharinam ejusdem Regis secundo genitam Henrico Valesio, qui postea Galliarum regno infeliciter potitus est, in matrimonium tradi procurabat; sperans, hac ratione fieri posse, ut novo affinitatis nexu ejusmodi Regum animi in amicitia magis confirmarentur, majorique pacis vinculo consociarentur: ex quo multa, eaque præclara Christianæ rei commoda consecutura videbantur; præsertim ad tollendam Hispanorum suspicionem de periculo ditionum, ne videlicet gerendo bello Turcico, eorum inde studia retardarentur. Sed ejusmodi quoque nuptiæ variis impeditæ consiliis non successere.

### ANNOTATA.

Calumnia hæc, non solum falso sed contra speciem omnem tolerabilis mendacii (ut loquitur Franciscus Sacchinus parte 4 Historiarum Societatis Iesu lib. 6 [Calumniam contra Societatem Iesu] num. 190) ejusdem Societatis hominibus impacta, mirum est qua ratione

potuerit Romæ fidem invenire apud viros prudentes, qualis Gabutius erat. Nocuit certe non parum tunc temporis, quo scribebat ille, quoque insignem aliquem fidei constantis fructum ab Apostolica Sede relatura Societas fuerat, nisi id obstitisset. Rem accipe ex Ferdinando Rebello, Claudium Aquavivam Præsitem Generalem sic alloquente, ante opus suum de obligationibus justitiæ, religionis & caritatis, anno 1607. Cum Romæ pro Lusitana Provincia Procuratoris officio perfunctus fuisset & in Lusitaniam redirem, in itinere, antequam Lugdunum, ubi liber hic excudebatur pervenirem, intellexi, cum Sanctiss. D. N. Paulo V ac Sede Apostolica Clarissimæ Venetorum Reipublicæ, non sine magna totius orbis Christiani gratulatione, promulgatam esse reconciliationem: [impedit ejus reditum Venetias,] simulque intellexi Societatis homines, qui antea pro bono pacis ex eadem Republica discesserant, ab eadem arceri. Cupido animum incessit causas diligenter perscrutandi, ob quas non idem qui reliquis Religiosorum hominum Ordinibus, qui propter Censuras Pontificias ex eadem urbe discesserant, in eandem Societati quoque foret regressus. Multorum auditione accepi, circumforaneum esse aliquorum malevolorum sermonem, Societatis homines publicis rebus esse perniciosos; afferrique in exemplum florentissimum quondam Lusitaniæ regnum, quod ex falsa Hieronymi Franci relatione (qua etiam deceptus videtur esse Natalis Comes, ambo natione Itali) Jesuitis impulsoribus corruisse, acceptamque ante annos viginti octo in Mauritania cladem eisdem adscribendam dictitabant. Non potui non tam aliena a Societate calumnia, ut minimus ejus filius, magnopere commoveri; ut Lusitanus vero, harumque rerum oculatus testis, rem adeo indignam, ab ipsaque veritate adeo abhorrentem, admodum vehementer aversari. Ne vero hæc falsa criminatio in Serenissimum Venetiarum Ducem Senatoresque illos Præclarissimos quoque irreperet, [quam falso ei imputetur consilium Sebastiani R.

Lusitaniæ] ad meum Procuratoris etiam officium aliqua ex parte pertinere putavi, accepta quavis occasione apud vestram Paternitatem & apud quosvis alios a tam falsa calumnia Provinciam nostram tueri. Nam duplici ex capite imputari nobis Lusitanici Regni ruina & clades illa poterat Africana: vel quod ex Societatis disciplina Sebastianus Rex ita institutus prodiret, ut nuptias omnino fastidiret, quo factum fuit ut nullo relicto herede decederet: vel quod eidem auctores fuerimus, ut consilio nimis immaturo Africanam suscipere expeditionem. Utraque tamen criminatio & falso nobis & injuriose imposita. Nam quod ad primum attinet, ubi Regi per ætatem licuit, nullum non funem, nullum non movit lapidem, P. Ludovicus Gonsalvius Camara, ex Societate nostra ejus & magister & confessarius, ut matrimonium quamprimum iniret. Et vero cum Catharina Regina Sebastiani Regis avia, cum Henrico Infante ejusdem patruo, [nuptias aversati quas illa suadebat;] omnes industriæ suæ nervos strenue explicavit, ut princeps aliqua semina, tanto digna Rege, quæreretur, sive ea esset Philippi Catholici Regis Hispaniarum, sive Francorum Regis Christianissimi filia. Sed tam Regina Catharina quam Henricus ejus patruus verebantur, ne idem quod Principi ejus patri, immatura morte decedenti contingeret, si ante maturiorem ætatem matrimonio jungeretur. Cum ipso porro Rege assidue egit ne in Africam transiret (quod secundum erat criminationis caput) quin prius tres vel quatuor Regni heredes in Lusitania relinqueret. Imo ut transitum difficiliorem, vel saltem securum quasi ex Dei oraculo redderet, si forte ab eo nollet desistere, addebat, nulla ratione ipsi transeundum esse, nisi ex consilio & impulsione omnium Episcoporum Lusitaniæ atque etiam ipsius summi Pontificis pro Christo in terris Vicarii, quos Dei os esse in terra dicere solebat. [& in bellum Africanum perfecti quid impedire conabatur.] Sed cum ille propositi tenax in sententia nihilominus persisteret, & transitum in Africam decerneret, ab aula Regia P. Ludovicus discessit, seque in



Collegium nostrum Conimbricense, ab aula plusquam per centum triginta milliaria distans, recepit: ex quo ad ipsum Regem, cum primo in Africam anno MDLXIIII trajecit, epistolam, dedit, qua illum protinus in Lusitaniam revocavit, ut ipse Rex ingenue postea fassus est, ostensa epistola, quam in sinu afferebat eidem Patri ultimo febricitanti. Mortuo vero P. Ludovico anno sequenti MDLXXV, XV Martii, tribus ferme annis antequam Rex cum multa Regni nobilitate secundo in Africam, ubi tandem periit, solveret (solvit enim Olisipone anno MDLXXVIII mense Junii) qui e Societate Regi aderant, quamvis exigua satis jam apud ipsum, aliorum consilio penitus addictum, auctoritate valerant; officio tamen suo defuere numquam, nihil intentatum reliquere, ut illius mentem a tam funesta expeditione per se & per alios omnino averterent. Verum in irritum ceciderunt & preces & monita, irato scilicet Numine. [Quid ea de re scripserint Lusitani ipsi] Ex quibus colligere cuivis in procinctu erit, non plenam harum rerum notitiam ad Natalem Comitem & Hieronymum Francum (utpote homines externos & secretorum Regis Sebastiani penitus ignaros) pervenisse, cum nescio quam ex ea clade Societati labem aspergunt. Illorum tamen non veram historiam his in rebus non est quod hoc loco redarguam, cum id egregie nuper præstiterit edito libello Hieronymus Mendoza Lusitanus, atque hujus expeditionis scriptor præclarus. Et scio Senatum Lusitanum, a Rege suo Philippo III postulare, ut præfatorum auctorum historia excudi prohibeatur in omnibus provinciis ipsius ditioni subjectis, donec ab iis & aliis, quæ non bene informati scripserunt, per Inquisitores sancti Officii expurgetur. Hæc ille, optima certissimaque fide. Quod si quis pluribus cupit explicatum videre, quam privatim noxia fuerint, & cuivis sanum sensum habenti videri debuerint illa consilia, quorum dicebatur esse auctor Societas; præcitatum Franciscum Sacchinum legat, & intelliget nihil concipi posse ab omni humanæ politicæ ratione adeoque & a veri similitudine alienius, quam quod

Regem, sui amantißimum, & illum affectum certo certius transmissurum ad liberos si quos suscepisset, continere cælibem, & dubiis etiam bellorum aleis exponere voluisset, cum rei totius publicæ discrimine.

## CAPUT VI.

Legationes ad Cæsarem, Regem Poloniæ, & Principes Italiæ pro suppetiis.

## CAP. XI

[247] Interea Cardinalis Commendonus, de quo ante commemoravimus, de ineundo fœdere deque re Christiana publica a Turcarum impetu vindicanda, ad Cæsarem a Pio Legatus Apostolicus in Germaniam profectus, cum eo Pontificis consilia communicavit. [Per Legatum & litteras,] Sed eo pervenienti Legato Pius anteverendum existimavit, ut Cæsarem ad faciendam hanc belli societatem, Ecclesiamque Dei strenue protegendam, per litteras graviter adhortaretur. Id enim Imperatoris titulum, id Cæsareæ majestatis dignitatem & officium, id familiæ suæ majorumque splendorem, id denique Dei honorem Christianæque reipublicæ sive salutem sive periculum; ab eo in primis jure deposcere & efflagitare. [Epist. 3 l. 5] At vero, quoniam ad imminuendas Turcarum vires, non autem ad eorum penitus evertendum imperium, nomenque delendum (id quod, si fieri potuisset, ipse moliebatur) navales Christianorum copias satis esse Pius intelligebat, hostem prorsus ut tolleret e medio, eum terra marique petere, præsertim in Pannoniæ Poloniæque finibus, cogitabat.

[248] Hoc igitur præter cetera consilium Cæsari Legatus enuntiavit, ab eo vehementer contendens, ut hac ipse expeditione suscepta, in Pannonia Turcam vexare, & Italico quod Pontifex submisisset auxilio munitus expugnare fortiter ingrederetur. Se ad eum in tanto

discrimine, [incitat Cæsarem ut bellum inferat Turcis in Pannonia,] tamquam ad unicum Christianæ reipublicæ præsidium, missum esse ostendit: ab eo cuncta auxilia non sperari solum, sed etiam flagitari. Ut dignitate & loco ceteris Principum anteiret, ita ei majus tutandæ Christianæ rei onus injungi: ab eo rerum omnium egregiarum exempla petenda; atque omnium oculos in eum, tamquam in patronum ac vindicem Christianæ libertatis, esse coniectos: quale consilium ipse cepisset, tale & reliquos esse capturos: si ipse, qui sua dignitate sustineret personam Christiani nominis, qui etiam propria causa Turcæ infensus esse deberet, societatem renuisset; non solum periclitantium animos alienaturum, sed etiam ceterorum; obtrectareque volentibus causas sermonum præbiturum. Meminisset præterea, quoties & ipse & Ferdinandus pater Deum precati fuissent, ut Venetos sibi contra Turcam daret socios: factus nunc voti compos, nec sibi ipse, nec officio deesse vellet. Si sociale fœdus aspernaretur, id Turcam non benevolentiaë ulli aut consilio, sed timori tributurum; [debellandis si terra marique petantur:] tergiversationeque magis irritaturum esse hostem, quam leniturum. Quod si pactis induciis Cæsar confideret, eum vehementer falli: Turcarum perfidiam cum ceteris rebus plurimis, tum violatione fœderis quod cum Venetis fecerant, satis esse perspectam. Christianis prudentibusque Principibus contra Turcas tutum & acerrimum divinitus datum esse telum, ut eorum promissis nullam haberent fidem: idque divino sapientis, immo Dei consilio traditum, admonentis illis verbis: Non credas inimico tuo in æternum. [Eccli. 12] Si Christianorum copiis bifariam divisis, Turca terra marique peteretur, numquid fore ut queat obsistere? Cæsarem numquam majorem rei bene gerendæ occasionem habiturum, Nunc ei declarandum esse, an cum summis Principibus fœdere junctis malit vincere, an perpetua premi servitute, vel certe suam aliorumque salutem periclitari.

[249] Hæc & alia in hanc sententiam Pii verbis cum Legatus exposuisset; [qui consilii anceps,] ea Cæsar, quod vera esse constaret, non improbare, aut se officio deesse velle, sed varia excusare impedimenta cœpit. Ac primum quidem fœderatorum Principum consilium, qui Turcam arcere & communibus armis communem salutem vindicare parati essent, commendavit: deinde rem Christianam sibi curæ fore significans, communicato prius cum Germaniæ Ordinibus consilio, certiora responsa daturum pollicetur. Pluribus vero diebus, loquendo quæ in rem non essent, absumptis; Legatus instare & docere, quid officium, quid dignitatis altitudo postularet, quam ea conjunctio salutaris esset futura: sed tantum aberat, ut, quidquam certi exprimeretur, ut quotidie languidiora & perplexiora responsa redderentur. Cæsari, res inter se pugnantes cogitanti, nutabat animus; neque satis constabat, quid ageret, aut quid consilii caperet. Majestatis quidem fastigium, dignitatis amplitudo, & officii ratio ad ineundam societatem hortabantur: at conscientia virium, & præteritarum cladum memoria, & pactæ cum Turcis induciæ, a belli cogitationibus absterrebant. Illud etiam obstabat, quod infensus Cæsar subiratusque erat Pontifici, qui Magni Ducis titulo Cosmum Medicem decorasset, quod ipse facere ad se (ut diximus) pertinere profiteretur.

[250] His ergo rebus impulsus dictitabat, magna de re deliberationem esse, Rempublicam & majestatem Imperii, [& Selimi minas reformidans,] quæ in suo capite periclitaretur, in discrimen temere non esse deducendam: non in postremos eventus, sed in primas errorum causas culpam malorum conjici solere. Aliis, quorum fines & urbes procul a periculis abessent, libera esse consilia; se, qui expositus adversus Turcam primos hostium impetus esset excepturus, suo periculo erraturum, & in se omnem belli molem conversurum. Timorem Cæsaris augebat Selimus, qui haud ignarus eum legationibus fœderatorum

ad arma sollicitari, scriptis minaciter litteris eum fœderis secum initi admonens, hortabatur ne pacem, quam tantopere experisset, turbare auderet. Quanto spes victoriæ certior Turcæ, quam Christiano esset, denuntiabat. Maximilianum & vim & gratiam hostis expertum, debere malle Turcam amicum, quam inimicum habere. Hæc edicere voluisse, ne qua vana spe erectus, in irrevocabilem casum incideret: non in ejusdem potestate & initium belli & finem futurum. [iniqua postulando mentem dissimulans,] Denique cum variis contentionibus inchoati negotii ratio diutius extraheretur, res tandem eo deducta est, ut Cæsar magnis se copiis adiuvari postularet; nec tamen quantis, exprimeret. Sed prædibus in Germania datis, sibi cavendum: vereri enim se, ne cum bello implicatus esset, aut pace facta, aut aliqua obtenta causa, desereretur.

[251] Cæsar's consilium, eo spectare videbatur, ut qui aperte non auderet, conditionum difficultate fœderis negotium excluderet: at Pius, Legato referente, multa concedere malebat, quam tantæ rei spem infectam relinquere. Legatus vero Pontificis jussa de Cæsareo decernendo subsidio ita fecit, nihil ut offerret ipse singillatim; sed exspectaret, ut quo numero, aut genere etiam auxilii sibi opus esset, per se Cæsar ipse proponeret: verente Pio, ne si parum obtulisset, inde negotium deserendi; si vero multum, [cum ad definitum responsum urgeretur.] plus quoque postulandi sumeretur occasio. Quæ deliberatio in multos extracta dies est: dum nollet Cæsar quidquam definire. Demum Legatus, exspectationis pertæsus, ei libere denuntiat, velle se de hujusmodi implicato consilio Romam nuntios dimittere: & quando ille certi nihil vellet explicare, vel illud ediceret, qua ratione Pio ceterisque fœderatis persuadere posset, omnino cupere se huic fœderi sedulam operam dare. Itaque multis ac variis, quibus per eam noctem agitatus est, cogitationibus implicitum illum reliquit. Sed cum inde

**Cæsar edixisset, ne se inconsulto, cuiquam Romam petenti ulla jumentorum genera præberentur; postridie prima luce per syngrapham Legatum rogat, ne Romam hæc velit renuntiari: nam de peditum & equitum, quo indigeret, numero se decreturum: sicuti subinde fecit, deprecens triginta peditum, equitum vero quatuor millia.**

**[252] Ceterum erat Pio constitutum, viginti peditum & quatuor equitum millibus in hac terrestri expeditione Cæsari suppetias ferre, [& Pius ei 20 peditum 4 equitum millia offerret,] nihilque fœderatis gravius imponere. Sed eo tum equitum (quando ii ægre ac fere nequidquam in classibus expediuntur) tum etiam peditum numero ad eam rem uti, qui instruendis sociorum classibus superfuisset: cui numero accedente subsidio, quod ex Italia, ut mox dicemus, colligendum erat, eo Cæsar contentus esse poterat. Hæc igitur auxilia cum Cæsari Legatus offerret, propeque esset, ut ejus cunctatio conditionum æquitate vinceretur; tum demum quod ante Cæsar tacuerat, objecit, se in octo annos inducias cum Turca pepigisse: æquum non esse, fas, fidem, Deumque testem conventorum fallere; [tandem excusat sibi fœdus cum Turca initum ad 8 annos.] ac perjurio caput obstringere, qui fraudem & perfidiam in aliis vindicaret. Dictis facta minus opportuna adjecit: quod pactum cum Turca tributum Constantinopolim deferendum curavit: quæ res ut nostris detrimento & dolori, sic hostibus gaudio fuit & adiumento. Nam ut illis Germanici periculi curam & timorem ademit, ita nostris auxilii impetrandi spem omnino præcidit.**

## **CAP. XII**

**[253] Ut igitur id, de quo proxime dicebamus, subsidium ex Italia colligeret; e vestigio Pius Antonium Mariam Salviatum & Paulum Odescalcum ad Italicos Duces Oratores misit: ut ii quoque, pro suis singuli facultatibus,**

in Turcicum bellum conspirantes, fœderatis opem ferrent. Itaque ab Sedis Apostolicæ stipendiariis rem aggressus, a Guidone Ubaldo, Urbinatum Duce, cui tenue magis vectigal erat, [A Principibus Italiæ varia auxilia petuntur & impetrantur.] pedites mille postulavit: ab Octavio Farnesio, Placentiæ Parmæque Duce, pedites totidem equitesque ducentos: ab Alfonso Atestino, Ferrariæ Duce, trecentos equites, pedites mille: a Gulielmo Gonzaga, Mantuæ Duce, pedites mille, equites ducentos: ab Emanuele Philiberto, Duce Sabaudia, bis mille peditum, equites quadringentos: a Magno Etruriæ Duce Cosmo, quatuor millia peditum, equites quadringentos: a Genuensibus autem, atque Lucensibus simul, pro rata utriusque Reipublicæ virium, bis mille peditum equitesque trecentos. Ceterum hi Principes fere omnes se pro viribus obsecuturos esse Pontifici, & quæcumque possent in id belli subsidia collaturos responderunt. In primis vero Cosmus, Magnus Dux, Salviato renuntiavit, se quidquid auxilii præterea Pius adjiciendum decrevisset, libenter præbiturum: modo Hispaniarum Rex, quocum pepigerat, nullius Principis bellicam societatem ipso inscio inire sibi licere, id prius rescivisset. Quæ Pio responsa fuere sane gratissima: cumque inter hæc dixisse ferunt, velle se in eam expeditionem proficisci, si modo prius maritimum imperium Turcis ademisset: turpe, & indecorum fore, domi se juvenes continere, confecto jam ætate viro Principe, & eo quidem omnium summo, ad bella prodeunte. Hæc autem pro suo tuendæ Christianæ religionis ardore ex animo pronuntiata eo pertinebant, ut Galliarum Regem ac Cæsarem, qui piam hanc belli societatem inire cunctabantur, ad ejusmodi consilium promptius & capiendum & adjuvandum provocaret.

### CAP. XIII

[254] Dum hæc ita geruntur, diligenter & illud sibi faciendum Pius existimavit, [In Polonia excusans Rex

pacem cum Turco initam,] ut fœderis negotium in Polonia Moschoviaeque pariter ageretur. Ac primum quidem id per Vincentium Porticum, Internuntium Pontificium; deinde per sæpe memoratum Cardinalem Commendonum, quem Germanica legatione tertia perfunctum, ad Sigismundum Poloniæ Regem Legatum, ut diximus, designaverat, diligenter procuravit. Sed quæ Portici opera gesta sunt, ordine prius referamus. Is igitur cum de Pontificiis consiliis ad Regem retulisset, [Internuntium remittit ad Dynastas, nec frustra:] ille nomen suum in hanc societatem dare se non posse respondit, propterea quod perpetuam cum Turca pacem fecisset; sed eam unam reliquam viam esse docuit, ut ad Polonicos Dynastas, quos Palatinos appellant, confugeretur: ac cum eorum aliquo de obtinendo triginta aut quadraginta millium equitum subsidio tractaretur. Nam Palatini, in quos sibi minus plena potestas esset, cum ad eam faciendam pacem nihil consensissent, quidquid agerent, ejus pacis jura nihil violare. Hinc igitur Internuntii opera curatum est, ut Albertus Lascus, primarius Syradiæ Palatinus, per duos menses equitum triginta millia in eam expeditionem se daturum polliceretur: ac proinde Nicolaus Torlaus, magnæ potentiæ Dynasta, alium equitum numerum cogeret sane quam copiosum, ut iis copiis in extrema Polonia ad Hadrianopolim urbem in Turcas irrumpere, eosque frangere conjunctis viribus aggrederentur. [Epist. 34 l. 3]

[255] At enim cum Moschorum Principem centum & quinquaginta equitum millia deducere in aciem posse, eundemque Turcarum hostem existere, Pius cognovisset; Portico in Polonia commoranti jussit, ut in Moschoviam inde proficisceretur; [Idem Internuntius ad Moscum solicitandum ire jussus,] Mognoque Moschorum Duci ostenderet, se a Pio missum esse, ad ejus sensus & vires consociandas Christianis cum Principibus, inter quos inito socialis belli fœdere contra Turcam, regna Christianorum



occupantem, optime jam conveniret. [Epist. 35 l. 4] Bellum inique Venetis indictum: idque non in mari solum, sed ad Hungaricam quoque plagam gerendum: ex Italia ingentem classem & copias collectas esse: terrestri huic expeditioni opem ferre Moschum, non decere solum, sed e re sua maxime videri. Turcarum enim tyrannum, longe lateque imperandi libidine incensum, aliis finitimis regnis occupatis, Moschoviæ demum non parciturum. Urgebat sane vehementer Pius, ut Moschus hanc in Turcas expeditionem susciperet: quam ille, pro imperii sui amplitudine & locorum vicinitate, feliciter agere ac sustinere potuisset, quod Moschorum longe lateque maxime pateat imperium. Protenditur enim ab Alexandri Magni Aris, [cujus societas multum utilis futura erat.] ad Tanais usque fontes in extremas terras ad Borealem Oceanum, sub ipsis ferme Septemtrionibus: ab Oriente vero & a meridie Moschovia finitimos habet Scythas, hodie Tartaros appellatos: occupant autem Tartari latissimam planitiem, ad Sericam usque provinciam, quæ vergit ad orientalem Oceanum: verum, qui Tanaim inter & Volgam incolunt, in obsequio Moschi esse solent, atque inter eos, qui Casanii dicuntur, Moschorum colunt amicitiam: Moschoviam inde ad occidentem solem respicit Lithuania. Itaque Pius per ejusmodi populos, tum amicitia & obedientia quam præstant Moschovitis, tum prædæ spe rerumque novitate permotos, cum Polonis conjunctos, Mahometanum imperium deleri forte vel certe frangi posse ratus, eos ad id efficiendum identidem impellere non desistebat.

[256] [quique Regium nomen & fidei magistros aliquando Roma petierat;] Sed quoniam Pius non tam Christiani nominis hostium cædem atque victoriam, quam æternam eorum atque adeo omnium gentium in Christo Jesu partam salutem ardenter sitiebat, Moscho per Internuntium ostendi jussit, se non solum bellicæ societas causa, sed etiam vehementi animarum salutis desiderio

permotum esse, ad eam decernendam legationem, ut Moschovitas, qui tum Christo nomen dederant, cum ab Ecclesia Latina Græci descivere, ac deinceps Græcanicos errores magna pertinacia sectabantur, ad Catholicæ pietatis cultum sanctæque Romanæ Ecclesiæ obedientiam revocaret. Ejus rei spem sibi injectam esse, quod olim ad Romanos Pontifices antecessores suos, Clementem Septimum, Paulum & Julium, utrumque ejus nominis Tertium, a Moschorum Principibus legati missi fuissent, qui certa munera, regia videlicet insignia, ab Apostolica Sede postularent, & ut Sacerdotes aliique pii viri, civilium artium opifices, in Moschoviam mitterentur. Optabat enim Basilius, Moschorum Princeps, Regii nominis titulo per ipsum Clementem decorari; cum id dare sacrosancti juris & Pontificiæ majestatis esse judicaret: quando & ipsos quoque Cæsares, a summis Pontificibus coronam auream & sceptrum Romani Imperii insignia suscipere inveterata consuetudine, cognovisset. Itaque si Moschorum Dux in eo consilio esset, quod memoratis Pontificibus olim antecessores ejus ostenderant; pollicebatur Pius, se missurum esse Sacerdotes & Episcopos, qui populos illos edocerent Catholicæ religionis veritatem, quam a Christo traditam tenet ac docet sacrosancta Sedes Apostolica, [cognitis gentis moribus jubetur subsistere.] cui divino munere datum est, ut errare non queat. At ubi Porticus de barbaris Moschorum moribus plene cognovit, & ad Pium perscripsit de rebus omnibus, quas noverat ab Alberto Pomerano, qui præsens oculis perlustraverat omnia, Principisque illius ingenium probe noverat, ei Pius respondit, non esse, cur in eas ille regiones jam proficisceretur: quamvis profectionem illam Poloniæ Rex commendaret foveretque: nolle enim se cum tam feris gentibus sibi quidquam esse commercii, cum præsertim ex aliis olim illuc missis legationibus nullos, quod ad religionem attinet, inde pietatis fructus adhuc perceptos esse intelligeret.

## CAP. XIV

[257] Nunc vero quid per Cardinalem Commendonum in Polonia de sociali fœdere Pius egerit, [Legatus deinde Commendonus iterum sollicitat Regem Polonia:] paucis comprehendamus. Hunc enim, uti jam sæpe diximus, ad Poloniæ Regem Legatum destinaverat, cum ut nulla in re suam in tanto negotio desiderari diligentiam pateretur; tum etiam ut Regem ipsum, misso non solum Internuntio, sed Legato quoque Apostolico, ad ineundam hanc belli societatem facilius inclinaret. In Poloniam igitur ille profectus ipsi Regi denuntiavit, ejus regni ac regiæ existimationis rationes in primis exposcere, Turcis ut ipse bellum inferret, seque Christianis cum Principibus fœdere copularet. Secus enim gravia inde accidere illi incommoda posse: jamque nova nec levia pericula ab Turcis intendi, quæ non mediocrem eis rei bene gerendæ spem afferebant: ad devastandum namque Poloniam, Turcæ Tartaros, olim Scythas appellatos, evocaverant. Ipsi Turcæ in Podolia ad flumen Tyram (Histrum vocant incolæ) præsidia constituerant, ibique loca suapte natura tuta magnis operibus communierant. At si Turca ad occupandas Christianorum ditiones curas converteret, Poloniæ Regnum, quod apte commodeque Turcico imperio adjaceret, post tergum non relicturum. Si vero ad stabiliendam utriusque Vallachiæ ditionem, pellendosque ex Transilvania Vaivodas, qui Christianam colerent religionem, animum Selymus adjecisset; non dubitandum videri, quin Polonis illico bellum inferret. Danos & Suetios, mari Sarmatico disiunctos, remotiores esse, quam ut subsidio venire possent.

[258] Rex igitur, ut Legati rationibus aliquid dare videretur, [quem ex proposuis conditionibus alienum a fœdere intelligens.] fœdus cum sociis Principibus inire se velle ostendit; modo conditiones quædam (quæ duræ admodum erant atque difficiles) servarentur: quarum hæc

summa erat. Ut secum Cæsar Germanique Principes, eodem tempore collatis armis, Turcis bellum inferrent: a pellendis Chersoneso Turcis bellum ordirentur: ut quidquid juris in Prussiam se habere Cæsar obtenderet, sibi cederetur: idem præstaret, Danimarchæ Regem nihil contra Polonos moliturum: caveretque ne mari Sarmatico merces in Moschos deveherentur: Barii Rossanique ditiones in Italia, quas sui juris esse prætenderet, sibi redderentur: pecunia, quæ bello gerendo sibi deesset, a fœderatis conferretur. Sed Legatus responsa Regis ita interpretabatur, ut eum non æquitatem conditionum quærere, sed aperte societatem abnuere existimaret. Itaque oblatas Syradiensis Palatini conditiones accipiendas esse constituit: qui, [cum Syradiensi Palatino rem agit:] pro jure in Valachiæ regiones suo, sperabat, si exterarum gentium ope juvaretur, ad finitimarum nationum animos ac tumultus excitandos, ducenta se militum millia, quibus Turcam bello vexare posset, collecturum: ostendebatque se habere litteras super ea re, per certos nuntios ad se missos ab illis populis, qui una secum tam sancti Pontificis Legatum convenire decreverant. Mæsi namque, Zigæ, Triballi, qui nunc Servii, Circassi, & Bulgari appellantur, ad famam belli & spem rerum novarum erecti, litteras ac nuntios ad Legatum miserant, quibus se consiliorum participes, & periculorum socios fore pollicebantur, si Rex in Turcas bellum suscepisset. Quibus cum nuntiis Legatus collocutus, eorum in animis auxit desiderium arma capiendi, quoties per Vallachiam trajiceretur exercitus: quæ via dubio procul tutior putabatur ac certior, ad intimas Turcarum opes evertendas. [& Rege mortuo jubetur adesse electioni.] At enim gravis Regis invaletudo, ex qua paulo post cessit e vivis, ut consilia irrita essent, effecit: de qua quidem ægrotatione Pius admonitus, id graviter tulit. Cum enim Sigismundus nullam virilem prolem relinqueret, ejusque obitu inclytæ gentis Jagellanæ nomen, quæ ducentos annos in Polonia regni

sceptra tenuerat, extingueretur; verebatur Pius, ne comitiis habitis, hæreticus aliquis sufficeretur. Itaque Legato jussit, ne inde discederet; sed, si quid Regi humanitus accidisset, omni studio contendens ut Catholicus quispiam sublegeretur, interesset electioni.

## LIBER V.

**Bellum Turcicum felici victoria peractum.**

**Obitus Pii V.**

### CAPUT I.

**Clades hoc bello a Turcis illatæ. Christianæ classes Messanam conveniunt.**

[259] Hæc dum parantur auxilia, ac rebus cadentibus opportune succurrere, nondum satis instructi vel inter se de re gerenda concordēs, nostri cunctantur; magnas interea clades Turcæ Christianis intulere: tantum scilicet ubique, sed præcipue bellicis in rebus momentum habet celeritas sive concordia. Nam anno superiore, cum ingentem exercitum, [Post occupatam a Turcis Cypram,] quo ducenta fere militum millia contineri ferebantur, ad occupandam Cyprum terra marique Selymus emisisset; Mustafa, primarius ejus Dynasta, rei terrestri præfectus, ad ejus insulæ portus classe delatus, mense Julio facile copias suas prædabundus exposuit: ac Nicosiam primum, celeberrimam & munitissimam urbem mediterraneam, regni caput, quod ante memoravimus, obsidere atque expugnare aggressus; magna Christianorum edita strage, eam VI Idus Septembris ejusdem anni tandem obtinuit. Deinde Famagustam, Salaminam olim appellatam, maritimam urbem, pariter insignem atque instructissimam, acri diuturnaue obsidione vexare & oppugnare insistens, eam per deditionem, quod diutius hosti resistere non posset, ineunte Augusto hujus anni MDLXXI, itidem occupavit, deditionis conditionibus

perfide violatis: ac Marco Antonio Bragadeno urbis Præfecto, Nestori Baleonio summo belli Duce, Laurentio Teupolo, Joanne Antonio Quirino, Aloysio Martinengo, aliisque primariis viris per summam perfidiam & impietatem vario suppliciorum genere peremptis. Itaque universa illa nobilissima insula in Turcarum potestatem redacta, non modo Venetæ, sed fere omni Christianæ reipublicæ gravissimum vulnus paremque dolorem attulit.

[260] Turcica vero classis interea, ne Veneti vel alii Cypriis opem ferrent, atque ut quam maximis posset Christianos damnis afficeret, summis viribus obnitens; Corcyram, Cretam, Cephaleniam, Zacynthum, Cytheram, & alias mediterranei maris insulas & oras infestat ac depopulatur: quin Cestriam Epiri urbem, cui Soppoto vulgo nomen est, quam paulo ante Sebastianus Venerius, dum Corcyræ præesset, e Turcica servitute vindicaverat Venetæque ditioni adjecerat, recepit: atque in Adriaticum sinum ingressa, Olcinio Doclæaque, novo nomine Antibario, Dalmatiæ oppidis in potestatem redactis, Butua ac Pharia devastatis incendio, Curzola insula, quæ olim Corcyra nigra dicebatur, Vlatoque oppido tentato (quod licet haud bene munitum, diffugientibus præ timore viris, mirabili propugnantium feminarum virtute protectum est) Rhizonicum sinum erat aggressa: atque ex his locis omnibus grandi coacta præda, captiva duxerat amplius XV millia Christianorum: majoraque intulisset detrimenta, nisi Christiana classis hosti pro viribus passim obstitisset. Sed ne has calamitates prorsus arceret hostemque profligaret, [dum illorum classis varie impeditur.] multa sæpius eam præpediverunt. Dum enim in stativis ad Jaderam in Dalmatia sociorum præstolatur auxilia, pestilentia fameque laborans; plurimis Ducibus ac militibus absumptis, haud mediocriter deformatur: mox variis agitata procellis, ancipitibusque Ducum distracta consiliis, quod nondum unius capitis imperio regeretur,

cum hoste potentissimo congredi minus expedire judicabat. Sed hæc alii. Nos vero, quibus longius ab instituto digredi minime propositu est, ad Pontificem redeamus.

[261] Labentis ergo rei Christianæ calamitatem Pius ægerrime ferens, hostiumque potentiam pariter & ferociam in dies augescere perspiciens, [Hæc tandem Messane convenit:] simul ac fœdus sancitum est, ut quam celerrime sociorum classes conjungerentur, hostemque invaderent ac debellarent, undequaue sollicitus urgebat. Itaque M. Antonium Columnam, Pontificiæ classis Præfectum, cum mille quingentis militibus, qui Honorato Caetano Sermonetæ Duci parebant (præter alios plurimos, quos undique in hanc expeditionem evocabat) & cum duodecim triremibus, quas a Magno Etruriæ Duce Pontificiis ornatas & conductas stipendiis acceperat; laceratis iis, quas anno superiore Venetiis Anconam missas bene instrui nimia celeritas non siverat: Messanam convenire jubet: ibique Joannem Austriacum, summum belli Ducem, ex Hispania proficiscentem exspectare. Messanam enim, propter celeberrimi portus ac situs ad res omnes opportunitatem, socialis belli Duces, ut inibi commeatum commode compararent, ac de summa rerum consilia caperent, convenire fœderatorum Principum jussu constituerant.

[262] Ceterum Joannis tardiozem adventum, quod exacto jam fere mense Julio nondum in Italiam transiisset, Pius moleste ferens; rem ut ille maturaret, summum studium adhibuit: [Ioannes Austriacus excusata mora accessurus,] ad eumque sollicitandum, in Hispaniam crebras litteras ac nuntios misit. Ille demum sub Kalendas Augusti cum quadraginta triremium classe Genuam devectus, dum inde Neapolim properat, Ferdinandum Carrillum, Plegi Comitem, domus suæ Præfectum, ad Pontificem legat: qui quod sibi per tempus facere non liceret, sacros illius

pedes osculatus, rebusque feliciter gerendis per eum divinam opem implorans, moræ suæ causas exponeret. Causæ vero potissimum erant, quod Alvarus Bazanus, Marchio sanctæ Crucis, Neapolitanarum triremium Præfectus, ad Pinnonem Mauritanicæ arcem majore præsidio communiendam ab Rege Philippo missus, Barcinonem cum triremibus, ut illi præscriptum erat, citius redire non potuisset; & Rodulfo Ernestoque Maximiliani Cæsaris filiis, Madriti male valentibus, atque in Italiam una cum ipso Austriaco transire indeque in Germaniam reverti cogitantibus, præstolari oportuisset. Carrillum benigne Pius audivit, acceptaque tardioris adventus excusatione, ei graviter edixit, ut quamprimum ad Joannem reversus, eum suis verbis admoneret, ut quo parente natus esset bene memor, neque sibi neque tempori deesset: sed adversus hostem ire ne cunctaretur, divino fretus auxilio fore ut gloriosam victoriam reportaret. Idem vero Marco Antonio Columnæ, idem aliis belli Ducibus ac militibus, idem sacris viris in hanc militiam proficiscentibus, Pius disertis verbis denuntiabat.

[263] Joannes interea Neapoli ab Antonio Cardinali Granvellano, Neapolitani Regni per id tempus Prorege, honorifice acceptus, ibi in æde S. Claræ, [acceptis Neapoli sceptro & vexillo,] de ipsius Cardinalis manibus, inter sacrorum solennia, sceptrum vexillumque, dati honoris insignia, a Pio Pontifice missa, singulari religione ac ceremonia suscepit. Quo quidem in vexillo Jesu Christi affixi cruci imago, mire auro & argento adumbrata erat: sub qua locata in medio Pontificis Maximi, a dextera Philippi Regis, a læva Senatus Veneti, atque ex iis quibusdam annexa catenulis ipsius Joannis pendebant insignia. Is vero paucis post diebus, relicto Neapoli Bazano, qui cum triginta triremibus (nam Granvellanus viginti prioribus decem adjecerat) & novem onerariis navibus milites, arma, commeatumque portaret, secundo vento cum viginti quatuor triremium classe Messanam



tenuit: ubi a Marco Antonio Columna, [tandem etiam accedit,] & Sebastiano Venerio Venetæ classis Præfecto, atque aliis Ducibus ac militibus longo desiderio exspectatus, magnaque alacritate & honore acceptus, ingentes Pontifici Maximo Venetoque Senatui gratias egit, a quibus totius belli Princeps electus esset; seque probo ac fideli animo cuncta administraturum recepit. Eodem fere tempore Marcus Quirinus & Antonius Canalis, [uti & Legati Veneti,] Venetæ classis Legati, qui Famagustanis opem Ferebant (nondum enim de capta Famagusta tristis nuntius erat allatus) ex Creta Senatus Veneti jussu revocati, Kalendis Septembris cum novem triremibus citato cursu Messanam appulere.

[264] Adsunt etiam Alvarus Bazanus Neapoli, & Panormo Joannes Cardona, Sicularum triremium Præfectus; & Joannes Andreas Auria cum undecim triremibus & novem onerariis navibus, duo millia militum sub Sigismundo Gonzaga, [aliisque Ducibus,] & tria Germanorum millia sub Alberico Lodronio ducens, Genua profectus. [Epist. 24 l. 4] Aduere & alii ex omni fere Italia, Gallia, Hispania, Germania selecti Ducibus ac milites, qui summa voluntate huic bello, quo Christianæ reipublicæ salus agebatur, Pio cohortante, ut pios Ecclesiæ filios decet, nomen dederunt: quorum plerique genere, ætate, opibusque florentes, nullam aliam laborum periculisque mercedem quærebant, nisi ut Christianæ reipublicæ prodesse, nomenque suum memorabili aliqua victoria nobilitarent. In iis præter memoratos Ducibus eminebant, Alexander Farnesius, Parmæ Princeps; Franciscus Maria Ruverius, Urbini Ducis filius, ambo summæ spei adolescentes; Pompejus Columna, Zagaroli Dux, & Prosper ejus frater; [& viri principes multi.] Paulus Jordanus Ursinus, Braciani Dux; Antonius Carafa, Dux Montisdraconis; Pompejus Lanaja; Sulmonæ Principis frater; Innocentius Cibo, Marchio Carrariæ; Ludovicus Requesensius, Major Castellæ Præceptor; Sfortia Comes Sanctæ-Floræ, &

Paulus ejus frater; Vincentius Tutavilla, Sarni Comes; Andreas Provana, Linii Comes; Bernardinus Cardenas; Ascanius Corneus, Castrorum Magister; Octavius Gonzaga, Franciscus Ibarra, Horatius & Virginius Ursini, & alii quamplurimi veterani Duces ac milites, generis nobilitate & bellica virtute insignes, quorum nomina meritaque recensere longum esset. Sed eos infra suo loco, prout res tulerit, absque personarum acceptione memorabimus. Interim Ægidius Andrada, Jerosolymitani ordinis miles egregius, e Corcyra (quo ad res hostiles explorandas cum duabus triremibus, Hispana altera, altera Veneta, ab Austriaco missus fuerat) revertitur, ac magnam Corcyrae vastitatem Turcas intulisse, atque inde se Butrotum transtulisse nuntiat: habere vero classem (ut a Græcis acceperat; nam hostem ipse non viderat, qui solum ad S. Angeli Castrum applicuit, quod in adversa Corcyrae parte, quæ Italiam respicit, situm est) numero navium trecentarum, quarum triemes centum & nonaginta, reliquæ biremes ac breviora navigia: quamquam longe major numerus erat: quippe triemes ducentas viginti, biremes triginta quinque, præter alias plurimas minores naves, Turcicam classem habere postea cognitum est. [Epist. 22, 23 lib. 4]

## CAPUT II.

Post longam disceptationem  
pugna decreta, instruitur acies.

[265] Inter hæc quoniam Pius audierat, inter ipsos belli Duces non satis convenire de pugna cum hoste conserenda aliis aliud, pro suo quisque sensu, quod e re publica esse videretur, objicientibus; Joannem Paulum Odescalcum Pinnensium Antistitem, cujus ante meminimus, Messanam misit, qui Austriaco ceterisque omnibus ediceret, pugnam non modo, si ferret occasio, non detrectandam; sed etiam quam primum exquirendam ac fortiter ineundam: victoriam enim fore Christianorum.

Odescalcus igitur ad Austriacum profectus, [Pius addicit Ioanni victoriam,] eum Pii verbis gravissime commonet, unam salutis spem in eo positam esse, si rem acie decerneret: neque occasionem tamdiu optatam negligeret. Si divinis potius quam humanis opibus fretus, hostem fortiter aggrederetur, Deum causæ suæ non defuturum; eumque læta omnia ac prospera portendere: neque vero hæc temere aut humano consilio, sed nutu instinctuque divino ac multis significationibus ductum, hæc Pium denuntiare. Nam de felici rerum successu, & in Hispania, & Venetiis, & alibi piis viris multa, ut ferebatur, enuntiata esse divinitus; idemque olim S. Isidorum Hispalensem Antistitem prævidisse, & scripto traditum reliquisse: Pio, scripti vaticinii vim sententiamque ponderanti, [ut divinitus promissam:] & quorsum id pertineret consideranti (si quid fide dignum res haberet) conjecturam iniici, omnia, quæ ea de re prædicta fuerant, in Austriaci personam cadere. Deum igitur Ducem sequeretur, magna & prospera omnia speraret: ac memor se Carolo V patre natum, bellum ita gereret, ut si domesticas laudes exuperare non posset, eas pro viribus æquaret. A Carolo parente ei quidem vitam traditam, sed regnum nullum relictum esse: a Pio cuncta, quæ ad dignitatem & ad commodum pertinerent, in eum profectura: eundem qui nomen & caritatem parentis sibi sumeret, id effecturum, ut opportune & bene cumulatam gratiam referret: id tantummodo ab eo postulari, ut se regno dignum ostenderet. Magnam Deo gratiam habendam, quod ei campum aperuisset, in quo excurrere ejus virtus cognoscique posset. Ceterum divinam opem sibi esse piis precibus implorandam: [sed petit cohiberi licentiam peccandi,] eamque affuturam, si militum animos ab effusa licentia ad sanctiora instituta revocaret, militaremque disciplinam tota classe ad Christianæ pietatis formam componeret. Mixtos ex perdita & infima hominum fece sicarios, exules, latrones, obæratos, ad nomina danda confluere: itaque purgaret ipse exercitum

missionibus flagitiosorum: in primis vero detestabiles & maxime Deo invisas blasphemias interdiceret, infames ludorum labe & desidiam, maximas peccandi illecebras, arceret; socios ac milites prohiberet injuria; denique prius adversus peccata, quibus iræ cælestes provocantur & acuuntur hostium tela, quam adversus hostes ipsos bellum sibi gerendum putaret. Hæc si fecisset, non solum milites obedientiores habiturum, sed victoriam quoque haud dubiam brevi relaturum.

[266] Hæc & id genus alia Pontificis monita tantæ fuere apud Austriacum auctoritatis ac fidei, ut has illi voces velut oraculo editas in pectus animumque demitteret, [Pugnam ultro offerendam dissuadent aliqui,] ac rei bene gerendæ majorem in spem ingrederetur. Non ignorare se dicebat, hac de se concitata exspectatione, magnum sibi onus imponi; sed quantum in se esset enisurum, ut quæ sanctus Pontifex præcepisset, summo studio ac pietate præstaret. Itaque denuo advocato concilio, cui Pontificius Internuntius, belli Duces & alii principes viri veteranique præcipui interfuere, suam singuli sententiam rogati, eamque scripto edere jussi, hostium vires diligentius explorandas prius esse, quam ultimum periculum subeundum, nonnulli consulebant. In iis Ludovicus Requesensius, magnæ vir prudentiæ & auctoritatis (qui juveni Austriaco Legatus & consiliorum moderator datus erat) quæ ferro decernerentur, summo consilio administranda esse præcavebat: errori, quo temere conserto prælio summa rerum periclitaretur, haud facile remedium reperiri. Scipionem illum Africanum scite quondam admonuisse, non nisi magna opportunitate aut urgente necessitate, cum hoste confligendum: importunum videri, pugnam quærere, cum hostis intra sinum Corinthiacum se recepisset (id enim tenebat fama) neque ulla facultas eum inde eliciendi præberetur.

[267] At enim Austriaco, M. Antonio Columnæ Sebastiano Venerio, Augustino Barbadico, summis belli Ducibus, Alexandro Farnesio, [pars maior & generosior necessariam eam esse demonstrat,] Gabrieli Sorbellono, Ascanio Corneo, atque aliis, plerisque magnis viris militarique virtute præcellentibus, longe alia mens erat: & quamprimum fieri posset, rem prælio decernendam esse firmis rationibus demonstrabant: nec committendum, ut consilium, quod animorum magnitudo gloriosum ac fortunatum facere posset, pugnae detrectatio fœdum atque irritum redderet. Ergo jacturam apparatus, tanto sumptu ac labore facti, vastationem finium, hostium insolentiam, nostra, inquiunt, augebit ignavia? inulti nos Turcæ toties lacescent? ostentabimus semper hosti, neque unquam inferemus arma? repellimus bellum, non inferimus. Tanto igitur promptius alacriusque prælium ineundum est, quanto necessitas major arcentis periculum, quam inferentis esse debet. Neque vero dubium est, quin hostis ingenita superbia ac victoriis elatus, occurrentibus nobis, classem sit educturus, ac pugnae copiam factururus. At si nulla alia ratio, dignitas ipsa nos ad prælium impellat. An mediocre discrimen existimationis nos subituros putatis, si inani apparatu contenti, ne levi quidem tentata pugna, ac ne viso quidem hoste, cum summa nostra Christianique nominis ignominia domum redeamus? Hostes tacitam hanc sibi optabilem cedentium deliberationem pro expressa victoria læti jactabunt: fœderati Principes & alii, qui animos & vires in hanc belli curam intenderant, se spe sua frustratos, ac nequidquam tot impensis ac laboribus fatigatos jure conquerentur: populi se injuria tributis exhaustos condolebunt: in proximum annum major validiorque hostium classis nobis imminebit, quæ majus nobis belli negotium facessat omniaque prosternat: nos vero classem aut majorem aut validiorem numquam comparabimus. Quid igitur cunctamur? aut cur non Deo duce, ejusque in terris Vicario Pio Pontifice fausta ac

prospera omnia divino instinctu pollicente, summisque votis ac viribus una cum sociis Principibus in id conspirante, hoc prælium inimus, quod non modo utile, sed etiam valde necessarium videatur?

[268] Hæc & alia in hanc sententiam summi Duces, quæ ceteris quoque & manu promptis & consilio præstantibus trierarchis & commilitonibus probabantur: [cui cum accederent ceteri,] sed complures, rei militaris alioqui scientissimi & auctoritate graves, rerum caussis & rationibus omissis, una Pii auctoritate contenti, prælium haud differendum suadebant. Cunctis denique in hanc sententiam discedentibus, tanta spes lætitiæ animos incesset, ut quidquid intercederet temporis, id victoriam e manibus eripere videretur. Itaque statim indicto tridui jejunio, decernuntur supplicationes, quæ in Natalem diem festum Beatissimæ Virginis Dei Matris inciderunt: omnesque per sacram confessionem elutis peccatorum maculis, cælesti pane se communiunt, nacti amplissima Apostolicæ indulgentiæ præmia, quibus Pius ornabat eos, qui rite expiati nomen in hanc expeditionem darent. Non pauci inter se discordes, [omnibus pie & religiose præparatis,] condonatis injuriis, ex inimicis amici facti, pacatas & ad communem rem bene administrandam conspirantes voluntates præse ferre: mira pro cujusque ingenio toto exercitu, & publice & privatim, religio esse: Pontificis judicio ex variis religiosis Ordinibus delecti & in hanc militiam dati Sacerdotes, piis cohortationibus atque aliis caritatis officiis obeundis, omnes in Christiana disciplina continere. Itaque videres alios ex præscriptis libellis, alios ex calculis in coronam insertis, sacras ad Deum ejusque Genitricem Virginem Sanctissimam preces fundere, opemque divinam supplices implorare: omnes piacularibus granis, & cereis Agni Dei imaginibus, quarum rerum ingentem vim Pius eo miserat, iisque singulos milites donari jusserat, tamquam firmis tegumentis communiri: pro certo habentes, si quid gravius

illis incidisset, se in cælestes sedes excessuros: probro erat, tota mente pietatis officiis non se dedere: ea fuit apud omnes Pii Pontificis auctoritas & exemplum. Otiosum aut ludo intentum toto exercitu videres neminem: qui Deum Sanctosve maledictis incesseret, haud ferebat impune: nam duo apud Austriacum ejus criminis delati, laqueo suspensi pœnas dederunt: idque magnum universæ classi terrorem injecit.

[269] His rebus ita constitutis, eductam e portu classem in acies explicare atque ordinare instituunt, ac si tum cum hoste congregiendum esset: ut antequam certamen inirent, [educitur e portu classis:] suo quisque loco assueti, omnes paratiores & instructiores essent. Triremes erant ad ducentas & novem, quarum Pontificiæ duodecim, Regiæ octoginta una, Venetæ centum & octo, Sabaudicæ Ducis duæ, Reipublicæ Genuensis tres, Jerosolymitani Ordinis tres, præter sex majores Venetorum trieres, quas vocant Galeatias, quibus Franciscus Diodus vir intrepidus præerat; & viginti quatuor naves onerarias, quas Cæsar Avalus, genere & bellica virtute clarus, gubernabat. Sed is cum navibus ab Austriaco præmissus, tempestate retardatus, sociæ classis cursum tenere & navali prælio interesse non potuit. His accedebant celoces fere septuaginta, armatorum vero militum numerus erat ad viginti millia, præter remiges & operas, & item eos, qui huic militiæ ultro nomen dederant, quorum tria millia & amplius fuisse traduntur. Eo igitur, quo mox dicemus, ordine instructa acie, Internuntio Odescalco Pontificia auctoritate classiariis bene precante, XVI Kalend. Octobris ad Orientem Messana solverunt.

### CAP. III

[270] Provehebatur Christiana classis Corcyram versus, quo paulo ante magno cum incolarum damno hostes appulisse ferebantur, quatuor in partes ab Austriaco ita

distributa, ut mediam aciem, [atque in ordines distributa,] cornua duo, & subsidia constitueret. Medium agmen septuaginta & una triremium ipse ductabat Austriacus: cujus latera cingebant, dextrum Pontificia, lævum Veneta prætoria; illi Marcus Antonius Columna, huic Sebastianus Venerius, socialis belli Duces, cum potestate præerant. Dextrum cornu, quod erat quinquaginta quatuor triremium, ducebat Joannes Andreas Auria, jussus, ut antequam iniretur pugna, semper alios antecedens ad sex millia passuum in altum procederet, ac sub certamen in locum suum æqua fronte pugnaturus reveheretur. Lævum cornu, in quo erant pariter triremes quinquaginta quatuor, regendum dedit Augusto Barbadico, summo Venetæ classis Procuratori: cui Sfortia Comes Sanctæ-Floræ, regiis Italicæ nationis copiis Præfectus, adjungebatur. Postremam aciem, quæ a tergo navigans e triginta constabat triremibus, regebat Alvarus Bazanus Marchio Sanctæ Crucis, agmenque claudebat, huc & illuc opem allaturus, prout casus & incursus hostium poposcisset.

[271] Modicum intervallum mediam aciem a cornibus dividebat; subsidia suis quæque locis assignantur. [suis cuique parti attributis subsidiis,] Austriacum Ludovicus Requesensius, ejus Legatus, suis triremibus munitus sequebatur: Genuensium prætoria, in qua Alexander Farnesius Hectore Spinola Duce vehebatur, Columnam suffulciebat: Ducis Allobrogum prætoria, in qua est Urbini Princeps, Andreæ Provanæ Lini Comitis ductu, post Venerium in subsidiis constituitur: qua media acies a sinistro cornu dirimebatur, Petri Baptistæ Lumellini prætoria, quam Paulus Jordanus Ursinus regebat, subsidio futura navigabat: post cornu dextrum Petrus Justinianus, Melitensium triremium Præfectus, erat constitutus: Antonius Canalis & Marcus Quirinus, Venetæ classis Legati, lævum ille, hic dextrum cornu sequebantur: Joanni Cardonæ, decem Sicularum triremium Duci, qui in



agmine erat Auricæ cornuque dextrum ad Regiam claudebat, erat imperatum, ut cum suis triremibus ad decem millia passuum continentur præcederet, & simul atque hostilem classem prospiceret, suum in locum reiectus, classarios de rebus omnibus admoneret: suasque triremes ita divideret, ut quaternæ quidem singulas utriusque cornu prætorias, reliquæ vero duæ Imperatoriam præmunirent. Ad cornua porro singula, & ad mediam aciem binæ majores triremes remulco trahebantur.

[272] In diem autem pugnæ condixerant, ut simul ac vexillum magnum a Pio Pontifice missum ad Regiæ puppim extensum conspexissent, [& assignatio officiis in tempus pugnæ,] colligerent sese omnes, atque acies instruerent & ordinarent, agminibus ita distributis, ut unam frontem omnes objicerent hosti, tam in acie media quam in utroque cornu; ac majores triremes quisque suas ad milliarium ante navigare juberent, quæ singulæ tanto inter se intervallo disjungerentur, ut universam Christianæ classis ad quinque milliaria late patentis frontem æquarent, eique propugnaculo essent; & copiosa, quam secum devehebant, æneorum tormentorum vi primæ cum hoste congressæ, quanta possent maxima in eum inferrent damna, aciesque illius, uti fecere, disjicerent ac perturbarent. Distribuerant præterea quingentos milites, in illas majores triremes singulas, minoribus tormentis instructos, qui de operto loco tuti hostem glandium procella verberaret: erant enim ea præalta amplaque navigia, veluti munitissima propugnacula. Prætoria vero quæque, diversa ac diversis affixa locis vexilla gestabat; [citra discrimen nationum,] & quæ prætorias sequebantur, triremes cum illis ejusdem pariter coloris ferebant signa. Triremes non constipatæ, sed modico intervallo inter se distantes collocantur; ut ad emittendos tormentorum globos, ubi tempus posceret, spatium relinqueretur. Pontificiæ, Regiæ, Venetæ

triremes intermiscerentur; ut æquata omnibus commodi incommodive conditio majorem auxilii mutui curam singulis injiceret. Quin etiam inter firmas infirmæ distributæ, quæ tamquam alis meliorum protectæ hosti fortius obsisterent: sed & milites ipsi non omnes separatim per nationes, verum ad mutuam concordiam, opemque fovendam, prout opportunius videretur, tota classe distincti. Et cum nonnullæ Venetæ triremes minori, quam oporteret, militum numero viderentur instructæ; iis supplevis quatuor Hispanorum millia & mille Italici generis Austriacus tribuit.

[273] Per hunc modum instructa classis, ad aggrediendum hostem progrediens, [navigat in hostes:] per varios casus & pericula (quæ, ne longiores simus, recensere prætermittimus) VII Kalend. Octobris in Corcyram, inde in Cephalleniam pervenit. Interea cum Turcicam classem in Corinthiacum sinum se recepisse constaret, inde in Petalam Acarnaniæ portum, Echinadibus insulis (quæ nunc Curzolares appellantur) objectum, navigationem intendunt, eo consilio, ut ad fauces Corinthiaci sinus proventi, hostem ad pugnam elicerent. Sed reflantibus ventis iterum tertioque retenti, in Vallisque Alexandriæ portum, qui in Cephallenia ora situs est, reverti, donec mare conquiesceret, substiterunt, hinc nondum lenita vi ventorum ad Echinadas moventibus, lugubris de capta Famagusta, cum id nondum rescivissent, nuntius allatus est: qui non modo non fregit animos, sed ira, dolor, indignitas præliabundis tantos stimulos adjecit, ut pugnandi cupiditate ac delendæ maculæ studio vehementius exarserint.

[274] Eodem tempore Turcæ, post famam appulsæ Christianæ classis, convocato concilio, quid agendum videretur, [quorum prudentiores pugnam declinandam sentiunt,] varias in sententias distracti consultant. Mahemetes Syrochus, Alexandriæ Præses, ætate, rerum

usu, & auctoritate gravis, aliique nonnulli Turcarum primores (ut exinde nostri captivorum relatione cognoverunt) minime negligendum esse hostem dicebant, qui ultro lacessitum veniret: & classem, cui Regis Philippi frater cum florentissimis totius Christianæ reipublicæ Principibus præesset, non nisi optime instructam advenisse: neque cum stipendiariis militibus, sed cum honorariis Ducibus præliandum esse: intra sinus Corinthiaci claustra, in omni rerum copia, se tutissimos fore: quare summam rerum, nulla cogente necessitate, martis temeritati committendam non esse, cum præsertim classem infirmiore habent, suorum plurimis aut morbo consumptis, aut longa navigatione debilitatis: Christianorum vero classem, aut Ducum dissensionibus dissolvendam, aut aliqua tempestate, si his locis hoc anni tempore perstiterit, disjiciendam: igitur sedendo se plane victuros.

[275] In hac sententia erat etiam Portaus, alter summus belli Dux, rei terrestri Præfectus, vir pariter ætate gravis & bellicis artibus insignis: qui licet pugnae consilium privatim abnueret, tamen ut se culpæ exortem ostenderet, neque Selymi decreto repugnare videretur, quod hostes pugnae potestatem non facturos existimaret, in contrariam sententiam pertractus est: quæ erat Ali Bassæ collegæ sui, totius classis Præfecti, & Lucialii archipiratae, navalium certaminum peritissimi: qui turpe ducebant, [sed superat opinio plurium contraria,] semper alias victorem Turcam intra suos fines a Christiano armis provocari, magnamque ignominia notam Turcico nomini ex ignavia & metu, si pugnam detrectassent, inuri. Nec se de victoria quidquam dubitare: nam & numero navium, & militum robore, atque ex multis secundis præliis comparata experientia, se omnino præstare. Denique satis superque compertum habere, quid valeat navali prælio Christianus: quem olim Solimanus Selymi parens, aliique Turcarum Reges ac Duces sæpe feliciter

debellassent. Itaque secundissimorum praeliorum memores, forti & alacri animo in hostem incurrerent, quidquid esset Christianarum virium uno certamine profligaturi: nam hanc unam victoriam adeptos, perpetuo terra marique victores fore. Sed nulla re magis ad id sentiendum movebantur, quam quod Tyranni Selymi, omnino praeliandum esse iubentis, voluntatem exploratam haberent; eamque pro oraculo ducerent, ac meminissent, anno superiore Pialim, Turcicæ classis Ducem, eo quod Christianam classem non profligasset, loco motum, Selymi gratiam ac dignitatem amisisse. Pugnandi consilium adjuvabat Caracossa archipirata, vir acerrimus bellorumque navalium scientissimus: qui ad explorandas Christianorum vires profectus, sex nostrorum majores triremes, gravitate fere immobiles, nulli usui futuras retulerat: reliquas vero, agili & nautico instrumento aptas, centum sexaginta numerum non explere (quod eas bene dinumerare non potuisset) per errorem confirmaverat. Hac igitur approbata sententia, Turcarum Duces triremes novo remigum delectu firmant; easque majore militum numero, quos ex proximis Achaicæ, Ætolicæ & Peloponnesi præsiidiis collegerant, tumultuose suppleant, ac se totis viribus ad pugnam comparant.

### CAPUT III.

Navale praelium, & victoria de Turcis reportata.

### CAP. IV

[276] Interea nostri de hostium apparatu certiores facti, pridie Nonas Octobris, hora tertia noctis, favente cælo ac luna, e Cephalenia movent: ac postera die, quæ dies erat Dominica, ad Echinadas insulas prima luce devecti, [VII Octobris,] Joannem Cardonam cum octo triremibus ad portus naturam perspiciendum emittunt. Subinde classis ad aequandum sensim progrediebatur ad amnem Acheloum, qui Ætoliam ab Acarnania dividens, late

tortuosus in mare devolvitur. Præcedebant dextri cornu triremes, quæ prætoriam Auricæ sequebantur: qui ut primum ex illis insulis evehi cœpit, sub alteram lucis horam, Turcicam classem circiter quindecim millia passuum distantem prospectans, id continuo significavit Austriaco: qui etiam ex Regia trireme, albescente cælo, adventantem hostem prospexerat. [Christiani] Neque inde triremes admodum accelerandas esse ratus, ne qua illis in aciem dirigendis confusio nasceretur, [Indulgentia Pontificia promulgata,] culparum Indulgentiam, quam universis depugnantibus pro potestate Pius liberalissime concesserat, jubet promulgari, pugnæ signum extolli, & omnes se ad dimicandum comparare. Sacerdotes a Pontifice missi, triremes omnes obibant, militum errata brevem per confessionem expiantes; Christique de cruce pendentis effigies per naves circumferentes, præclare hortabantur omnes, uti bono essent animo; nec dubitarent, Christum Deum, pro cujus sanctissimo nomine dimicaturi essent, e cælo ipsis opem allaturum.

[277] Mox Austriacus cum in celocem descendisset, idemque Columnam & Requesensium facere mandavisset, illum ad sinistram, hunc ad dextrum cornu circumspiciendum, [militibusque animatis,] classariosque ad pugnam adhortandos emisit: ipse vero mediam aciem circumvectus, suum quemque locum tenere jussit, atque omnium animos ad certamen pie ac fortiter ineundum optimis rationibus acuebat. Nam præclare cum illis agi putandum, sive superessent, sive mortem oppeterent: superstites quidem, quod sibi tam felici certamini interesse contigisset: demortui vero, quod pro Christi nomine Christianæque Reipublicæ salute fortiter occumbentes, se per amplissimam peccatorum expiationem cum beatissimis mentibus feliciter consociare potuissent. Neque vero esse de victoria dubitandum: præsertim tam sancto Pontifice pro ipsis apud Deum, cujus res ageretur, intercedente. Ad hæc

autem respondebant milites, ne quidquam de illorum virtute dubitaret, facturos se quod fortes viros deceret. Columna quoque & Venerius aliique Duces optime confirmabant suos: nec quidquam eorum omittebant, quæ adipiscendæ victoriæ opportuna fore viderentur: quæ res ingentem Austriaco lætitiâ attulerunt. Quo ad Imperatoriam suam reverso, tympanis, tubis, & id genus aliis instrumentis magis etiam erecti & accensi sunt militum animi; altaque voce Deus omnipotens, Trinus & Unus, invocatus est; & ipsa quoque sanctissima Virgo Christi mater, ut quæ plurimum possit apud filium suum (quod illis præscripserat Pius) reverenter salutata.

[278] His igitur cum humanis tum divinis munita præsiidiis Christiana classis procedebat in hostem: qui nostros prospectans, e vestigio se ipse quoque ad pugnam accingens, in hunc modum acies instruxerat. [cum hoste, ultro progrediente ad pugnam] Medio agmine, quod nonaginta sex fere cum triremibus tum biremibus constabat, Alis & Portaus summi Duces procedebant: dextrum cornu, quo sexaginta sex triremes vehebantur, regebant Syrochus, Cauraliusque archipiratæ: sinistrum vero, nonaginta quinque cum triremibus tum biremibus constans numero, ductabat Lucialius: a quo non nihil remotæ duodecim triremes remigabant, biremes vero triginta, quibus præerat Amurates Dragutes: alia minora navigia cogeant agmen: Caracossa magno cum leviorum navigiorum numero alios antecedebat. His omnibus archipiratæ plurimi, iidemque fortissimi, qui luminum insignia præferebant, adjutores accesserant. Constabat Turcica classis triremibus ducentis & octo, quadraginta & septem biremibus, præter alia multa minora navigia. Jam vero hostes, [& Christianos contemnente,] inflatis animis ac velis propius advecti sinuosa fronte in modum semiplenæ lunæ acie compositi, mare latius occupabant: quippe qui Christianos prius adversos, mox eos prætervecti, aversos etiam aggredi, atque ita

perstringere cogitarent, ut ne unum quidem eorum effugere navigium posset. Nam quoniam Christiana classis diversis erat subjecta Principibus, putabant fore ut capta fuga sibi consuleret: præteritisque victoriis elati, nihil minus quam nostros superiores fore existimabant: minorem enim credebant classem Christianorum, quam re vera esset.

[279] Itaque ad pugnam sese expediunt: pollicentur Duces militi gratiam sui Tyranni spoliaque amplissima. [signa conferunt & primam aciem tormentis suis perturbant,] Mox præliabundi, disploso magno tormento, conserendæ manus signum edidere: quibus pari signo nostri respondere, pugnam nihil detrectantes: eaque prælii denuntiatio eodem tormentorum strepitu, iterum ac tertio, ultro citroque repetita est. Collatis inde signis, principio sex illas majores triremes, quæ nostram antecedeabant classem, Turcæ obvias habuerunt: quæ multis ac validis tormentorum ictibus eminus eos percutientes, illos varias in partes fusos dispulerunt; eorumque acies ita perturbarunt, ut ingentem suorum stragem intuentes, timore correpti, ordines servare non possent. Quæ res Turcis eo magis improvisa fuit ac terribilis, quod nulla tormenta in ejusmodi triremium lateribus disposita esse, speculatores retulissent: neque ipsi se ad id genus certaminis, antea numquam visi, præparare potuissent: sed id ut initium calamitatis illis attulit, ita maximo nostris adjumento ad victoriam fuit. Affulsere hoc loco Christianis nonnulla præsentis auxilii divini, eorumque conatus feliciter provehenti, [favente vento, sole ac fumo usi.] indicia non obscura. Primum ventus, qui in eam usque horam faverat Turcis, reflavit illico, mareque prorsus conquievit; & omnem se ad prælium componendi, & in pugna consistendi sustulit difficultatem. Dein sol, qui nostris adversus incurrebat in oculos, prospectumque impediēbat, transmissa media cæli regione, radiis suis hostium offendebat obtutum;

simulque aura quædam ab occasu leniter spirans, fumum, quem tot tormentorum excitabant tonitrua, a nostris in Turcas deferebat.

[280] At vero Turcæ, collectis animis ac viribus, pergebant, & magnas illas triremes vi penetrare conabantur. Sed adeo male tum accepti sunt a nostris, ut bona pars classis eorum disjecta fractaque fluctuaret. [Hac clade a primis triremibus edita] Nam quo minus possent hostes ictus illos celeri cursu devitare, a vento mox non nihil aucto retardabantur: qui etiam fumo omni in illos adacto, fere omnem eis videndi facultatem adimebat. Audiebant tunc nostri fragores magnos, ruinasque malorum & triremium, Turcarumque pereuntium stridorem inauditum. Videbant non paucas illorum triremes flammis absumi; alias amissis gubernatoribus subsistere; plurimorum cadavera, remos, antennas, vasa, diversi generis arma, ferri super aquas. Et hæc quidem a solis illis magnis triremibus perpetrabantur. Sed hostes quamvis distractam multis locis classem suam perturbatosque ordines viderent, [utraque classis miscetur in pugnam.] tamen furoris quodam œstro perciti, majoresque naves nostras prætervecti, non deseruerunt sese. Itaque mox prætoricæ triremesque fere omnes ita confligere, ut non jam missilibus aut tormentis eminus, sed gladiis prope collato pede præliarentur. Nam & proræ inter se junctæ hærebant, & naves in arcto sic erant constipatæ, vix ut telum ullum in mare vanum intercideret: & cum alii in aliorum triremes insilirent, ac ferreis malleis, militaribus sicis, pugionibus, aliisque varii generis armis inter se confligerent, tantus fusus cruor est, ut mare sanguineum esse atque ex frequentibus tormentorum ignibus ardere videretur.

[281] Ducibus ac militibus tam atroci prælio dimicantibus, jam totis classibus pugna conserta erat. Sinistri cornu sociorum triremes, [Sinistrum cornu, dum læso Venetorum



Præfecto] quæ vergebant ad Acarnaniam, acriter primæ conflixerunt: graveque & longum certamen sustinuerunt. Sed Præfecti Barbadici præstantia, ac reliquorum præterea Venetorum Ducum ac militum virtus sic enituit, ut ex ea parte victores primum evaserint. At Barbadico, non minus egregii militis quam fortissimi Ducis partes implenti, ancipitique prælio strenue dimicanti, conjecta sagitta, lævo effosso oculo, caput trajecit; ipseque præceps cadens, inter manus ablatum est: sed extrahi sagittam noluit, donec pugnatum esset: quod illa extracta, præ dolore se illico moriturum cognosceret, optaretque se victoriæ lætitiæ fruentem emori. Absoluto certamine cum victores Christianos fuisse intelligeret, e capite sagittam elici passus, gaudio plenus, elatis in cælum manibus, immortales Deo gratias agens, vir singulari pietate, consilio, eloquentia, ac militari virtute clarus, æternaque memoria dignus e vita excessit. Tanti Ducis casum sensit utraque acies: nam Turcis in turbatam Duce amisso prætoriam impigre transilientibus, [fortiter alii Duces succurrunt,] actum de illa foret, ni Federicus Nanius & Silvius Portius citato cursu hosti se fortiter objecissent: horum subsidio factum, ut semicapta triremis reciperetur; & atrociori prælio nostri in hostium triremes irruentes, cæso Turcarum robore, mixta cum dolore lætitiæ eas obtinerent. Non aliorum vero magis in hoc cornu pugnantium virtus enituit, quam Joannis Contareni, Sfortiæ Comitis Sanctæ Floræ, Jo. Baptistæ Benedicti Cyprii, Marci Quirini, Antonii Canalis, & Marci Ciconiæ: quorum fortissimorum Ducum non minus quam & aliorum singulari ardore dimicantium robore, [initium victoria facit:] fractis hostibus, eorumque Ducibus Syrocho, Caracossa, & aliis multiplici vulnere confectis, inde Christianis affulgere victoria cœpit: sicuti mox etiam evenit in acie media, ubi Imperatores nostri cunctis sese pugnæ periculis invictis animis objiciebant; hostemque gladio ferire, ac clypeis & thoracibus, quibus insigniter muniti erant, telorum hostilium ictus cominus eminusque

excipere, tanto vitæ contemptu, non formidabant, ut mortem ultro pro communi salute appetere viderentur.

[282] Hoc enim loco inter summos utriusque classis Duces atrocius certamen exarsit: [ex media acie in Alim Bassam invectus Austriacus,] hic pars firmior triremium, hic militantium robora constiterant. Austriacus in Ali Bassæ regiam invectus ad proram, ab eo gravissimi certaminis impetum sustinuit: ceteris Turcarum triremibus passim suis opem ferentibus, seque tam pertinaciter defendentibus, ut Hispani vulneribus affecti, gravi cum periculo cædeque mutua identidem repellerentur. Interea Columna, [aliis contra alios fortiter pugnantibus,] cum triremem, quacum diu admirabili contentione dimicaverat, in potestatem redegisset; aliasque vicinas, velut tempestas, pari virtute disjecisset; quacumque pergeret magnam hostium faciebat stragem, ac demum in Turcarum regiam sese insinuavit. Pontificia vero triremis, cui præerat Honoratus Caëtanus, cum insigni Archipirata Caracossa fortissime congregiens, eum oppugnavit. Sed is postea in Joannis Baptistæ Benedicti Cyprii triremem incidens, cum illo prælians interficitur: quem dum Cyprius exanguem armis expoliat, immisso ab hoste eminus spiculo & ipse transfigitur. Ex altera parte Venerius, alioqui senex septuaginta septem annis major, eximia virtute cum hoste congressus, [& ab accurrentibus ad ejus periculum Ducibus Venetis] victor discesserat: acceptumque vulnus in crure tam diu dissimulavit, donec hostes essent deleti: idque sic ultus est, ut prætoriam sibi infestam ceperit atque depresserit: animadversoque periculo, in quo versabatur Austriacus, a puppi Alim aggredi constituit; si terga cæderet, fore sperans, ut anticipiti dimicatione distractus vinceretur. Prætoriam eo dirigente, Portaus alter summus belli Dux cum triremium globo tam celeriter sese objicit, ut cum in fronte se ostendisset, mox in latera pugnam verteret. At Venerius, cujus virtute res Veneta nitebatur, suos verbis & factis

itidem confirmans, pugnantibusque se immiscens, optimi Ducis & strenui militis munera non omittit. Pluribus hinc inde peremptis, acrius Turcæ pedem inferunt. Ducibus ac militibus nostris non animus, non virtus deerat: sed multitudine pressi cessissent loco, [strenue adjutus,] ni Joannes Lauretanus & Catharinus Maripetrus, Veneti trierarchæ militari fortitudine conspicui, periclitantibus succurrissent: qui dum aliquamdiu procedente pugna, pari certamine strenue dimicando hostes profligant, glandibus transfixi cecidere.

[283] His Ducibus amissis, nostri non dejiciunt animos: sed majore ira succensi vehementius in hostes irrumpunt, aliosque trucidant, alios vulnerant, alios propellunt. Paulo Jordano Ursino duas triremes fortiter oppugnanti, gravique in discrimine versanti, præsto fuit Comes Sanctæ-Floræ, cui bene dimicanti brachium duplici glande transfigitur: [post magnam utrimque cædem,] ejusque ope cæsis hostibus, triremes ipsæ fractæ deprimuntur. Ursinus & ipse in crure saucius, Pontificiorum militum robore munitus, in Portaï Bassæ prætoriam invehitur: triremique potitus eum fuga elapsam non invenit: nam ille, ut in Christianos victoriam inclinare prospexit, clam e sua prætoria scapha exceptus, abjectis dignitatis insignibus, evaserat. Tanti fuga Ducis, ut Turcis adimere, ita nostris adjicere animos visa est. Tandem Austriacus & Columna, aliorum Ducum ac militum viribus suffulti, [& Alim extinctum] cum Ali per tres fere horas acerrime dimicantes, singulari virtute hostium Regiam superarunt, Turcis quamplurimis contrucidatis. Ali, dissiliente ligni fragmento ex adacta pila de triremi Pontificia, cui præerat Alfonsus Appianus, summum caput effringitur, duplicique vulnere transfoditur. Exanguis detrahi spolia, caput abscindi, idque in hasta suffixum extolli Austriacus imperavit: Turcarumque vexillis depressis, ac signo Crucis erecto, captam hostium Imperatoriam post Regiam suam agebat remulco,

Victoriam conclamans. [prætoria Turcica potitus victoriam conclamat:] Interfecti hostium Imperatoris cognitum os, & vincentium Christianorum clamor illico totis classibus exauditus, ac præcipue salutare Christi signum in hostili prætoria elatum, & nostros alacriores ad victoriam perficiendam fecit, & Turcarum ardorem adeo restinxit, ut capta fuga plerique sibi consulerent. Nec fere jam cædendis, sed colligandis hostibus, spoliisque capiendis victores operam dabant. Multi capti, plures cæsi proceres Turcæ militesque præcipui: non pauci in mare dedere se præcipites, ut vel aquis obruerentur, vel ad continentem enatarent. Complures substitere mortem deprecantes, tum quod evadendi deesset facultas, tum quod de Christianorum clementia bene sperarent. Sed quæ in subsidiis erant triremes, acriter & ipsæ dimicantes, egregie se quoque præstiterunt. Nam & Bazanus & Requesensius, & Cardona, & Linus, alique præterea Duces, [quam promovent mancipia Christiana ruptis vinculis suis:] ut quæque pars premi aut laborare videbatur, pro communi fide, quam omnibus debebant, auxilia impigre submittere: ipsique strenue dimicantes, ad victoriam non mediocrem opem contulerunt. Eodem tempore, qui ex Christianis in vinculis apud Turcas durissimam servitutem patiebantur, cum nostros vincere sensissent, alii catenas confringere, alii soluti vinctos solvere, omnesque raptim captis armis ingentem cædem facere.

[284] Dum hostes in acie media, ac sinistro cornu strenue cæduntur, in dextro nostrorum cornu minus feliciter pugnatur. Ibi duo clarissimi ac veterani Duces ex utraque acie inter se adversi constiterant. [in dextro cornu cunctante Auria,] Joannes Andreas Auria atque Lucialius, ambo strenui & inter se notissimi, quod eadem littora sæpius obiissent. Sed Auria certaminis initio, decem aut duodecim triremibus instructus, in altum se subduxit; sive quod triremes, in quibus dignitatis suæ summa

periclitabatur, in discrimen non adducere caute statuisset; seu veritus, ne hostis, qui multitudine navigiorum longe erat superior, cornu latius extenderet, Christianamque aciem circumveniret: id enim potissimum Lucialius agebat, ut nostrorum aciem cingeret, Auriamque a latere prætervectus, ad puppim cum illo congrederetur. Sed id consilii ab Auria fuit anteversum: licet in mare se latius extenderit, seriusque pugnam commiserit: hinc varias subiit reprehensiones, plerisque suspicantibus eum in fugam dare se voluisse. Sed illum alii vindicabant a culpa, quod arte cautus artem eludere studuisset. Quoquo modo se res haberet, graviter hoc loco percussæ sunt complures Christianorum triremes, [inclinat ad Turcas victoria capta prætoria Melitensi,] in primisque prætoria Melitensis: nam Lucialius nostrorum triremes, quæ ab Auria se disjunxerant, nulloque ordine & incerto imperio mari ferebantur, conspicatus, eas incredibili celeritate continenti triremium agmine circumsepsit: easque aggressus, cæsis propugnatoribus, ferocissime percussit. In hac pugna Jerosolymitani Ordinis milites; quibus est quasi naturale bellum cum Turcis, ad quinquaginta; & S. Stephani equites Florentini complures, Venetique aliquot trierarchæ, atque alii non pauci fortissime dimicantes, cecidere.

[285] Prætoria Melitensis acriter cum Lucialio congressa, tandem in ejus venit potestatem: sed mox a nostris recepta est; [sed ab alibi victoribus restauratur pugna,] Petro Justiniano, strenuo Duce, saucio e Turcarum faucibus erepto: gravioremque plagam hostes intulissent, nisi Auria, mox Austriacus, Columna, Venerius, Bazanus, & Cardona, conspecto periculo, celeriter suppetias attulissent, hostemque profligassent. Quos cum Lucialius appropinquantes, & Auriam triremes in se obvertentem conspexisset, virtuteque nostrorum mediam aciem ac dextrum cornu cæsum superatumque fuisse cognovisset, metu ardorem pugnae remisit: ac relictis quas ceperat

triremibus, quam citatissimo potuit agmine in fugam se coniecit. Eum nostri, cum sex aut septem navigiis ad promontorium vela facientem, insectati, reliquas Turcicas triremes, quæ erant ad triginta ad litus allidere compulerunt; easque omnes una dempta remulco extractas, sed inanes, & male multatas receperunt; Lucialio velocissime, ut diximus, effugiente: qui cum semifractis aliquot navigiis, quæ triginta ferme esse ferebantur, Methonem versus, dein Constantinopolim properavit, ut ereptum Melitensibus vexillum captamque triremem, fortitudinis suæ signa, [& hac quoque parte vincuntur barbari.] Selymo præsentaret: eum vero, quod jam advesperasset, remigesque fractis viribus defatigati essent, nostri persequi nequiverunt. Hostibus igitur maxima ex parte cæsis, compluribus in vincula, reliquis paucis in fugam coniectis, integra nomini Christiano victoria stetit. Qua peracta, nostri, collectis triremibus ac spoliis, in portum se receperunt. Mox sæva exorta tempestate, marique vehementer perturbato, ne in portu naufragium facerent, nihilque inde læderentur, qui victoriam dedit, Deus incolumes protexit. Spectaculum visu fœdum, miserandum, ac terribile omnino erat, cæsorum hominum corpora, cruentatique maris fœditatem, arma simul & confractarum triremium partes undique fluctuantes circumspicere; ipsaque cadaverum supernatantium multitudine remorum pulsum præpediri.

[286] Erat in Regia Christiana, præter alios, delecta quadringentorum Hispanorum militum manus, qui sub tabulatis, [magna militum ac Ducum virtute,] ad longioris pugnæ casus & ad ultimum discrimen, reservabantur. Ii nutum Austriaci ad consurgendum expectantes, ut primum ex condicto editum surgendi signum audire, integri vigentesque ex improvise exorti, fessis nostris atque extremo in periculo versantibus successerunt: sublatoque clamore in lassos hostes strictis gladiis impressionem fecerunt. Hæc inexpectata acies,

improvisaue procella primo confudit, turbavitque barbaros; mox vasta strage cecidit. Austriacum Hispani complures proceres viri, consilio manuque prompti, præliando circumstabant. In iis Ludovicus Requesensius, ejus legatus; Bernardinus Cardenas, qui fortiter dimicans mortem oppetiit; Lupus Figueroa, castrorum Magister; Michael Moncada, Petrus Padilia, & alii plerique viri summo loco nati: qui strenue pugnantes egregiæ virtutis specimen ediderunt. In prætoria vero Pontificia, præter fortissimorum militum cohortem, florentem Romanorum procerum globum Columna secum habebat: [quorum præcipui enumerantur;] in iis erant Pompejus Columna, Zagaroli Dux, quem illi Pontifex legatum adjunxerat, & Prosper ejus frater; Troilus Sabellus, Vincentius Vitellius, & alii: quorum virtus, consilium, impigraque opera hoc bello spectata inprimis est: ex iis vero Horatius & Virginius Ursini, & Horatius Carafa, strenue dimicantes, invictis animis occubuerunt. Sed hoc prælio egregia virtus etiam eluxit Parmæ & Urbini Principum, Lini Sabaudiensis prætoricæ Ducis, Francisci Diodi majorum tiremium præfecti, & Ascanii Cornei. Nec iis in hoste cædendo inferiores fuere, Gabriel Sorbellonus, & Pompejus Specianus, Mediolanenses, & alii genere & bellica virtute insignes. Paulus vero Gislerius, Pii Pontificis consanguineus, in hoste proterendo nemini secundus, strenue dimicans vulnus in faciem accepit, tirememque sibi infestam, cæsis hostibus, aliorum ope devictam in potestatem redegit. Michael quoque Bonellus, Pontificis ex sorore nepos, impiger adolescens, acriter pugnans hostes cædebat. Denique omnes, & Pontificiæ, & Regiæ, & Venetæ classis sive Duces, sive milites tam egregie se gesserunt, ut ope divina ingens ille Turcarum exercitus totus fusus, ad internicionem cæsus captusve fuerit.

[287] Hunc igitur dies ille memorabilisque conflictus, hora cæptus meridiana, felicem exitum consecutus est: atque tam brevi temporis intervallo, [& evidentiori Dei faventis

auxilio] videlicet quatuor circiter horarum spatio, placuit Deo, maximam omnium quæ in mari post hominum memoriam extiterint, victoriam dare Christianis: quæ res eo fuit admirabilior, quo nostri & militum & navigatorum numero erant hostibus inferiores. Et sane perspicere nemo non potuit, id factum esse divinitus: nam ut omittamus id, quod de commutatione venti supra memoravimus, tam ingentem classem, tam longam navigationem, ea anni tempestate, ita brevi temporis intervallo conficere potuisse; egressum fuisse hostem ad Christianos lacessendos, cum alioqui domi suæ tutus esse posset; animadversione plane dignum videtur. Sed piratam, [nec sine aliquo utrimque errore in bonum Christianorum converso,] qui ad Christianam classem explorandam venerat, falso retulisse, ad LX triremes nostras retrorsum navigationem intendisse; sicuti Christianis quoque fuerat renuntiatum, e Turcarum classe totidem rostratas naves ad Orientem recessisse; id effecit, ut progredi signaque conferre mutuo, sed nostris fausto errore, decepti utrimque non dubitarint. Divino præterea consilio factum, ut bene mane hostem eo loci nostri prospectarent: nam & eis fuit otium sese ad pugnam instruendi perficiendique victoriam, & natura loci, quantam maximam optare potuissent, rei bene gerendæ præbuit facultatem.

[288] Sinus ille Jonii maris ad Naupactum, ubi res gesta est, theatri speciem præbens intuentibus, [quibus locus quoque ac tempus favit] in circuitu patet amplius ducentis quinquaginta millibus, oris ad viginti quinque millia passuum inter se distantibus. Ab ortu solis ora, Peloponnesi & Ætoliæ montibus cingitur; a meridie Zacinthum insulam, ab occasu Cephaleniam, & Leucadem respicit. Qua in orientem spectat, mille fere passus procul a continenti, tres eminent scopuli, nunc Corzulares insulæ, Echinadæ olim appellabantur; sive quod præacuti illi scopuli spinosi echini formam referant, sive quod ibi



echinus piscis (utrumque enim verum est) copiose a piscatoribus capiatur. Sed nomen antea fere ignotum & obscurum celebris hæc victoria nobilitavit. Ceterum victores, duces ac milites, ad Petalam portum recepti, inter se mirifice gratulantur: alter alterius egregia facinora meritis extollunt laudibus, omnesque singulari lætitia supinas manus ad cælum tendentes, [sed potissimum Pii preces profuere.] Omnipotenti Deo rerum bene gestarum auctori summas laudes, & quam maximas possunt gratias agunt, qui se tantæ victoriæ compotes fecisset, eamque Pii obsecrationibus ac pietati secundum Deum acceptam referentes, quæ liberi parentibus debent, ea se illi debere profitentur. Mox ad eum & ad alios Principes de rebus gestis nuntios cum litteris decernunt. Ad Pontificem Austriacus Ferdinandum Carillum, Plegi Comitem; Columna vero, Prosperum affinem ac gentilem suum, & Maturinum Romagassium Jerosolymitani Ordinis Militem insignem, cum vexillo hostium Ducibus erepto legaverunt. Interea vero nostri curandis sauciis, prædæ dividendæ, reficiendisque viribus intenti, per aliquot dies adversis fluctibus impediti in illis portibus substiterunt.

## CAP. V

[289] Cæsa feruntur eo die triginta fere hostium millia. Nobiliores duces & trierarchæ omnes, pars cæsi, [Cæsis 30 millibus Turcorum capti 3486.] pars capti sunt, præter Portaum Bassam ejusque filium, & Lucialium; quibuscum alii pauci, ut diximus, fugam arripuerunt. Recensendis captivis, qui vivi in potestatem nostrorum venerunt, in partitione quidem prædæ tria millia quadringenti & octoginta sex inventi sunt: sed multo plures privatim occultati, qui in communem sortem non venerunt. Inter alios complures primarios duces ac milites, capti sunt duo filii Alis Bassæ, ex Selymi sorore suscepti, Amathes decem & octo, alter tredecim annos natus, Mahemetes

appellatus. Ad quindecim millia Christianorum, quos superioribus annis barbari captivos fecerant, [liberati Christiani ad 15 millia,] sunt in libertatem vindicata. Ex nostris, censu habito, septem millia quingenti sexaginta sex desiderati sunt: & eorum magna pars Veneti: quatuor namque millia & quingenti ex iis pugnantes cecidere: in quibus complures clari viri Ducesque fortissimi; [cæsi 7500 Veneti plerique] ut, præter Augustinum Barbadicum, & alios quos supra memoravimus, Benedictus Superantius, Vincentius Quirinus, Joannes Lauretanus, Hieronymus & Marinus Contareni, Georgius & Andreas Barbadici, M. Antonius Landus, Antonius Pasqualicus, Franciscus Bonus, Hieronymus Venerius, & alii, quos recensere longum esset.

[290] Ejusdem vero casus gloriæque participes fuere nonnulli ex sociis civitatibus triremium Præfecti, [& alii illustres viri] clari nominis; ut Joannes Baptista Benedictus, Cyprius; Andreas Calergus, Cretensis; Antonius Eudemontius, Cydonensis; Hieronymus Bysantius, Ascriviensis; Jacobus Metius, Dalmata; & Jacobus Trissinus, Vicentinus; qui omnes, singulari fortitudine ad extremum usque spiritum dimicantes, e vivis excessere. Sed hos ac ceteros, qui in nostrorum classe mortem obiere, non tam vis hostium perculit, quam ille pro quo pugnabant sibi pigneratus est Christus: credibile namque est, qui prius Catholico ritu expiati, ac culpis omnibus soluti, tunc vero in Deum intuentes, vitam pro illius gloria profuderunt, eos eodem tempore Angelorum agmine stipatos triumphantes in cælum evolasse. [quos omnes cælo receptos est credibile.] Tanta enim belli sacri contra sanctæ Ecclesiæ hostes vis est, ut, quod ex divinis litteris tradunt auctores boni, vel parum probos, Sanctos & Dei Martyres efficiat, ubi vinci salutare, vincere vero gloriosum. Captæ sunt centum circiter & nonaginta hostium, [captæ naves 190] partim triremes, partim biremes: quarum centum & triginta erant integræ; eæque

omnes omni commeatus, pretiosæ suppellectilis, & armorum genere instructissimæ; octoginta, partim triremes, partim biremes, aut fractæ aut incensæ, [ceteris perditis aut fuga elapsis.] aut depressæ perierunt, triginta vero plus minus in fugam dissipatæ. E quadraginta triremibus honorariis, quæ quod nocturni luminis ferant signa, Græco nomine Phanones appellantur; omnes, una dempta, in Christianorum potestatem pervenerunt. Ænea tormenta majoris formæ centum & sexdecim reperta, minora vero ducenta quinquaginta sex: quæ omnia inter fœderatos, ex lege fœderis, pro rata parte divisa sunt.

#### CAPUT IV.

Victoria divinitus Pio V indicata,  
qua gratulatione celebrata.

#### CAP. IV

[291] Hoc ipso pugnae die nocteque præcedenti, Romæ Pius (quippe qui classes jam prope esse, ut congregarentur, existimaret) multo majores se in preces dedit. [Ipsa pugnae hora dum oratur Romæ.] Id ipsumque sacrorum hominum in Collegiis ac Cœnobiis, per omnes hosce dies, faciendum curavit: ubi in singulas horas Dei famuli erant distributi, ob id assidue Dominum deprecantes. Neque enim ulla magis eum premebat cura, quam felix & optatus expeditionis hujus eventus: cujus causa tot tantisque vigiliis & jejuniis, ætate alioqui devexa, sese afflictaverat; ac tot lacrymas precesque profuderat; quibus misericordiam clementiamque divinam in Christianos inclinans, meruit exaudiri. Præterea dignus est habitus, cui Deus, licet tantis locorum intervallis, in Vaticano videlicet, suis in cubiculis agenti, eadem die & hora, [Pio divinitus indicatur victoria] qua pugnatum est, victoriam divinitus indicavit. Ubi cum familiaribus suis, præsertim cum Bartholomæo Bussotto, ærarii Pontificii

Quæstore, gravibus de rebus agens; illis ex improvise relictis, fenestram aperuit; oculisque in cælum sublatis, paulisper fixus ita perstitit: ac speculam subinde claudens, cogitabundus, Bussottum intuitus: Non est, inquit, nunc tempus negotiandi. Vade ergo, & Deo Domino gratias age: nam classis nostra cum Turcica congressa hac ipsa hora victoriam retulit.

[292] Hoc ille audito, statim admirationis plenus abscessit: sed eundo respiciens, [prout ex ejus ore notavit Bussottus] Pontificem ad parvam aram jam genibus provolutum, junctis manibus Deo grates agentem vidit. Id vero Bussotto licet mirum videretur, tamen præter domesticos ac si dos amicos, cum aliquo rem communicare noluit: veritus, ne, si minus verum foret visum, de Pontificis existimatione quidquam detraheretur. Domum igitur profectus, certo libro ejus rei memoriam, diem, horamque notavit. Cum porro certus de victoria nuntius esset allatus, nullus de visionis ejus dictique veritate dubitandi sibi relictus est locus: idque multis proinde Cardinalibus atque aliis principibus viris ipse Bartholomæus enarravit, Pontifice præsertim vita functo. Cardinalis quoque Cæsius, se ad Pontificem tunc statim introisse, eumque in genua procumbentem & orantem vidisse, testabatur. Neque ita multo post, nempe XII Kal. Novembris, de re bene gesta, [visi veritatem comprobante nuntio Venetiis misso.] Pius per nuntium Venetiis profectum certior factus est: cum Ferdinandus Carillus, & alii ab Austriaco Columnaque ad Pontificem legati, reflantibus ventis præpediti, Romam citius pervenire non potuissent. Ferunt Pium sæpius demiratum, quod sibi res serius, quam tempus posceret, enuntiaretur: quippe qui de felici rerum eventu nihil dubitaret.

[292] Hoc igitur nuntio intempesta nocte Pius accepto, e lectulo statim exiliens, [quo accepto ille supplicationes indicit,] atque ad domesticum sacellum accurrens,

singularis lætitiæ, parisque pietatis, & gratiarum actionis indices voces supplex obtulit Deo, rerum bene gestarum auctori: ac Palatinos & familiares suos omnes evigilare jussos, ad eandem gratiarum actionem excitavit. Orta vero luce, cunctis Patribus ad eum gratulationis causa venerabundis pariter ac lætabundis convolantibus, hilarissimeque exceptis, & communicata utrimque lætitia; iis atque aliis quamplurimis comitatus, inde quantas maximas potuit, in S. Petri Basilica, ut par erat, Deo gratias egit: publicasque ac celebres supplicationes indixit & obiit: atque per omnes parochias, qui tam præclaro bello mortem oppetierant, rite justa persolvi, & eorum egregia facinora virtutesque publicis orationibus concelebrari curavit. Quin etiam ut tantum divinæ clementiæ beneficium, qua par erat pietate, Christianus populus perpetuo coleret, ad honorem Dei ejusque sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ (cujus potissimum precibus & auxilio tantam se victoriam adeptum esse profitebatur) instituit, [victoriam annue commemorati jubet.] ut deinceps in perpetuum Nonis Octobris, Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria in Ecclesia Catholica pie recoleretur: ut hoc videlicet eximio divinæ benignitatis monumento posterorum animi, ad agendas Deo ejusque parenti gratias excitati, in eam spem erigerentur, posse nostræ religionis hostes (modo in unum Christianorum sensus viresque conveniant) omnino vinci, profligari, delerique; præsertim si non tam in armis, quam in ope divina (uti tunc factum est) spes reponatur, peccatorumque sordibus elutis, puræ ad Deum preces effundantur, atque Genitricis ejus Mariæ subsidium sedulis votis imploretur.

## CAP. VII

[294] Sub idem tempus Romanorum Imperator Augustus ac ceteri Christiani Principes, tam felicem ac singularem rerum eventum Pio per litteras & nuntios gratulati,

[Secuta ingens ubique gratulatio Pio victoriam adscribentium,] illi secundum Deum tam insignem victoriam acceptam retulerunt. Mox ubique gentium pervulgatur fama, divino consilio factum, ut ejus Pontificatus in ea incidisset tempora, quibus Ecclesia Dei, Turcarum Christianos divexantium viribus afflicta, hoc opportuno subsidio vehementer indigebat: ac Pontificis operam usque adeo summo Deo gratam fuisse, ut ea satis extitisset ad sacrosanctam Principum societatem conciliandam, & ut talis tantæque victoriæ ipse princeps esset & auctor: qua de re tum soluta tum vincita numeris oratione, a cunctis ferme præclari ingenii viris inscriptiones & elogia passim edita, & tribus nobilioribus linguis ad ejus rei memoriam sempiternam ubique terrarum pervulgata.

[295] Ceterum Selymus, sua amissa classe furore percitus, ut qui in regno erant suo Christiani omnes interimarentur, edixit: quod tamen Deus avertit, tyranno per Mahometum ejus consiliarium ex ea mente deducto. [nec minor consternatio apud Turcas] Id nempe si fieret, fore ut non solum Turcæ omnes qui apud Christianos essent, eodem modo perimerentur; verum Galliaë quoque Rex, hac immanitate perspecta, veteri pace nihili pensa, una cum ceteris Christianis Principibus in Turcicum Imperium excidendum conspiraret. Illud vero satis constitit, per idem tempus Constantinopoli, timore perterritos publice Turcas excessisse, & in Asiam confugientes eo res plurimas comportasse: omnes porro, qui Christum olim abnegaverant, apud Turcas transfuge, pari formidine correptos, jam perfidiam suam purgasse, seque [professos] oretenus non ex animo Christum egerasse, itaque abjiciendi Turcicam superstitionem & ad Christianam disciplinam redeundi tempus advenisse. Quamobrem ipsi Turcæ, [velut si jam jam excindendum foret eorum imperium:] terrore percussi amentibusque similes, sese Christianis submittentem, dictitabant: Cum in

vestra potestate fuerimus, nostri, quæsumus, vos misericordia teneat. Is videlicet hostium animos pavor invaserat, eoque existimationis venerant Christianorum arma, propter celebrem hujus victoriæ Pontificisque virtutis famam, & eam quam de ipsius precationum vi conceperant opinionem sanctitatis.

[296] Timorem Turcis augebant e cælo ostensa prodigia, [quod etiam cælitus præmonstravi videbatur signis variis] quæ Ottomanici imperii excidium portendere videbantur. Nam Constantinopoli supra Moscheam (quod olim S. Sophiæ nomine Deo dicatum insigne templum fuit) tres lucentissimas Cruces, ignea specie, puro claroque æthere apparuisse, fama percrebuerat: easque a barbaris pluribus sagittis petitas numquam lædi potuisse: verum celeri motu sese in sublime attollentes, vanos irritosque ictus reddidisse. In ipso quoque navalis pugnæ conflictu, Christum Redemptorem nostrum, & Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, Angelorum agmine stipatos, strictis gladiis Turcis minitantes, in sublimi aëre constitisse. Id vero Turcæ ipsi, ut ajunt, eo prælio capti se conspexisse testabantur: quod etiam indicat ipsius prælii affabre adumbrata pictura, quæ in Vaticano in aula Regia conspicitur, subjectis hisce inscriptionibus; [de quibus aliquid innuit titulus in Vaticano positus.] quarum altera id innuere videtur. Classes oppositæ, Turcarum una, Christianæ societatis altera, inter Pium V Pontificem Maximum Hispaniarum Regem, Venetam Rempublicam inito jam fœdere, ingentibus utrimque animis concurrunt. Altera vero sic legitur. Hostes perpetui Christianæ Religionis Turcæ, diuturno victoriarum successu exultantes, sibique temere præfidentes, militibus, Ducibus, tormentis, omni denique bellico apparatu ad terrorem instructi, ad Echinadas insulas, a communi classe, prælio post hominum memoriam maximo, perspicua divini Spiritus ope, profligantur. His autem ostentis Christiani imperii prolationem ac Turcarum

exitium portendi, hostes quidem formidabant: sed tamen (sive Christianorum Principum, dissidiis ne dicam, an desidia? sive nostris peccatis id emerentibus) neque id factum adhuc videre meruimus, neque barbarorum cæcitas, ad lucem veritatis, vel signis e cælo missis, amplectendam commovetur.

[297] At vero, ut ad victricem classem redeamus, victores Duces, classis viribus instauratis, [quia tamen e victoribus vix 6000 supererant integri] concilium advocant, & quid agendum, consultant. Alii hostilis regni caput Byzantium petendum, alii Naupactæum sinum & oras, alii alias expeditiones aggrediendas, ac dum victoribus calerent animi, hostesque timor occuparet, bellum fortiter proseguendum suadebant. At cum remigibus fere spoliatae triremes essent, militumque bona pars vulnerati, plerique decederent, alii decumberent; & qui pugnare possent, vix sex millia superessent; & copiarum, quas præsidio relinqui oporteret, & commeatus laborarent inopia; tum vel maxime, quod præcipitaret autumnus, hiemsque procellas minaretur; in hiberna redire constituerunt: eo tamen consilio, ut vere novo, statim in altum prodirent, & conjunctis armis ad infestandos intimos hostium fines, aperto liberoque mari progredirentur. [in vernum tempus differtur bellum terra marique gerendum.] Interim vero terra Maximilianus Cæsar in Pannonia viginti peditum, equitum vero quatuor millibus, quæ illi fœderati Principes, ut diximus, offerebant, bene suffultus, bello Selymum urget: & Sarmatæ, Moschovitæ, Persæ, Tartari, aliæque Turcis finitimæ gentes, ad proximas provincias bello petendas evocati, concurrerent: ut terra marique undique circumvallatum, quod Pius moliebatur, Ottomanicum everteretur Imperium. His igitur constitutis, Austriacus cum regia classe Messanam, inde Neapolim, summis honoribus exceptus concessit; Venetus intra portus suos continuit sese; Columna triumphans Romam contendit.



## CAP. VIII

[298] Et quoniam virtuti honos & victoriae, triumphus debetur, praesertim cum illud quondam in more & instituto Senatus Populique Romani positum esset, [Pro triumpho quem reduci Columnæ parabant Romani,] ut Imperatoribus suis, post devictos hostes ad Urbem redeuntibus, triumphum decernerent, illosque honorificentius exciperent; Columnæ Romam appropinquanti, hanc honoris & communis lætitiæ significationem, pro victoriae magnitudine, Romani dari constituerant. Quod genus spectaculi per multa secula Romæ numquam visi, dum summa pompa eximiisque sumptibus publice curatur; ecce id minus expedire, statim Pio refertur: tum quod id honoris uni Austriaco, summo classis Imperatori, deferri par esse videretur; tum etiam ne Marcus Antonius inde majorem in invidiam apud æmulos suos, [permissum dumtaxat a Pio ut honorifice excipiatur:] ut contigit, adduceretur. At vero Pius, etsi eum unice diligebat, summoque honore dignum existimabat, tamen ne minorem potestatem majori æquare videretur, ut moderata illum pompa cohonestarent, populo permisit: quod si Urbem ingrederetur Austriacus, majores se illi honores habiturum. Romanorum tamen studia quin Columnæ ingressum triumphali honore, & omnium ordinum celeberrimo concursu celebrarent, cohiberi non potuere. Itaque ad XVII Kal. Januarias Capena porta Urbem ineunti, & Pontificis propinqui, & Magistratus, & alii præterea summi viri, Pontificiæque custodiæ equites obviam prodire, atque honorifice salutatum equo ornatissimo insidentem magnifice deduxere; porta, qua invectus est, sumptuosius exornata.

[299] Ad eam erexerant magna trophæa duo, ad quæ nonnulli captivi religati cernebantur: supra portam vero hoc positum erat elogium. [prout factum insigni pompa.]

**Marco Antonio Columnæ, Pontificiæ classis Præfecto, & de Apostolica Sede, sociorumque salute, ac Populi Romani dignitate optime merito, S. P. Q. R. Complures porro aliæ passim, præsertim ad veteres arcus, eruditæ & honorificæ legebantur inscriptiones; quibus & partæ victoriæ magnitudo, & Pontificis & tanti Ducis laudes paucis memorabantur. Ubi vero duci pompa cœpta est, ducenti circiter captivi composito ordine, Pontificiæ familiæ vestitu præcedebant: alia porro centum septuaginta mancipia proxime disposita sequebantur, hostiumque spolia hinc inde elata pulcherrimum triumphis spectaculum præbebant. Pontificiæ custodiæ equitibus, inde Magistratibus ordine dispositis, graviter incedentibus; socialis fœderis vexillum, aliaque signa militaria præferabantur. Columnæ latera cingebant Hieronymus & Michael fratres Bonelli, Pontificis propinqui. Ad Romanum forum progressis obvia fuit urbana militia, in septemdecim distributa cohortes: quæ decore instructa, post captivos incedens, egregiam spectantibus referebat speciem pompamque perficiebat.**

**[300] Hoc ordine ad Capitolium, inde ad Vaticanum processerunt: [post quam captivos suos Pio obtulit Columna,] ibi Pius Pontifex, plurimis Cardinalibus aliisque summis viris inspectantibus, ad deosculandos sacros pedes summittentem se Columnam sustulit, amantissimeque complexus est. Ille de more Ducum, rebus ab se gestis breviter expositis, statim productos captivos in potestatem Pio tradidit. In iis erat Alis minor filius: nam etsi uterque perinde, ac si Principum Christianorum liberi essent, commode ac liberaliter habitus fuerat; tamen major ex ægritudine, quæ eum somno privaverat & inedia confecerat, Neapoli jam excesserat e vivis. Captivos vero Pius, partim in domicilio ad id præparato, partim in Adriani mole sub custodia condi, ac sumptu publico tam humaniter haberi voluit, ut hospitem potius quam hostium loco esse viderentur.**

**Gratum inde Pius Columnæ se præbuit: [donatam sibi ab eo pecuniam impendit in dotem pauperum puellarum,] eumque non modo honorificis extulit verbis, sed copiosa quoque pecunia donavit. At Columnæ animus, omni auro præcellentior, id non ad privatum suum, sed ad publicum referens commodum, eam pecuniam in pauperes puellas collocandas erogavit. Ad ceterorum vero indigentium tenuitatem sublevandam, publicæ hujus lætitiæ causa Pius alias pecunias large distribuit.**

**[301] Curatum deinde est, in Capitolino Aræcæli templo, [columnam que ex argento rostra tam dedicat D. Virgini,] magna ceremonia sacrosanctum Missæ sacrificium, pro gratiis agendis divinæ majestati: cui rei complures sacri Præsules, & Marcus Antonius ipse, & alii quam plurimi Romani Proceres interfuere. Ubi sacris rite peractis, posteaquam de summa Pontificis virtute, de præstantia fortissimorum Ducum & militum, ac de insigni parta victoria, Marcus Antonius Muretus, egregius illius temporis orator, luculenta oratione peroravit; argenteam columellam, rostratarum navium figuris ex argento expressis ornatam, [sereno ad miraculum cælo.] B. Virgini Deiparæ, ejusdem ædis patronæ, Columna singulari pietate dedicavit. His autem habendis celebritatibus, tam benigna favit cæli clementia, ut post hominum memoriam, per autumnum aut hiemem, fere nulla felicior vel augustior unquam fuisse diceretur. Nam sudo & temperato cælo, rosæ flores, novellique fructus de arboribus, non modo in Urbe, sed alibi quoque per Italiam, præter consuetudinem pendebant; ut aspectantibus ubique essent admirationi, ac de tam felici rerum successu cuncta exultare viderentur.**

## **CAP. IX**

**[302] Partam victoriam Pius, ad reprimendos superbos Turcarum animos, eorumque vires imminuendas valde**

prodesse; [Pius de prosequenda victoria sollicitus] ad Ottomanicumque regnum evertendum, magnum inde Christianis aditum aperiri, non ignorabat. Sed cum etiam probe intelligeret, non satis esse vincere, nisi victoria quoque uti victores scirent; ne tam opportuna e manibus laberetur occasio, omnem, ut ajunt, lapidem movendum esse existimavit: nam si Turcis ad suas reparandas vires tempus daretur, eos majori instaurata classe reversuros, & acceptam cladem ardentius vindicatueros. Hoc igitur ne magno Christianæ Reipublicæ damno parique dedecore contingeret, [non solum Christianos Principes ad sociale bellum] sed potius ut tantæ vitoricæ fructus quam uberrimos colligere, sævissimique Tyranni communis hostis regnum sociis animis & armis excindere ne cunctarentur, non modo fæderatos atque alios Christiani nominis Principes, sed etiam Ethnicos & extremi prope terrarum orbis Reges, per litteras ac nuntios orabat & obtestabatur. [Epist. 4, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 15 lib. 5] Et vero, quoniam fieri plerumque solet, ut res feliciter gestæ, magnique rerum apparatus, facile multorum animos ad amicitias opesque jungendas alliciant; omni studio curavit, ut partæ vitoricæ magnitudine diligentius explicata, sociorumque animis ac viribus ostensis, reliquos Principes in eamdem belli societatem adscisceret. Itaque ad Mennam Æthiopum Regem, vulgo Pretejannem appellatum, cujus imperium in Africa Turcis finitimum longe lateque patet, quique se Christianam religionem colere profitetur; & ad Sciecum Thomam Persarum Regem & alios Orientales Principes, etsi Ethnicos, [sed etiam Reges Æthiopiæ ac Persarum invitat,] opibus tamen ac viribus potentissimos, litteras dedit amplissimis verbis, quibus magna partæ vitoricæ momenta, & Christianæ classis apparatus referens; eos tamquam perpetuos Turcici nominis hostes, ac ferme naturales cum illis inimicitias continentiaque bella gerentes, hortabatur, ut fæderatos adjuvarent, admotisque ex diversis locis exercitibus, communem

hostem ancipiti contentione percellerent. Id si fecissent, hostem, qui sæpe fines eorum occupasset, eversum iri: seque multo plura quam amisissent recuperaturos, & universo terrarum orbi salutem allaturos: idque non modo ad communis salutis summam, sed etiam ad gloriam ac felicitatem eorum pertinere, qui ubique ferme gentium regia majestate & opibus excellerent. Eas vero litteras Pius per Sebastianum Lusitanicæ Regem, qui Pontificis hortatu suas etiam illis adjunxit, missis peritis viris, ad eos perferendas curavit.

[303] Ceterum Pius complures triremes in annum insequentem diligenter instrui ornarique jussit, atque ingentem colligi pecuniarum vim, [& sumptus ac naves parat in sequentem annum.] Fidei Monte, Fœderis nomine constituto: & cum humana, tum etiam divina pro aliorum Pontificum more Apostolicæ indulgentiæ præmia concessit iis, qui vel in hanc juvandam expeditionem proficiscerentur, vel ipsi bello facultatibus suis opem ferrent. [Const. 146] His vero & aliis parem opem præstantibus, æris alieni solutionem differri jussit, litibusque supersederi. Demum ita multa sunt, quæ de hoc sacro bello feliciter gerendo sapienter constituit; ac firma sanctaque Hispanos inter & Venetos, ei promptissimis animis obsequentes, retinenda concordia procuravit; ut quamplurimis voluntariis militibus undique ad eum confluentibus, cunctisque Turcarum hostibus ad eos debellandos concitatis, si cœptis exitus respondisset, a Turcica tyrannide liberam Christianam rempublicam videremus; neque magnis, ut sæpe fit, periculis & damnis, ab hoste sævissimo nobis illatis, tantopere laboraremus.

## CAPUT V.

Pii V morbus & pius obitus.

## CAP. X

[304] Sed ut humana consilia votaue, licet pia, nescio quo divino iudicio, aliquando fallit eventus; spesque & inanes contentiones nostræ in medio cursu sepe franguntur & corruunt; ita nos iusta divinæ providentiæ ratio, [Anno 1572 mense Ianuario laborat dysuria,] cuncta sapientissime moderantis, Christianæ submissionis in officio debet continere. Inter hæc namque consilia, motusque rerum humanarum; Christianorum, ut credere fas est, tantum Pontificem diutius habere non promerentium, peccatis sic exigentibus, evenit, ut ex ardore dysuriæ (quo morbo, ut diximus, laborabat interdum) sæviante hieme, per mensem Ianuarium anno MDLXXII gravius cæperit ægrotare. Ex quo cum non nihil convaluisset, inanes Astrologorum divinationes irridebat; qui suis ducti conjecturis, de propinquo ejus interitu disserebant; solitisque laboribus intentus, parum sibi parcebat. Ineunte Martio, acerbioribus, quam soleret antea, [mense Martio renum doloribus.] renum doloribus cum angeretur, urinamque faceret putrescentem; addubitabant medici, ne exulceratos renes haberet atque vesicam, quæ calculos etiam contineret. Ipse vero nullo alio humano fretus remedio, ætate præsertim admodum ingravescente, secretas illas corporis partes ab ullo vel aspici vel tangi pro modestia sua numquam passus, medicos sibi noluit amplius adhiberi; asinino lacte, veteri suo atque usitato medicamento contentus: & quo graviore premebatur dolore, eo majorem vim ejus lactis exhausit: hinc factum ut stomachus elanguescens id concoquere non valeret.

[305] Corporis igitur viribus labentibus in dies, doloreque summopere invalescente, [Molestius æger,] quamvis eum comprimere niteretur, mirificam constantiam, patientiam ac moderationem animi præstans; suspiria quædam occulte in Christi de cruce pendentis imaginem effundebat, identidem supplex in hæc verba: Domine, adauge dolorem, dum adaugeas & patientiam. Neque

tamen adduci potuit, ut per eos sacros dies de stata ciborum abstinence quidquam remitteret: quo de genere pietatis plura suo loco infra scribemus. Die Cœnæ Dominicæ sacro, [in Cœna Domini accipit sacram Synaxim,] Cardinalis Alexandrinus, legationibus suis jam perfunctus, ei sic præcipienti cœlestem Panem administravit. Id autem agentem, & ea verba, Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam &c. de more pronuntiantem, Pius jussit insistere, & ita verba concipere, ut iis tantum fieri solet, qui sanctissimo illo Sacramento pro viatico communiuntur, paulo post e vivis excessuri. In Parasceve deinde, quæ incidit in diem pridie Nonas Aprilis, [in Parasceve Crucem adorat.] domesticam in ædiculam prope cubiculum suum, Dominicam Crucem jussit afferri, quam excalceatus maximo caritatis affectu pronus adoravit. Sed a publicis rebus audiendis cum se subduxisset, mortuus esse vulgo ferebatur. In Urbe tamen ejusmodi rerum & animorum motus, quales in extremis Pontificum ægrotationibus fieri solent, visi non sunt: quæ res optimæ ejus administrationis fuit indicio, rebus omnibus ordinate constitutis. Porro statim de illius obitu, licet inanes, per orbem terrarum nuntii dimissi.

[306] Subinde cum paululum convaluisset, sacrosancto Paschatis die, in Vaticani podium, qua in S. Petri forum respicit, [in Paschata publice benedicit populo] salutari signo populum usitato more consignaturus, pedes processit: ut eadem quoque opera vulgarem illam de obitu suo plebis opinionem inanem esse doceret. Ubi Pontificali habitu, lætam frontem præ se ferens, non ignarus se a cunctis deploratum fuisse, statam precationem alta & canora voce sic intonuit, ut qui in area media consistebant, eum exaudierint: ex quo tanta lætitia populos incessit, ut mirum id prorsus esse videretur. Verum haud ita multo post, recrudescente morbo, de rebus quarumdam vacantium Ecclesiarum providendis, aliisque de negotiis sermonem cum eo serere nonnullis

cupientibus; Mihi, inquit, alia longe graviora negotia modo sunt transigenda: subiecitque, An vero quibus dstringor, negotia parva esse putatis, cum ad extremum diem, quem appetere jam sentio, recte obeundum componendus mihi sit animus? Cereos tamen orbiculos, quos vocant Agnos Dei, [& Agnos Dei consecrat,] septimo nimirum Pontificatus sui vertente anno, solenni ritu consecrare voluit, idque non sine magna lacrymarum vi, Mox denuo errata confessus, quod illi fuit extremum, Sacerdoti, qui sibi a sacris Confessionibus erat, ut pro ea, quam illi maximam auctoritatem communicaverat, per amplissimam noxarum indulgentiam ipsum expiaret, injunxit.

## CAP. XI

[307] Undecimo porro Kal. Majas edicens, velle se eorum reliquias in terris postremum visere, quos se non multo post visurum speraret in celo: Septem, inquit, Urbis Ecclesias obire volo, [septem Urbis Ecclesias obiens.] ab sanctis illis locis ad Deum dimittendus: idque præstitit, ab æde S. Pauli ad S. Sebastiani magnam partem pedibus ingrediens: quo in itinere ut moreretur, non pauci verebantur; usque adeo videlicet afflictus erat viribusque dejectis. Neque vero fuit, qui eum ab ejusmodi consilio revocare posset. Inter alios M. Antonio Columnæ ei obviam prodeunti, atque ut sibi parcens lectica veheretur suadenti, jussit Pius, [Columnæ profectionem citam] ut primo quoque tempore Neapolim ad Joannem Austriacum, in Orientem inde cum eo atque aliis belliducibus, Turcas expugnaturus, properaret. Ad Lateranensem ædem cum pervenisset, rogatus, vellet reliquum viæ in alium diem differre, parumper hæsit, oculisque in cælum sublatis; Qui fecit, inquit, totum, ipse perficiat opus. Quæ cum Latine pronuntiasset, viribus auctus, ac meliore vultus colore cæptum iter insistens; ad gradus, sacris Christi Salvatoris nostri vestigiis



consecratos, progressus, [Anglos exules Card. Alexandrino] obortis lacrymis, infimum gradum singulari pietate ter osculatus est, quasi postremum Augusto loco honorem habiturus. Commoratus ibi paulisper est, aures præbens Anglis Catholicis, eo regno religionis causa profugis, qui sacro illius pedi osculum infixerunt: quos ipse cum humaniter accepisset, Cardinali Alexandrino jussit, eorum nomina percenseret, ut illorum posset necessitatibus subvenire: oculisque in cælum conversis, Domine, inquit, si fuerit muneris mei, vel proprium sanguinem pro eorum salute libens profundam. Eodem in itinere egentes quosdam homines, Martinumque Navarrum, virum doctrina & probitate insignem, de Toletani Archiepiscopi causa, de qua supra scripsimus, cum eo disserentem audivit.

[308] Vesperi domum reversus, non prius quam duodecim supplices libellos perlegisset, [& sacrum fœdus ac celerem successoris creationem commendat.] sedens quievit. Demum curato corpore, accitoeque ad se Cardinali Alexandrino, sacrum ei fœdus commendavit; & ut quantum in ipso esset, novi Pontificis electionem primo quoque tempore maturandam deinceps procuraret, admonuit: quando magnum numerum haberet Cardinalium, quos ipse in eum ordinem cooptaverat. Qua quidem admonitione proinde motus Alexandrinus perfecit, ut novi creatio Pontificis (is Gregorius Tertiusdecimus fuit appellatus, & Ecclesiam Dei sapientissime gubernavit) conclavi vix dum clauso, conficeretur: idque potissimum ne fœderis rationes perturbarentur. Cujus quidem fœderis, ac Dei in primis ope fretus, subinde dicebat Pius, minori duorum annorum spatio post victoriam sperare se, fore ut Ottomanicæ gentis imperium nomenque deleretur, vel certe plurimum imminueretur:angebaturque animo non posse se, vel sanguinis detrimento sui, tot provincias, quas perfidus Turcarum tyrannus per vim occupaverat, a Christianis

receptas intueri, atque inde eam quam cupiebat capere lætitiā: verum se res eo loci, tam egregieque compositas relinquere, ut successori difficile haud quaquam foret, cuncta inītæ societatis ope recuperare.

## CAP. XII

[309] His vero peractis, septem Psalmos, ad salutarem pœnitentiā accommodatos, sibi prælegi mandavit; [Lectis 7 Psalmis] legenti præcipiens, id faceret alta voce, ad singulos versus paululum subsistens, quo melius ipse posset divinos illos sensus meditando degustare. Itidemque sibi sæpius Evangelicam Dominicæ Passionis legi iussit historiam: & ubi sanctissimum Jesu nomen audiret, [& Passione] ob reverentiā pileolo manum intendebat: quem si per corporis imbecillitatem attingere non posset, manu pium mentis sensum indicabat. Quarto ante obitum die rem divinam facere, atque ita divinis sese præsidiis magis communire, Deoque postremum se in odorem suavitatis hostiam offerre cogitabat: sed viribus destitutus, cum id non posset, interfuit sacrificanti, ac cœlestem Eucharistiæ cibum summa pietate suscepit. Pridie vero quam obiret, per Episcopum Signiæ, Pontificio sacrario præpositum, sacram, quam sæpius efflagitaverat, postremo sibi iussit Unctionem adhiberi; [extrema suscipit Sacramenta.] quinquaginta dies & amplius acerbissimos dolores toleranter passus, citraque ullam seu vultus seu animi perturbationem identidem in genua procumbens, supplexque Deum tum pro se tum pro sancta ejus Ecclesia enixe deprecans, ac de morte verba faciens, quam sub ipsum ægrotationis initium imminere sibi præenserat: ac licet morbo doloribusque tam diu graviter conflictatus, nullam tamen unquam vocem aut verbum, minus se ipso dignum, emisit.

[310] Morienti aderant Michael Bonellus Alexandrinus, Hieronymus Rusticucius, Felix Perettus cognomento

**Montaltus, Antonius Carafa, [interque adstantium] Julius Aquaviva, aliquando etiam Paulus Aretius Placentiæ Episcopus: quos omnes ipse creaverat Cardinales, ac præterea Seraphinus Caballus, Generalis Dominicanorum Magister; omnes, ut quam felicissime mortem obiret, procurantes. Paulo vero ante quam efflaret animam, ingenitæ modestiæ suæ non immemor, intimam laneam subuculam, quam, uti dicemus, cuti proximam semper induere consueverat, ad humeros retortam, brachiorumque partem nudam se habere comperiens; modicis, [& suas preces,] quæ sibi supererant, viribus ipsemet eam nitens extendere, corporis nuda contextit. Deinde manus Crucis in modum conformavit, & intermortuis vocibus pronuntians hos versus: Quæsumus auctor omnium, in hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu, tuum defende populum; absque alio motu, Deo placidissime reddidit spiritum, Kalend. Maji, sub vesperum, anno post Christum natum MDLXXII, ætatis vero suæ octavo & sexagesimo, [obit 1 Maji an. ætatis 68.] cum Pontificatum sanctissime administrasset annos sex, menses tres, dies quatuor & viginti. Tanti Pontificis jacturam portendere atque deplorare visa sunt etiam elementa, & terræmotus certis ditionis Pontificiæ locis, fremitus illuvionesque fiuviorum. Hoc anno IV Idus Februarias Romanæ arcis arborem fulmen excussit, [prout portenta varia præsignare visa,] Angeli marmorei alam effringens, ipsaque arbor ignem ita concepit ut totam noctem deflagarit. Sacra turris S. Petri in Vaticano, icta fulmine, magnam partem excisa est. Hæc & id generis alia signa, quamvis naturalia sint, neque certa Pontificum futuræ mortis aut rerum immutandarum indicia; hoc tamen divinæ providentiæ fere solenne esse observant etiam pii & docti viri, ut insignes rerum humanarum clades, qualis fuit tanti Christianorum parentis amissio, formidolosis antea signis denuntiare aliquando soleat.**

## CAP. XIII

[311] Mox de illius obitu, ut antea incerti, ita postea certi quoquo versus nuntii dimittuntur: [maxima cum tristitia Christianonorum,] atque inde tum in Urbe tum foris, pii viri bonique omnes, tanti Pontificis ac sanctissimi Pastoris sui discessum ferre quam dolentissime: ut verum illud esse constaret, quod nonnullis Pontificatus initio mærentibus prædixerat, futurum, ut majorem ex obitu ejus, quam ex dignitate suscepta dolorem homines caperent. Collacrymans Joannes Austriacus, Joanni Paulo Odescalco nec multo post ad eum misso, mortuo Pio, parentem suum mortuum esse dicebat; neque sperare se deinceps unquam boni quidpiam effecturum. Demum communis omnium erat sententia atque vox, multis ab hinc saeculis Christianam rempublicam cladem majorem nullam accepisse, tanti viri facta jactura. Sed ut vere Christiani piique omnes dolore & ingemiscere; ita contra impiæ ac perfidæ gentes Christianique nominis hostes ingentem præ se ferre lætitiā; certo credentes, bellicos ejus apparatus omnes perturbatos & irritos fore. Selymus admirabiles dies festos egit Constantinopoli: Mahometes Bassa, primus ejus dynasta, cui per exploratorem Epidaurium clam id erat allatum, Aquensium Exepiscopo, cujus ante meminimus, Galliæ Regis apud Turcam Oratori, [& exultatione Turcarum,] nullum Ottomanam domum accipere posse nuntium hoc ipso feliciorum testabatur: ac Turcas Pii preces extimuisse magis, quam universa simul arma Christianorum: enimvero preces ejus Deo pergratas videri: neque aliunde classis suæ jacturam profectam esse. Hæc omnia deinde retulit idem Orator Jacobo Malatestæ, Marchioni Roncofredi, per eos dies Constantinopoli apud ipsum diversanti.

[312] Hic autem æstate superiore in Turcicam expeditionem missus a Pio, cum a Venetis præfectus esset Epiro, [quam retulerunt oculati testes,] contigit, ut

Turcarum veniret in potestatem: itaque ad Selymum in vinculis perductus est, in ejusque redemptionem Pius tria millia, & quingentos nummos aureos contulerat: atque, ut Carolus Gallorum Rex eum dono sibi dari postularet, effecit. E turri porro Euxini ponti, eo tempore, quo Pius decesserat, tandem ille vinculis exemptus, per tres dies sub vesperam Constantinopoli ingentia dari publicæ lætitiæ signa prospexit; ignibus, accensis facibus, æneorum tormentorum bombo atque clamoribus, Turcico de more, cuncta replentibus: iisdemque diebus, præ gaudio tam optati nuntii, pueros procedere supplicantes. Nova res, & apud ipsos, ex quo regnum obtinent, ante numquam visa. Ceterum Pio vita functo, sacri fœderis conatus & consilia in pejus ruere cœperunt: inter fœderatos Principes repente multiplex exorta diffidentia est: [cum quo & sacrum fœdus elanguit.] mox denique, Venetis cum Turca pacem facientibus, disjuncta societas: ac tantam victoriam reportasse ferme nihil aliud profuit, quam vinci posse Turcam, ostendisse. Verum si susceptum bellum fœderati prosequi voluissent, opes Pontificiæ, nec invalidæ, satis erant in promptu: nam in ærario decies centena millia nummum aureorum Pius reliquit, ac quingenta præterea millia in nominibus, post tres inde menses exigenda: tredecim vero millia in ejus cubiculo sunt inventa, quæ tenebat ipse manu sua in pauperes eroganda: centena porro millia in manibus habebat Guilielmus Sangalettus, intimus Quæstor ærarius.

## CAPUT VI.

### Pii sepultura, & translatio.

## CAP. XIV

[313] Iusta fuit statura, gravi, permodesto, ac pleno sanctitatis aspectu: [Defuncti forma & statura describitur,] idque vel oculorum præ se ferebat obtutu. Macie præditus, rubro & albescente colore, oblonga

facie, oculis subcæruleis, naso admodum adunco, promissa barba, & in Pontificatu tota jam canescente; calvo capite; calido ac sicco temperamento. Hinc valebat memoria, & quos semel de facie jam diu cognovisset, eos facile omnes agnoscebat: atque ditionum suarum omnium rationes & statum regnorumque negotia tam perfecte didicit, ut primo Pontificatus anno ea omnia mente ac cognitione comprehenderit. Defuncti corpus medici exenteraverunt, tresque in vesica nigros calculos planioris formæ, singulos ponderis dimidiæ uncia, inter seque non absimiles invenerunt. Lotum deinde, novisque vestimentis ad sepulturam decore ornatum, Theodosius Florentius & Justinianus Orfinus, intimi cubicularii, [corpus in æde S. Petri quadriduo prostat venerandum] vesperi, lacrymarum pleni, majorem in ædiculam sacri Palatii detulerunt. Inde vero in S. Petri ædem deportatum, non solum populus Romanus, qui eum diu deploravit, invisit, omnibus cujusvis ordinis osculatum illius pedes certatim confluentibus; sed omnes fere ex circumjectæ regionis finibus per eos quatuor dies, quibus inibi fuit, ad eum venerabundi convenere frequentissimi: aliqui precationum coronis corpus ipsum attingere, alii lacinias illi præcidere, alii de mento pilos evellere, religionis causa sibi asservandos, nitebantur: parumque abfuit, quin carnem ejus quoque convellerent. Quæ quidem caro eorum testimonio qui illam attrectarunt exanimem, mollis erat & flexibilis, vividique coloris, instar corporis viventis: quod nec contemnendum sanctitatis indicium esse solet.

[314] Jam vero ne corpus ex eo concursu aliquo modo læderetur, necesse fuit militum ei custodiam adhiberi: ob idque in sacello S. Thomæ repositum est, unde pes ejus ex ferrea crate prominens præbebatur ad osculum multitudini, quæ nihilominus calceorum ei soleas excidit. Et sane mirum, vestimenta resque illius omnes piis viris quam magnæ essent venerationi. Laneam subuculam, qua quidem amictus est mortuus, Dominicanorum summus

**Antistes enixe precatus obtinuit: [vestes Principibus petentibus mittuntur,] eamque uti decebat ornatam, ad Sebastianum Lusitaniæ Regem, Pii Pontificis summe studiosum, dono perferendam curavit. Pileolos vero, calceos, & alia ejusdem generis magnis precibus efflagitarunt alii Principes viri; quos rebus ejusmodi donavit Cardinalis Alexandrinus. Quin etiam ab ipsis Christiani nominis hostibus similis fere Pii memoriæ exhibita veneratio est. Cum enim Cauralius Turca, inter alios captivos vir primarius, vinculis esset exolutus; [impudicæ mulierculæ eo viso convertuntur,] effigiem Pii ad Selymum perferendam ab eodem Cardinali postulavit, ac cum ea voti compos Constantinopolim versus dimissus est. Per eos dies impudicæ quædam mulierculæ, quæ sub hoc Pontifice turpitudinis suæ meritas aliquando pœnas dederant, ad ejus corpus spectandum lætabundæ processerant: ratæ videlicet, effractis timoris quasi repagulis, ad explendas cupiditates suas liberum aditum apertum esse; sed illud conspiciatæ, repente consilium immutaverunt; atque ipsæ quoque sacros ejus pedes osculatæ, errata sua lacrymis execrari cœperunt. Mox vero in S. Andreae sacello, parvo in tumulo ad tempus extracto conditum fuit; ubi elogium affixum erat ejusmodi. Pius V Pontifex, [cadaver temporaneæ sepulturæ datum,] religionis ac pudicitiae vindex, recti & justii assertor, morum & disciplinæ restitutor, Christianæ rei defensor, salutaribus editis legibus, Gallia conservata, Principibus foedere junctis, parta de Turcis victoria, ingentibus ausis & factis, pacis bellique gloria, Maximus, Pius, Felix, Optimus Princeps.**

## **CAP. XV**

**[315] Anno deinde a partu Virginis MDLXXXVIII, V Idus Januarii, Sixtus V Pontifex maximus, eximio ac plane pontificia magnificentia digno apparatu, [anno 1588] e S. Petri in Exquilinam S. Mariæ Majoris basilicam, Pii corpus**

transferendum curavit. [transfertur ad S. Mariam Majorem,] Videlicet e sacello non insigni admodum structura, in splendidissimum atque ornatissimum, & e lateritio ad tempusque extracto, ad marmoreum ac perpetuum sepulcrum, ab se una cum ipso sacello magnifice exædificatum, præclarisque operibus affabre expolitum: ubi sacratissimum illud ipsum, Salvatoris nostri de virgine nascentis tactu consecratum, Præsepe colitur, ob idque sacellum ad Præsepe nuncupatur. Sunt autem in eo sacello monumenta duo, & ea quidem amplissima atque ornatissima. Quod in sinistro latere est, id sibi Sixtus Pontifex; [ibique in sacello ad Præsepe conditur,] alterum vero ad dextram, Pio V posuit. Hoc in medio cernitur egregia ipsius Pii Pontificis effigies, e lucidissimo marmore, ornatu Pontificio de more sedens, habetque infra pedes elogia duo; unum in hæc verba: Pio V Pontifici Maximo ex ordine Prædicatorum, Sixtus V Pontifex Maximus ex ordine Minorum, grati animi monumentum posuit. [cum hisce elogiis,] Alterum illi subjungitur his verbis: Pius V, gente Gisleria Boschi in Liguria natus, Theologus eximius, a Paulo III in Insubria hæreticæ pravitatis Inquisitor, a Julio III sanctæ Inquisitionis officii Commissarius generalis, a Paulo IV Episcopus Sutrinus, deinde S. R. E Tit. S. Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis, & a Pio IV Ecclesiæ Montis-regalis in Subalpinis administrator factus; eo vita functo, summo Cardinalium consensu Pontifex Maximus creatur: qui veteres sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagavit, Ecclesiasticam disciplinam restituit; tandem gestarum rerum gloria clarus, dum majora molitur, totius Christianæ Reipublicæ damno nobis eripitur, Kalendis Maji, MDLXXII, Pontificatus anno VII, ætatis suæ LXVIII.

[316] Ornatur præterea Pii sepulcrum binis grandioris formæ marmoreis simulacris; [& aliis ornamentis, læctorumque expressione,] hinc quidem S. Dominici Confessoris, inde vero S. Petri Martyris, in suo cujusque



hemicyclo collocatis, aliisque multis undique nitet imaginibus, affabre incisis in marmore, quæ præcipua quædam acta Pii Pontificis ob oculos ponunt. In primis vero nobilis apparatus, pompaque exprimitur, cum Pontifex creatus solemnî ritu coronatur: a dextera vero ejus cernitur, cum Marcum Antonium Columnam classis Pontificiæ Præfectum constituit. Pugnæ item navalis designatio, & Christianæ classis contra Turcas ad Echinadas bene pugnantis descriptio, pulcherrimis pariter expressa figuris apparet: [præsertim victoriæ de Turcis relata.] quæ brevi hoc narratur elogio: Selymum Turcarum Tyrannum, multis insolentem victoriis, ingenti parata classe Cyproque expugnata Christianis extrema minitantem, Pius V, fœdere cum Philippo II Hispaniarum Rege, ac Republica Veneta inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas, hostibus trigesies mille cæsis, decies mille in potestatem redactis, triremibus centum octoginta captis, nonaginta demersis, quindecim mille Christianis a servitute liberatis, [alterisque de Hugonottis.] precibus & armis devicit. Ad sinistram vero figuris item exprimitur, cum Sfortiam Sanctæ-Floræ Comitem, Pontificii auxiliarii exercitus Ducem declarat contra perduelles, Caroli Noni Galliæ Regis Ecclesiæque hostes. Ibidemque imago cernitur prælii & victoriæ, quæ, eo ipso Sfortia Duce, in Gallia de hæreticis reportata est; habetque incisam inscriptionem hanc: Galliam, Carolo IX Rege, perduellium hæreticorumque nefariis armis vexatam, ut de Regno deque Religione actum videretur, Pius Quintus, Sfortiæ Comitis Sanctæ-Floræ ductu, missis equitum peditumque auxiliaribus copiis, periculo exemit: hostibusque deletis, victoriam reportavit: Regi Regnum cum Religione restituit: signa de hostibus capta ad Lateranensem Basilicam suspendit.

[317] Ceterum hæc Pii corporis translatio, magna celebritate & concursu, summaque omnium pietate &

religione habita est. [Populus qui ad translationem multus confluit,] Et sane jucundum æque ac pietatis plenum spectaculum erat cernere sacros ac laicos Proceres, Clerum Urbis fere universum, urbanos Magistratus atque alios quamplurimos, suo quemque loco, atque ordine procedentes: hos quidem orantes silentio, alios vero pio concentu sacros versus, antiphonas, & psalmos decantantes. Undique præterea e vicis, ex omniforo, ex officinis domibusque incredibilem fieri concursum sexus utriusque hominum, tum spectantium, tum sacram processionem comitantium, sanctique Pontificis memoriam recolentium. Qui, corpore in basilicam quo deportabatur illato, ferme ad punctum temporis ædem ipsam, alioqui magnam & amplam, compleverunt: qui vix ne ab armatis quidem militibus e feretri lateribus dimoveri poterant; cum pro multa animi erga Pium Pontificem devotione, [locum frequentat:] omnes ipsum feretrum amplecti, osculari, aut manu saltem aut precationum coronis attingere gestirent. Collucebant in ea translatione accensæ faces quamplurimæ, quæ manibus gestabantur. Postera luce, quæ dies Dominica fuit, etiamsi corpus in sepulturam illatum esset, tanta ad basilicam S. Mariæ Majoris hominum effusio, tantusque populi concursus est factus; ut Urbs pene tota pie effusa videretur, ad recolendam Pii V Pontificis memoriam. Plenæ ubique viæ confluentium, plenum basilicæ atrium, completa ædes ipsa precantium multitudine: nemo autem erat, quin Præsepis in sacellum ingredi contenderet, ubi supplex oraret. Postridie vero ejus diei, in eodem templo, magna ceremonia, Missa pro anima Pontificis ab Antonio Cardinali Carafa celebrata est: cui Sixtus ipse, [ubi post Missam Oratio habita.] una cum Cardinalibus numero quadraginta quatuor, interfuit. Qua re perfecta, Antonius Buccapadulius, vir egregie doctus, gravem orationem habuit, & rei de qua agebatur plane accommodatam.

[318] Statuerat olim Pius, uti dicemus, corpus suum post obitum ad Boschense cœnobium asportari. [Ipse quidem mandarat se ad conventum Boschensem transferri,] Sed cum annis quindecim & amplius id numquam curatum esset; factum plane videtur non sine divino consilio, ut tanti Pontificis memoriam & ossa, non Boschum oppidum, non Alexandria in Cisalpinis, non alius denique quamvis celeberrimus in orbe locus exciperet aut conservaret, nisi una Roma: atque ibi præcipue in basilica S. Mariæ Majoris, & in sacello sacratissimis Christi Dei ac Domini nostri Natalitiis incunabulis consecrato. Ut videlicet inde, velut e frequentissimo terrarum orbis theatro, Pontificalium ejus virtutum exempla spectatissima, tum ad Dei gloriam prædicandam, tum etiam ad præclara quæque edenda facinora posterorum animos excitarent, atque omnium gentium mentes ad colendam virtutem erudirent: & qui Beatissimæ Virginis Dei Matris in omni vita fuit cultor egregius, is non nisi in ejusdem Virginis æde, urbanarum omnium ei dicatarum longe augustissima, [sed id dilatatum annis 15, donec augustius Romæ conderetur.] post obitum conquiesceret: & qui pro singulari sua modestia quaecumque sibi sepulcrum elegerat, ad humile quidem Salvatoris Præsepium, tamquam ad omnis humilitatis fontem, pro suo desiderio, at monumento pro virtutibus suis ornatissimo, conderetur: ac demum qui pii gratissimique animi significatione, Pauli Quarti Pontificis Maximi, de se ipso bene meriti, ossa honorifice transferri, honestissimoque loco, uti scribemus, reponi curaverat; eum Sixtus Quintus Summus Pontifex, quem Pius primo S. Agathæ Episcopum, deinde Cardinalem a se creatum perpetuo complexus erat, pari grati animi studio, nec dissimili pietatis officio, eximia magnificentia translatum in sepulcrum daret decentissimum. Hæc videlicet, præter alias, fuere causæ, quæ ad celeberrimam hanc curandam translationem Sixtum Pontificem impulerunt.

**APPENDIX**  
**Ordo Translationis ex Annalium**  
**Abrahami Bzovii tomo postumo.**

**Sanctissimi Domini nostri Sixti V Pontificis auctoritate & jussu, anno MDLXXXVIII, [Aperto sepulcro lateritii,] die VIII Januarii, feria VI, hora I noctis, in Basilica Vaticana S. Petri, sepulcrum lateritium Pii Papæ V beatæ memoriæ, prope S. Andreæ aram ad tempus exstructum, annis post illius obitum quindecim & amplius, dirutum apertumque est; curante imprimis Reverend. D. Guilielmo Sarpallero, utriusque Pontificis Cubiculario intimo: cui potissimum ejus Sanctitas illam curam demandavit. Apertioni demolitionique sepulcri præsentis, singulari pietatis significatione gratissimique animi officio, aderant Illustrissimi S. R. E. Cardinales novem: Alexandrinus Pii sororis filius, Senonensis, S. Severinæ, Rusticuccius, & Caraffa: hi quinque ab ipso Pio, reliqui quatuor a S. D. N. Sixto V in eum ordinem optati; Pinellus, Asculanensis, Gallus, [coram 9 Cardinalibus,] & Montaltus, ejusdem Sanctissimi Domini nostri sororis ex filia nepos: alii præterea complures, olim ipsius Pontificis defuncti familiares, quibus ille benigne fecerat. Dum demolitio fiebat, Basilicæ Vaticanæ Beneficiati & Clerici Psalmos pro mortuis recitabant, cum sua in fine uniuscujusque Psalmi Antiphona, Requiem æternam, & aliis in Officio mortuorum stans Antiphonis. E sepulcro corpus, quod intus in capsâ lignea reconditum erat, accuratissime ut fieri potuit susceptum in capsam plumbeam, recens paratam, serico velo rubro supposito, honorifice includitur his verbis: Corpus Pii Papæ V. In capsæ autem operculo erat incisa hæc inscriptio: [transponitur corpus in capsam plumbeam,] Hic reconditum est corpus beatæ memoriæ Pii Papæ V, jussu Sixti V Pontificis maximi, cum illud grati animi ergo e Basilica S Petri, ad hanc Basilicam S. Mariæ ad Præsepe, solenniter transferri, & in suo hoc sacello reponi curavit, V Idus Januarii, anno a Nativitate Domini**

**MDLXXXVIII, ab ejus autem obdormitione, quæ fuit kalendis May MDLXXII, anno XV, mense VII, die XXIX.**

**Tum in promptu fuit capsula altera de cupresso, instar sepulcri arcuati, affabre pulchreque opere artificioso facta: [quæ cupressionæ inclusa & pallio pretioso operta,] in quam illata est illa ipsa plumbea, ferreis clavis firmiter clausa. Ea autem capsula cupressea, [cooperta] pallio amplissimo Attalici operis, auro intexti, quod recens S. D. Sixtus V impense curaverat, undique longe lateque ducto, laciniis e serico grusapino nigro seu villosis undique dependentibus aurifrigiatisque, ejusdem Pontificis Pii insigniis ad singulos ejus angulos apposis, apte accommodata est in feretro. Quod mox a plerisque Canonicis qui aderant & Clericis superpellicea indutis ad mediam Basilicam delatum, loco editiori quasi in suggestu quodam collocatur: ubi tota nocte permansit, funalibus accensis certisque etiam custodibus adhibitis. Aderant præterea Dominicani Ordinis, [in media basilica tota nocte servatur,] cujus olim Pius fuerat, Fratres alii religiosi viri; qui vigilias per vicissitudines agebant, nocturna que stata pro mortuis recitabant. Apertionis autem sepulcri, & recognitionis corporis inde extracti, omnisque ejusmodi actionis tabulas publicas Magistri ceremoniarum, eo nomine vocati & rogati, confecerunt. Postero autem die, nempe V Idus Januarii: qui dies Sabbatum fuit, hora circiter XVIII, Clerus Urbis tam secularium quam regularium fere universus, & pia aliquot delecta laicorum collegia, quibus pridie ejus diei ob translationis solennitatem jam processio solennis indicta erat, in atrio & porticu ejusdem Basilicæ S. Petri, [& pulsatis antea solenniter campanis,] unde corpus efferendum erat, præsto tantæ celebritati fuerunt. Et quo frequentior populus adesset, ac solennitas quæ agenda erat significaretur, atque omnium pietas excitaretur, eo die mane quoad corpus inde elatum est, signum campanarum, ut cum solenniter pro mortuis fit, maxime**

**solenne datum est. Quæ campanarum significatio solenniter etiam facta est in Basilica S. Mariæ majoris, cum corpus e Basilica S. Petri efferri cœptum est.**

**Eo ipso die, hora demum XIX, puerorum orphanorum familia, [e Vaticano effertur II Ianuarii,] Confratrum pia collegia, & quatuor Mendicantium, ac Servitarum item, & Minimorum præterea, aliorumque Ordinum Regulares frequentissimi, suo quique loco atque ordine, procedere inceperunt, prælata una tantum cruce Basilicæ S. Marie, majoris, ad quam corpus efferebatur. Subsequebantur proxime omnes Urbis Parochi regionatim distincti: tum omnium item collegiatarum ecclesiarum ac mox Patriarchalium Basilicarum Canonici, Beneficiati & Clerici. Qui omnes pio concentu sacros Versus, Antiphonas, & Psalmos decantabant. Funalium autem collucentium ardentiumque copia magna feretrum anteibat: quæ funalia portabant partim ipsi pueri orphani, partim alii qui in hospitali domo S. Spiritus nutriuntur, aliique item aliunde evocati. [prælucentibus successive 150 funalibus,] Sed his ferendis funalibus accensis ordo singularis fuit, ut collegii societatisve sanctissimi Crucifixi Confratres quinquaginta, nigro vestitu induti, hinc inde a feretro totidem funalibus ardentibus a Basilica S. Petri incederent usque ad templum S. Marcelli: inde in eorum locum, novis luminibus accensis, succederent alii eodem numero e Confratribus societatis Mortis, usque ad Basilicam S. Mariæ majoris; ubi pari etiam numero funalia accenderentur, cum corpus illatum esset. Id quod factum est non sine rei sanctioris significatione: est enim numerus quinquagenarius plenus mysterii, ut Psalmus quinquagesimus docet. Neque autem a mysterio vacat centenarius & quinquagenarius numerus, ex quo illa per vicissitudines distincta summa omnis constat, ut ex pari Psalmorum ratione cognosci facile potest. Verum funalia omnia, quæ accensa collucebant, [aliisque supra 300,] ex supputatione numerata sunt trecenta & amplius, præter**

alias faces innumeras quæ manibus gestabantur: quod divine factum est, non sine significatione in Commentario explicata. Proximi feretro Cursores Apostolici togati, baculos argenteos manu gestantes, bini præibant: iique prout opus erat, huc illuc gradiebantur ut rectum processionis ordinem tuerentur.

Feretrum autem e Basilica ipsa S. Petri Apostolorum Principis, [succollantibus Canonicis trium basilicarum,] usque ad ecclesiam S. Cæcilie apud montem Jordanum, sublatum est humeris Canonorum illius Basilicæ: qui rocchetis statisque suis ornamentis induti, preseferebant in eo opere plenissimam pietatis effigiem. Inde vero Canonici Lateranenses, stato Canonicali ornatu, usque ad ecclesiam S. Marcelli, quæ in conspectu est viæ rectæ ad portam Flaminiam, subierunt onus pari debiti officii significatione. Tertio autem loco pium hoc opus pientissime etiam præstiterunt Canonici S. Mariæ majoris, qui itidem ut illi decoro habitu, ab ea ecclesia in suam Basilicam feretrum corpusque tanti Pontificis gaudenti animo intulerunt. A feretri porro lateribus procedebant ordine milites Helvetii & Machærophori, ii scilicet qui sunt a custodia Palatii Pontificii: qui tamquam stipatores hastatis armis fulti ab eo procul dimovebant ingentem hominum multitudinem, quorum fuit concursatio ad solennitatem longe frequentissima. [sequente magna Curialium pompa.] Et vero feretrum proxime sequebatur ejusdem Sanctissimi Domini nostri familia equestri incessu. Huic Magister ceremoniarum præibat, & Clavigeri item duo, qui Claves argenteas manu gerebant. Eorum omnium princeps, Magister domus Pontificiæ & Prælati dignitatis splendore insigniores, qui Sanctissimo Domino nostro assistunt, amplis lacernis induti, pileis Pontificalibus condecorati, mulis Pontificio ritu ornatis advehebantur. Omnes hos subsequebantur quamplurimi alii & Episcopi & Prælati diversorum ordinum Curie Romanæ, utpote Protonotarii, Referendarii, Auditores

**Rotæ, Clericique Camerae. Ea procedendi ratio ad aspectum pulcherrima extitit.**

**Hoc ordine a Basilica Vaticana S. Petri itum est, via quæ Papalis vocatur, ad Palatium usque S. Marci: inde flexu ad lævam usque ad ecclesiam S. Marcelli, mox ad montem Quirinalem, [confluente turba innumerabili,] tum ad sinistram via Pia, quam olim Altam-semitam vocitarunt: demum via Felicia, quam nuper ejus Sanctitas aperuit, ad Basilicam usque S. Mariæ Majoris, quo corpus efferebatur. Toto processionis itinere, incredibilis multitudo ac fere tanta quantam urbs Roma capit, processionis solennitati præsto fuit. Undique e vicis, ex omni foro, ex officinis, tabernis, domibusque omnibus concursus factus est hominum, tum spectantium tum pompam comitantium, sanctique Pontificis memoriam recolentium. [ad S. Mariam majorem,] Atque in ea tam ingenti concursione, mirum sanctumque silentium omnium. Denique janua ejusdem Basilicæ majori ingressa est tota processio. Tum vero comitatus equestris constitit: corpus autem in Basilicam tam solenniter illatum, ante sacrum locum, quæ Confessio nuncupatur, majus altare versus, depositum est super suggesto ibi erecto. Tum cum illud ita collocatum esset, Canonicus ejusdem Basilicæ Sacerdos, pluviali nigro indutus, Officium rite peregit, aquam benedictam circa feretrum aspersit, thure adolevit, Responsoria, Versus, aliasque stas preces dixit ad solennis ritus præscriptum. [dimissa e templo turba,] His ordine recteque peractis, cum jam pene advesperasceret, omnes quicumque aderant, exceptis iis quorum opera præsentiaque erat necessaria, e Basilica exclusi sunt. Aderant autem quam frequentissime utriusque sexus Christi fideles, usque eo ut Basilica ipsa, quamvis ampla & magna, fere ad punctum temporis completa esset. Vix e feretri lateribus ii dimoveri poterant, ne ab armatis quidem militibus: quippe cum præ multa animi devotione erga Pium sanctissimum**



Pontificem, gestirent omnes ipsum feretrum amplecti, osculari, aut manu tangere, aut precationum coronis attingere. Demum igitur subterraneum sepulcrum, quod prope illud honorarium humi effossum est, hora circiter prima noctis aperitur: apertum statis precibus Sacerdos benedixit, ministris adjuvantibus. Mox illuc feretrum, multis circumfusum luminibus allatum est sacra cum prece Sacerdotum. [deponitur in novam sepulcrum arca,] Qua sane re acta, tandem capsula ipsa cupressea, quæ alteram plumbeam continet, ubi Pontificis Pii corpus inclusum est, in id sepulcrum novum apte dimissa, recteque collocata est: in quo sepulcro nemo adhuc humatus est, neque in posterum humabitur, ex decreto Sanctiss. Domini nostri. Sic igitur in sepulturam dato Pontificis corpore, tum denique sepulcrum operculo rotundo marmomoreo, undique bene cohærenti, clausum est; cum ex ejusdem Sanctiss. Domini nostri Jussu, Rev. D. Guilielmus Sangalletus ita fieri mandavit. Hæc omnia acta sunt RR. DD. Ludovico Sarasolio, Silvio Drusolinio, ejusdem Basilicæ S. Mariæ majoris Canonicis; Valerio Atracino, Capellano ejusdem sacelli Sixtiani ad Præsepe, & Francisco Mucantio ac Paulo Alaleonio, Sanctiss. D. N. Papæ ceremoniarum Magistris, præsentibus. Atque hi quidem duo rogati publicas eorum actorum tabulas confecerunt ad perpetuam rei memoriam.

Die proxime sequenti, quæ dies Dominica fuit; nempe IV Idus Januarii, [12 Ian. magnus eo concursus fit:] etiamsi corpus in sepulturam illatum esset, tanta ad Basilicam S. Mariæ majoris effusio hominum, tantus populi concursus fuit, ut Urbs pene tota pie effusa videretur, ad recolendam Pii V Pontificis memoriam: plene ubique viæ confluentium, plenum Basilicæ atrium, completa ipsa Basilica precantium multitudine. Nemo autem erat quin in sacellum Sixtianum ingredi contenderet, [13 canitur Missa funebris coram Papa,] ubi supplex oraret. Tertio autem Idus Januarii, qui dies fuit

feria II, jussu Sanctiss. Domini nostri, solio Pontificio in eadem Basilica collocato, sessionibus Illustriss. Dominorum Cardinalium & Prælatorum ordine dispositis circum altare, supra cujus ciborium sacræ Reliquiæ asservantur, Missa solennis in eo ipso altari pro anima defuncti Pontificis ab Illustriss. Card. Caraffa celebrata est: qui Cardinalis ab eo creatus jam fuerat. Huic celebritati S. D. Noster una cum Cardinalibus numero quadraginta quatuor interfuit. Aderant quoque Oratores Regis Galliæ, Venetorum, & Ducis Sabaudiaë, qui apud solium stabant: Patriarchæ item aderant & Prælati assistentes, ceterique omnes quos adesse solenne est. Cænotaphium autem, defuncti Pontificis corpus repræsentans, eodem aurei operis pallio, de quo supra, undique contectum, eo ipso loco ubi sabbato proxime præcedenti feretrum cum corpore collocatum fuerat, præclare positum extitit, funalibus quadraginta hinc inde collucentibus.

Peracto Missæ solennis officio, Antonius Buccapadulius, vir & omni liberalium disciplinarum scientia & dicendi doctrina egregie eruditus, [habetur oratio a Buccapadulio,] orationem habuit gravem, expolitam, & rei de qua agebatur plane accommodatam, quam Sanctissimus Dominus noster attente audivit, nec vero sine lacrymis, id quod etiam plerisque contigit. Oratione porro habita, cænotaphium a Clericis ministrisque inde ad gradus solii Pontificii allatum est. Is cum a cantoribus Responsorium illud, Libera me Domine &c. cum suis Versiculis recitatum est, imposito in thuribulum thure, stans absque mitra, ut moris est, cænotaphium ipsum aqua benedicta aspersit thurificavitque, ac demum Absolutionem rite peregit. Eam vero ob causam ad illud altare, de quo dictum est, nec vero in sacello Sixtiano ad Præsepe, celebratum est ejusmodi exequiarum officium, quoniam Sanctiss. Domino nostro nequaquam decere visum est, ubi Præsepe Domini

est, Officia funebria agi: cum fas non sit locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ, inquit, sanctissimus Pontifex Leo magnus. [& res tota describitur a Petro Galesinio.] Hactenus ista Relatio, quam sequitur apud Bzovium præmemorata Buccapadulii oratio; sicut ibidem præcesserat, similiter ante citatus Commentarius de solenni translatione corporis Pii Papæ V, auctore Petro Galesinio Protonotario Apostolico: qui totus insumitur in Pii laudes, descriptionem Sixtiani sacelli, & magnifici tumuli ibidem Pio eidem erecti: adeo ut ex jam dicta illius Commentarii tamquam proprii citatione appareat, Relationis a Bzovio descriptæ auctorem esse eundem Galesinium: qui suo illi Commentario etiam subtexit versus, eandem translationem celebrantes, Fr. Angeli Camertis a Rocca Augustiniani Doctoris Theologi, Ioannis Francisci Bordini Iurisconsulti & Presbyteri Romani, Silvii Antoniani & Hieronymi Badesii Romani: quos versus satis est apud Bzovium legi posse.

## LIBER VI.

### Singulares Pii V virtutes enumeratæ.

## CAPUT I.

### Pietas & religio: item conversio Iudæorum & hæreticorum.

## CAP. I.

[319] Hactenus Pii Pontificis res domi forisque gestas, atque omnem ejus vitæ cursum, [Pietas ejus spectata in quotidiana Missæ sacrificio,] quoad ejus fieri potuit, ordine commemoravimus: dehinc præcipua quædam de ipsius virtutibus ac moribus, & alia, quæ in hunc locum cadunt, quo magis in promptu sint, singillatim enarrabimus. Ut igitur quæ potiora sunt, prius etiam exsequamur, de ipsius religione pietatisque studio prius

agendum videtur. Enimvero cum ceterarum virtutum omnium, quæ summum decent Hierarcham, tum in primis egregia in Deum pietatis laude Pius excelluit. Rem divinam quotidie, si posset, facere, vel si per valetudinem non posset, facientibus interesse, numquam intermisit: ut propterea boni ac prudentes viri dicerent, minime fieri posse, ut is quidquam consilii caperet, nisi utile ac Reipublicæ salutare, qui nullum diem fere prætermitteret, quo non hospitem & tamquam sui consilii auctorem Deum reciperet. Ejus vero cogitationes ita perpetuo ferebantur in Deum, [diplomatum signo,] ut rebus omnibus divinum honorem ejus & gloriam anteferet, cuperetque nihil magis, quam ut ad sanctissimam illius se voluntatem prorsus conformaret: cujus quidem rei cum alia multa, eaque longe majora, argumento sunt, tum quo utebatur, diplomatum signum: in quo veluti sibi proprium inscribi jussit pium illud Regii vatis optatum, ita Dominum precantis: Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. [Psal. 118] [præsentia continua Crucifixi,] Quos vero Christus Dominus noster acerbissimos pro nobis pertulit cruciatus, jugi pene memoria pie recolebat: ob idque ipsius Salvatoris de cruce pendentis effigiem coram habere consueverat; Apostolicis hisce verbis inscriptis: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi. [Gal. 6] Atque hinc usus obtinuit, ut imaginem ejusmodi ob oculos habens depingi soleat.

[320] Erat porro vehementer assiduus in studio sacræ precationis: quod sane cum ceteris omnibus, tum præcipue Pontificibus singulari dicebat esse præsidio. [orandi assiduitate,] Ac propterea ante lucem in ea exercitatione, statis Sacerdotum precibus recitatis, ita defixus immorari consueverat, ut ad se interpellandum accedentes, nisi vestis tractu sibi restitutus, aliquando vix exaudiret; indeque recedens in divina raptus sæpenumero videretur esse, neque percunctantibus ad

rem satis respondere: quod quidem certo effervescentis in Deum caritatis animique divina patientis erat indicio. Dum autem in Turcas faciendi publici fœderis, de quo supra dictum est, urgeret difficultas, singulis noctibus in preces effusus diu vigilabat. Ac memor, olim Moysem divinum hominem, contra Amalechitas, non tam depugnando, quam deprecando victorem evasisse; fœderatorum classibus contra Turcas bellum gerentibus, in primis vero tum cum debellatum est, jejuniis, vigiliis, lacrymis & orationibus se se continenter afflicto, divinis nempe magis quam humanis fretus opibus, [etiam Turcis formidata,] victoriam a Deo deposcebat; eamque sibi divinitus enuntiatam, ut ante retulimus, & multis prædixit, & summo Christianæ reipublicæ beneficio meruit obtinere: quod una omnium voce comprobatum esse meminimus; extantque hujus rei præclara, & illustria, & Regum & aliorum gravissimorum hominum, atque adeo ipsorum Christiani nominis hostium testimonia. Et quidem Turcarum Tyrannus Solimanus, bellicis victoriis horribilem in modum elatus, cum in Pannonia inferiori Sigetum obsideret, non Christianorum arma, non copias innumerabiles, non bellicosissimos exercitus, sed Pontificis Pii assiduæ preceationis tela, quibus superari se posse sentiebat, pertimescere se fatebatur. Nec inanis ejus timor fuit, cum in ipsa obsidione, ut ostendimus, interierit. Idem porro filium ejus Selymum sua ad Echinadas amissa classe, idem alios Turcarum Duces ac milites dicere solitos ante memoravimus.

[321] Ceterum hanc ipsam orandi rationem gravioribus in rebus conficiendis perpetuo Pius servavit: Litanias præterea stasque preces in Apostolico Palatio coram se, [vespertinis cum familia precibus,] nisi graviter impediretur, ac tota præsentente familia, vespertinis horis, quotidie pie recitari voluit. Nec interim tamen quidquam de iis, quæ ad officium pertinerent suum, prætermittebat. Cogitabat enim Pontificis munus esse præcipuum, pro

delictis ac necessitatibus populi apud Deum intercedere: & propterea familiarem & gratum se oportere esse ei, apud quem intercessor esset constitutus. Itaque ad miscenda cum Deo colloquia a negotiis recurrebat identidem; exemplo Moysis, crebro tabernaculum intrantis & exeuntis; ut intus a Deo disceret, quæ foris populum edoceret; & qui intus contemplatione rapiebatur in Deum, [alienarum precum postulatione,] foris hominum onera portans omnium saluti consuleret. Dicere vero solebat, se ad impositum sibi onus egregie sustinendum, sanctarum precum subsidio vehementer indigere: ac propterea & publice & sacris in cœnobiis, & item a privatis hominibus, assidue pro se reque Christiana publica Deo supplicandum curabat. Beatissimæ Virgini Dei Matri ita se devoverat, [Rosarii recitatione,] nullum ut ageret diem, quo, vel dum summus esset Pontifex tantisque rebus occupatus, sacri quod vocant Rosarii precationem non adhiberet: quem quidem precandi ritum aliis præterea multis, ut diximus, Apostolicæ indulgentiæ donis cumulavit. Sed pro mortuis etiam, quod sibi magnis in periculis aliquando præsidio fuisse testabatur, pie riteque precari quotidie consueverat.

[322] Sacras autem Reliquias mirifice coluit, easque plurimas collegit, & honorifice condi curavit: [Reliquiarum cultu,] atque ad sacrosanctam cum ipsarum Reliquiarum, tum vero etiam sacrorum locorum venerationem, & cultum pie retinendum, ludorum consuetudinem sustulit, quæ in suburbana regione genialibus diebus, sub initia Quadragesimalis jejunii, antea vigeat: nullam enim ibi esse vel minimam soli partem, quæ sacro Martyrum sanguine non esset imbuta & consecrata. Quare ludos ejusmodi cum, ut cupiebat, ubique gentium omnino tollere non posset, eos valde repressit, [antecineratium pia,] ad viamque Flaminiam rejici jussit, ubi eos Paulus Secundus Pontifex olim edi permiserat. Quo quidem tempore, ut alias sæpius, præcipuas septem Urbis basilicas, tota sua

comite familia, quotannis de more Pius obibat, majorem itineris partem pedibus incedens. Nam operæpretium esse, quibus diebus hominum peccatis mundanisque corruptelis ira Dei magis ac magis irritaretur, his diebus boni quidquam agere, quo posset offensa Majestas divina mortalibus conciliari. Sacro Quadragesimæ tempore, [& jejuniorum exacta observantia,] licet senex & imbecillis esset, magnisque laboribus fractus, & summis rerum curis semper occupatus, non solum abstinebat a cibis per eos dies interdictis, sed quotidiano se quoque jejunio macerabat. Quod per Dominicum Adventum quotidie, & aliis etiam statis jejuniorum diebus tam exacte in omni vita servavit, ut nulla corporis infirmitate, vel ingravescentis ætatis deflexu, sacris legibus solutum se esse voluerit. Quin etiam in gravioribus Ecclesiæ necessitatibus & publicis ærumnis, graviore se quoque afflictabat abstinentia, ut offensum Deum hominibus placaret. Ceterum aliis temporibus eam sibi piæ, salutarisque temperantiæ legem indixerat, ut ab ea recedere nullo pacto vellet.

[329] Cum tribus tantum hebdomadæ diebus edere carnes, [quatriduana per hebdomadem abstinentia a carnibus.] seu degustare potius ab ineunte ætate consuevisset, iis, qui ciborum ejus curam gerebant, mandaverat, ne per alios dies carniū quidquam in cibos unquam admiscerent. Sub mortem tamen graviter ægrotanti contusas carnes, contritis amygdalis commixtas, die quodam ex his quibus ita se abstinere ultro consueverat, ejus administri clam ipso sumendas præbuerunt: sed nec pietatem necessitas vincere, nec palatum fallere pia potuit astutia: nam ut ori cibum admovit, benignam ministrorum artem odoratus, gustare noluit; expostulans, qui vellent, ob duos breves vitæ dies ipsum ab custodia per annos sexaginta vivendi lege revocare. [etiam a moribundo servata.] Inter hæc Franciscus Rainosus, ejus ferculorum magister, qui diu

postea ob eximiam ejus probitatem & merita factus fuit Episcopus Cordubensis, pium dolum aperte confessus, veniamque precatus obtinuit; suam excusans fidem, quippe qui salutis causa, re ipsa potius quam verbis, gustatum ejus, non mentem fallere voluisset; haud ignarus, eum ab omni vel levissimo mendacio, uti dicemus, plurimum abhorrere. Sæpe admonitus, caveret sibi, ne hisce periculis vitam objiceret suam: acceptius namque Deo, meliusque Ecclesiæ futurum, si se ad diuturnam ipsius gubernationem, quam maxime posset, conservaret; cum Apostolo respondere consueverat: Omnia possum in eo qui me confortat: & qui mihi in hanc usque diem vires dedit, is in posterum pro sua clementia corroborabit. [Philip. 4]

[324] [audiendis concionibus,] Ceterum in Apostolico palatio per eosdem Quadragesimæ & Adventus dies, sacram sæpius haberi concionem volebat: cui & ipsemet, & Cardinales, & eorum familiares intererant. Quin etiam præsidiarios milites Helvetios nolebat Germanica concione carere. Atque ut omnium mentes ad Deum rite colendum, ac suam quemque salutem procurandam excitaret, precatorias coronas, piaculares calculos, æreas tum cruces, tum Sanctorum imagines, [consecrandis magno numero coronis, cera,] ac cereas Agni cælestis effigies, res ad augendam piorum religionem in primis accommodatas, plurimas variis temporibus rite consecravit. Quæ res tanta pietate ac veneratione excipiebantur ab omnibus, quantam ex omni memoria recordari nemo potest. Nam etsi salutarem illam vim, rebus ejusmodi divinitus adjunctam, a Pontificia potestate proficisci non ignorabant; tamen propter singularem hujus Pontificis sanctitatem, nescio quo modo ad hasce res, ab ipso potius quam a ceteris Pontificibus consecratas, in dies magis ac magis affici, iisque munitos se in periculis tutiores fore existimare, jam per annos ferme quadraginta, cum foris, tum in Urbe, conspicimus: in quo



vel ii, in quos ipse aliquando animadverterat, admirabile studium pietatis in illum ostenderunt. Verum neque iis religionis instrumentis, sive etiam Pontificis sanctitati, divinæ virtutis defuit testimonium: nam cum tumescentem in Tiberim, ex alveoque summo Populi Romani cum terrore parique periculo defluentem, unus ex cereis illis orbiculis, jubente Pio, projectus fuisset, confestim impetus aquæ resedit.

## CAP. II

[325] Sed quoniam sacrarum ex ære imaginum paulo ante facta mentio est, [numismatis aneis,] quarum pium usum ipse primus vel induxit, vel certe plurimum excitavit, qua id occasione factum, hoc loco memorandum videtur. Margarita Austriaca, Parmæ Placentiæque Principe, Belgium pro Rege Catholico Philippo, ut ante ostendimus, gubernante, rebelles quidam hæretici ibi tumultuantes ei supplicem libellum, iniqua & impia postulata continentem, [occasione Geusiorum in Belgio sua sibi per risum assumptum,] obtulerunt. Id vero illam ægre ferentem unus ex primariis ejus consiliariis, vir pius, consolabatur; nihili hoc esse faciendum, qui enim libellum obtulissent, fere omnes Geux esse: quæ vox Gallica Latine mendicos nebulonesve significans, in vulgus protinus diffusa, perduellibus illis Geux indidit cognomentum. Appellationis ignominiam illi quidem primum dissimulare, seque non rebelles, sed Regi suo fideles in specie profiteri; atque ejus in gratiam Geuseos, id est abjectos ac mendicos nuncupari, quasi gloriæ ducere. Mox æreum sive plumbeum nummista sibi fundi curavere: cujus in altera facie Regis effigies erat expressa, ipsorum manibus in fidem junctis, initæ inter se conspirationis argumentum, his verbis Gallice circumfusus, Regi fideles usquequaque; ex altera vero parte mendicantis hominis speciem, bulgasque vel sacculos a tergo gestantis expresserant, adjectis verbis, Regi fideles

usque ad bulgas. His ergo simulacris collo appensis, vestibus cinericii coloris induti procedebant.

[326] Illarum inde gentium Catholici homines, ut certo religionis symbolo ab hæreticis dignoscerentur; [pro quibus Catholici sumpserant alia, indulgentiis a Pio ornata.] æreas vel argenteas & ipsi imagines de collo pendentes, quarum ex altera facie Christi Salvatoris caput, in altera vero Deiparæ Virginis, puerique Jesu Matris in gremio sedentis effigies erat impressa, publice circumferebant. His de rebus Pius ab ipsa Margarita certior factus, Catholicorum pietatem commendavit, eas effigies rite benedixit & consecravit: atque illas pie gestantibus, vel inspicientibus Deumque precantibus sacra Apostolicæ indulgentiæ præmia concessit. Quæ religio proinde sic increbuit, ut fere omnes Catholicam fidem ubique gentium profitentes, divinis hisce vel muneribus ornari, vel præsidii communiri pie contenderint. Itaque cum ab ipso Pio, tum ab aliis Pontificibus ejus successoribus ejusmodi imagines & cruces, multiplici seu materia seu forma conflatas, & precationum coronas & piaculares globulos, & alia id genus pietatis monumenta, populis, Principibus, Regibus, & sacrorum Antistitibus efflagitantibus, tam liberali religione consecrari, tam amplisque indulgentiæ donis cumulari videbamus, ut ne specie boni quid irreperet mali, quod jam passim fieri solebat, Clemens VIII Pontifex Maximus, pro summa auctoritate singularique sapientia sua, rem certis legibus coërcendam ac temperandam, edito super id decreto, existimaverit.

### CAP. III

[327] Ea porro, de qua dicebamus, tam egregia Pontificis religione, & magna Dei in illo comperta virtute, [ejus pietate moti convertuntur multi,] omnium animi ad omnia studia pietatis mirifice videbantur incendi. Ac mirum erat,

quanto eum amore, observantia, ac veneratione omnes ordines prosequerentur. Mira quotidie fiebat multorum impuræ vitæ commutatio: neque id tam suppliciorum metu, quam ejus exemplo virtutis, & firma quadam opinione sanctitatis. Hinc quamplurimi Judæi, non urbani modo, sed provinciales & externi, Jesu Christo nomen dederunt: & in iis ditissimus ac doctissimus quisque, [etiam ludæi & Archisynagogus cum familia,] ex urbanis autem celebris in primis & insignis fuit conversio Eliæ Carcossii, & doctrina & divitiis inter suos facile principis, qui per id temporis synagogæ Præpositus erat. Hunc Pontifex, cum adhuc esset Cardinalis, multis identidem stimulis ad Christianam fidem amplectendam incitaverat. Quod ille facere recusans, per jocum respondere solebat: Tum Christi sacra suscipiam, cum Fr. Michael summum inierit Pontificatum. Id porro cum evenisset, Eliasque de collata dignitate ad Pontificem gratulans adivisset, eum denuo Pius est aggressus; in memoriamque illi revocavit, quod esset pollicitus, se baptismo expiatum iri, ubi ipse Pontifex Maximus renuntiatus esset. En, inquit, sum Pontifex summus, Dei benignitate, quod fortassis tu numquam futurum credidisti: præsta datam fidem: simul Deum pro illo ut ante precatus, salutem ejus piorum precibus commendandam curavit. Discessit Hebræus; sed paulo post divina gratia permotus, ad Pontificem rediit; & velle se, una cum tribus filiis suis ac nepote, fieri Christianum professus est. Qua re usque adeo Pontifex lætatus est, ut vocatum ad se hominem, Deo Domino gratias agens, amicissime complecteretur. Mox eos omnes Christiana doctrina imbutos manu sua baptizavit, mira populi celebritate, atque omnium gratulatione: inde neophytos ipsos multis beneficiis ac donis exornavit. Eliam, qui mutato nomine Michael est appellatus, una cum filiis in Gisleriorum gentem retulit. De filiis ejus unum, septimum circiter agentem annum, novo nomine Paulum, in Collegio Germanico pie ac liberaliter educandum curavit.

[328] Neque vero Judæi solum, sed hæretici quoque, tam sancti Pontificis pietate exciti, [item hæretici etiam Principes,] ad sanitatem redire veramque religionem amplecti, magna cum piorum exultatione, cœperunt. Nam præter ceteros Olicæ Princeps, per idem tempus Roman profectus, ac Pii sanctitatem ejusque optimam administrandæ Reipublicæ rationem demiratus, hæreses, quibus erat imbutus, statim execratus est. Ipsemet enim, posteaquam in Poloniam est reversus, se ad Catholicæ veritatis lucem rectamque salutis viam, de qua fuerat malo hæreticorum dolo deductus, duce Pio secundum Deum rediisse per litteras testabatur: sperareque se illud ope divina cito futurum, ut sua ipsius opera vel exemplo, uxor sua ad eandem fidem perduceretur. Porro autem hæreticus quidam ex Anglia, vir primarius, animi gratia Romam venit, sacrosque ritus ac piorum ceremonias tacitus irridebat: sed magna, quæ incresebat in dies, Pii religionis ac sanctitatis percitus fama, interfuit solenni & anniversariæ sanctissimi Christi corporis supplicationi: in qua singulari humilitate ac reverentia, aperto capite, pedibus incedens, præter morem aliorum Pontificum (qui alioqui recte pro sua dignitate sella gestari consuevere) sacrosanctum illud Sacramentum Pius circumferebat. Tantam igitur ille religionem admiratus, ad Deum rite colendum sese convertit: nec multo post ad Pii pedes provolutus, delictorum suorum veniam postulavit: atque illa demum Catholico ritu confessus, in sanctæ Matris Ecclesiæ gremium revocatus est.

## CAPUT II.

Pii in egentes beneficentia: in extruendis  
ædificiis magnificentia.

## CAP. IV

[329] Quanta vero esset, & in pauperes, & in viros de Ecclesia Dei benemeritos, [Beneficus erga tenuiores

Prælatos,] caritas ejus ac beneficentia; cum ex iis quæ passim supra tetigimus, tum etiam ex his quæ infra dicemus, conjici potest. Etenim non modo tenuiores Cardinales ære suo sustentabat ipse, necessariamque illis comparabat suppellectilem; sed insudantibus quoque Ecclesiæ ministris, iis præcipue qui publicis vel judiciis, vel legationibus operam darent, præter consueta stipendia, multa largiebatur identidem. Egentioribus etiam Episcopis, vel e Sedibus suis Catholicæ religionis tuendæ causa pulsis, pie subveniebat: vel qui Apostolicarum litterarum scripturam stato pretio in suæ dignitatis adeptione solvere non possent, debitam pecuniam condonabat. Insigniora Urbis pauperum hospitia ac publica valetudinaria visebat interdum, ægrotos consolabatur: & qui cum illis ageretur, an satis eorum tum animi tum corporis saluti consultum esset, perhumaniter interrogabat: ac præsertim illud, cui a sancto Spiritu cognomen est, quod omnium est maximum, [loca pia,] aureorum nummum viginti millibus donavit. Sacra tum virorum tum mulierum cænobia piis elemosynarum auxiliis liberaliter sustentabat. Romano Clericorum Seminario sex millia tribuit aureorum. Annuntiatae, ut appellant, Virginis in Urbe sodalitati, præter mille nummos aureos, quos annuos in dotem puellis in matrimonium collocandis pendebat, alia etiam quatuor millia ad earum centum nuptui tradendas adjunxit. [puellas & omnis generis pauperes,] Egenorum omnium ac miserabilium hominum tunc Romæ degentium nomina censeri, certoque libello sibi describi, ac quæ præ dotis tenuitate nubere non poterant, puellas recognosci voluit: atque universis pro cujusque fere necessitate providit. Urbanis pauperibus, vel in carcere conclusis, vel litigantibus subsidio erat: curabatque ne caussidici ac procuratores gratuitam illis operam navare gravarentur. Montium locis ingentem pecuniarum vim in gratiam pauperum assignavit.

[330] [catechumenos & neophytos,] Catechumenis & neophytis commodas ædes coëmit; quibus non mediocre vectigal attribuit. Cum enim plurimi Judæi, ejus & opera & exemplo, ut ostendimus, Christianam religionem suscepissent; eorum numerus usque adeo creverat, ut jam domicilium, quod Paulus III apud ædem S. Ioannis de Mercato in Urbe pro excipiendis & in Catholica religione instituendis catechumenis ac neophytis erexerat, fere compleretur, parumque inde remotum neophytarum ac Virginum Dominicanæ ordinis monasterium Beatæ Mariæ Annuntiatae, angustum nimis redderetur. Itaque tam copioso Christi gregi, in dies succrescenti, cum ampliora paranda essent hospitia; templum & vetusta ædificia S. Basilii, quæ juris erant hospitii S. Joannis Jerosolymitani, ipsis & neophytis assignavit, ac perpetuo jure possidenda tribuit, cum annuis redditibus centum aureorum, præter alia eleemosynarum subsidia, quæ passim illis benigne suppeditabat. Primo hujus Pontificatus anno, Augusto mense, [solicite agit pro æris contagii tempore.] periculosus morbus magnam partem Romanæ civitatis occupavit, maxime vero eos, qui labore & manu victum quæritarent; totæ ut multis locis familiæ, quæ erant ad quatuor millia, jacerent in lectulis graviter laborantes. Itaque singulis ægrotis pecuniam misit, omnibus decem medicos attribuit, Joannem Franciscum Gambaram Cardinalem ac duodecim primarios viros præposuit, qui, ut recte præstarentur omnia, curarent diligenter; lanienas etiam & tabernas, cibariis & medicamentis instructas, illis assignavit; dato negotio cum piis viris, ut adessent semper ægrotantium administri; tum Sacerdotibus, ut animarum saluti consulentes, eos visitarent: quo quidem pietatis in officio cum aliorum piorum hominum, tum egregia religiosorum Patrum Societatis Jesu caritas in primis enituit.

[331] At vero ut cum pauperibus commodius ageretur, rei frumentariæ sæpe providit: quæ ut suppeteret

affluentius, [providet rei frumentariæ,] gravi Romanos premente penuria, ex inclementia cæli profecta, tum ex Sicilia nulla portorii solutione, tum ex Gallia benigno Gallorum Regis concessu, Sedis Apostolicæ sumptibus, nempe centum aureorum millibus, magnum in Urbem tritici numerum comportari curavit. Quo facto statuit, ut id longe viliori venderetur, quam ementi sibi constitisset. Qua de re Quæstorem ærarium (ut sunt plerumque Principum ministri privatis dominorum suorum magis, quam publicis populorum commodis intenti) expostulantem, atque hoc detrimentum (quod sane erat haud mediocre) ægre ferentem, indeque lucrum aliquod affectantem; rejecit Pius, edicens, quod Reipublicæ saluti gaudioque esset, id non damni sed lucri loco ponendum: præstareque populum, rerum ad victum necessariarum copia lætantem, quam arcas otiosæ pecuniæ plenas intueri: [ut copiosior & parabilior sit,] indignum enim Rege atque eo magis summo Pontifice, quæstum ex omni occasione odorari, & lucellum in publico negotio quærere. Quin etiam ut rei frumentariæ copia in Urbe non deesset, pauperumque necessitatibus commodius provideretur, nobilem agriculturæ artem in finibus ipsius Urbis exercentes agricolas, & alios ipsi arti præfectos, magnis & amplis muneribus ac decretis auxit & exornavit. Cumque ditiores quosdam ac præpotentes homines propria frumenta in horreis recondere, conclusaque suppressere, & donec pro eorum avaritia pretium adauctum conspicerent, ab omni venditione abstinere, aliisque malis artibus ex pauperum damno lucrum affectare intelligeret; hanc ipse execrandam cupiditatem vehementer detestans, divites ipsos & avaros gravissimo decreto coërcuit; & cohortatus est, ut Dei largitatem in se ipsos agnoscentes, pauperibus benigniores in posterum se se præberent: ab hujusmodique, ut appellabat ipse, detestabili frumentario quæstu prorsus abstinerent, memores scriptum esse, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: Benedictio autem super caput

vententium. [Constit. 19, Prov.II.] Itaque pauperum tenuitas, eo Pontifice, perpetuo fuit sustentata benigne, & optime suffulta.

[332] Neque vero in urbanos modo, sed veluti benignissimus omnium hominum parens, in exteros etiam & peregrinos fuit egregie liberalis. Nam iis, [succurrit peregrinis,] de quibus paulo ante dicebamus, visendis pauperum domiciliis, cum annuos fructus, qui transalpinis nationibus Romam olim proficiscentibus jam attributi debebantur, dissipatos comperisset; mediam quidem illorum partem publicis ædificiis, reliquum vero alendis adolescentibus, quos ad excolendum virtutibus ingenium ex Germania, Pannonia, Illyrico; atque ex aliis orbis terræ partibus Roman evocabat, attribuit: ut optimis illi moribus ac disciplinis instructi, suo quisque loco, sacris muneribus obeundis, Ecclesiisque administrandis, recte præfici possent. Accidit per idem tempus, ut navis longa nobilis archipiratæ a Comite Altemiræ ad Montem Argentarium caperetur: in qua Christiani homines fere centum e Turcarum manibus erepti erant, [Christianis captivis,] qui per decem prope annos servierant acerbissimam servitutem. Hos seminudos & afflictos Romam missos, perbenigne & liberaliter Pius accepit; ac vestibus, pecuniis, sacris etiam & salutaribus muneribus ornatos dimisit. Christianos porro captivos a barbarorum potestate sæpius redimebat: quod genus liberalitatis summum ac præcipuum esse, testatur S. Ambrosius. [Lib. 2 de off. cap. 15] Delegit qui ex omnibus, non solum Urbis, sed totius etiam ditionis Pontificiæ tribunalibus, nomina censerent eorum, [& reis ad triremes damnatis:] qui ab anno MDXXXV ad id usque temporis ad triremes damnati fuissent; eosque liberos dimitti jussit, quos ubivis gentium, aut quorumlibet Principum in triremibus servitutis tempus exegisse constaret: statuitque ut qui in posterum Christianis ejusmodi pœnis addictis uti voluisset, is prius



in Urbe Roma fide juberet, illos, exacto tempore servituti præfinito, pristinam in libertatem restitutum iri.

[333] Pecuniarum præterea sacculos apud se retinebat, quas ipse manu sua per occasionem summa cum alacritate pauperibus elargiebatur. [In his tam profusus & a Deipara laudatus.] Accessit ad illustrandam ejus benignitatem haud inane cælestis visionis testimonium. Bartholomæus Bolognetus, civis Bononiensis, ad inopiam redactus, quam filiarum augebat multitudo; ne male cum illis ageretur, in tutelam ac fidem sanctissimæ Deiparæ Virginis eas pie contulerat: quæ mox in quiete ei visa: Noli, inquit, vereri, nam filias tuas in tempore juvabit Frater Dominicanus. Evenit deinde, ut ille Romam profectus in familiaritatem se daret Pii, per eos dies sacri Quæsitore munere fungentis: qui de illius & integritate vitæ & rerum angustiis cognoscens, identidem ei pro viribus succurrens; Pontifex dein creatus, sex ejus filias nuptum honestas in familias collocavit; ejusdemque filio ampla dote præditam dedit uxorem, alterum vero sibi a cubiculis esse voluit: atque ita visis facta responderunt. Jam vero quam longe abesset illius animus ab omni avaritia, tum ex his, quæ diximus, tum etiam ex adjiciendis intelligere nemo non potest. In sociali bello contra Turcas, [abominatur artes pecuniæ colligendæ,] cum pecuniarum magna premeretur inopia, atque ei complures supplices libelli de beneficiorum, quos vocant, regressibus offerrentur, ac de solvendis legibus atque aliis abunde colligendæ pecuniæ atribus multa referrentur; audiit ille quidem omnia, quasi oblatam vellet occasionem arripere: sed mox; Avertat, inquit, hoc a me Deus, ut pietatis causa quidpiam agam aut permittam, quod vel minus pium, vel avaritiæ speciem præ se ferre videatur. Inter hæc vero libellos ipsos omnes in ignem conjecit. Sed alia ejusdem generis exempla, cum de sacro fœdere scriberemus, supra memoravimus.

[334] Quidam capitis damnatus, quod sub alio Pontifice cædem fecisset, nummum aureorum decem millia, pro sui redemptione vel supplicii commutatione, cum se depensurum offerret, eam pecuniam accipere Pius non solum recusavit, sed ut lege in eum ageretur, imperavit: atque ita in alios plerosque reos se se gessit. [nec crimina sinit pecunia redimi:] Dicereque solebat in puniendis sceleribus non divitias, sed jura spectare oportere: nam si pecuniis crimina passim redimantur, non divitibus, sed pauperibus tantum a legibus pœnæ fuerint constitutæ, ac forte male parta pecunia facinorosos reddet impunes, itaque juverit iniquum inique divitem fuisse. Hispani viri quidam principes, conjugii causa solvi se legibus postulantes, ut voti compotes fierent, se nummum aureorum quindecim millia Pontifici pensuros obtulerunt. Quod cum ille intelligeret, postulatorum momenta diligentius recognoscens; eaque videns ejusmodi esse ut id fieri liceret, illis indulset, nulla recepta pecunia. Objicienti Datario, [aut eam pro dispensationibus accipi.] eam summam salvis legibus accipi posse, atque in pios usus impendi: subjecit Pius; Verba Concilii sunt: Raro, ex causa, & gratis. Quemdam, exquisitis callidisque artibus instructum, condiciones multas atque exigendæ pecuniæ modos, absque populorum damno, uti dicebat ipse, proponentem; non modo non audiendum Pius putavit, sed etiam Roma quamprimum jussit abscedere: improbable videri, pro se Principem id sine populorum detrimento præstare. Verum id illi solenne fuit: nec tam quid posset ex re qualibet obvenire compendii, quam, quid justitia, quid æquitas postularet, spectare consueverat. Intelligebat enim nullum vitium esse tetrius avaritia, præsertim in Principibus ac Rempublicam gubernantibus.

## CAP. V

[335] Etsi non tam lapidibus quam virtutibus Rempublicam a Pontificibus ædificari Pius dicebat oportere: [Multa in

Laterano & Vaticano perficit,] ipse tamen utrumque sibi egregie præstandum putavit. Multa namque, non ad luxum aut ad inanem mundi fastum, sed ad cultum divinum ac publicæ commoditatis causa, tum in Urbe tum foris, ædificia passim extruxit, in quibus piam liberalis Pontificis magnificentiam possis agnoscere. Atque ut de urbanis primum dicamus, inchoata Lateranensis ædis laquearia mediæ navis perfecit. Ad S. Petri basilicæ structuram augendam ac perficiendam incubuit: in eamque rem cum alias pecunias, tum varias piorum legatorum dilatas exactiones assignavit. Sacro Palatio egregium & commodum adjecit ædificium, trinis & sacellis & cubiculis, triplici contignatione una super aliam ita distinctis, ut ægrotantes Pontifices divinæ rei commodius interesse possent. Ædem ac domum prope Vaticanum, quo ipse ad sanctæ Ecclesiæ familiariter agenda negotia quandoque secedebat, ed ædificavit. Helvetiis, Pontificiæ custodiæ destinatis militibus, templum extruxit. In Aventino colle S. Joannis Jerosolymitani ordinis ædem, quam Cardinali Alexandrino cum Prioris titulo dederat, per eum instaurati curavit.

[336] Templum muliebrequæ cœnobium, Deo ac S. Dominico dicata, [fundat cœnobium S. Sixti,] in Quirinali a fundamentis excitavit, ut clementioris cœli causa eo deducerentur sacræ Virgines, ad S. Sixti olim habitantes: quæ cum, jam inde ab Innocentii Tertii Pontificis temporibus, monasticæ vitæ leges & habitum de ejusdem S. Dominici manibus accepissent, in ea disciplinæ severitate perpetuo sese optime continuerant. Sacrarum Virginum cœnobia, ut integra sartaque tecta ab omni periculo religiosa disciplina conservaretur, ære suo, ubi erat opus, bene claudi curavit. Sacræ Inquisitionis palatium ad Vaticanum, [plura ad publicam Urbis commoditatem molitur] ab alio Pontifice suadente se designatum, extruxit, amplisque decretis & annuis

reditibus exornavit. Magnos sumptus in opus ab antecessore inchoatum, ad aquam Virginem ad Trivii fontem deducendum, fecit: & alios præterea publicos aquæductus collapsos instauravit. Curavit ut publici gymnasii structura perficeretur, ejusque Academię (Sapientiam vocant) annuos proventus, a quibusdam interversos, recuperavit; atque ibi publice docentium numerum & stipendium adauxit. Sacrę vero Theologię studiosorum in gratiam, Sanctorum Thomę Aquinatis ac Bonaventurę opera, lucelento caractere bonaque fide rursus excudi magnis suis curavit impensis. Urbanos carceres instauravit: hisque clausorum hospitium, in quo ægroti diligenter curarentur; & ædes, in quibus incolumes commode habentur, adjecit. In Hebręorum sæpimentum, ad Marcelli Theatrum; impensas haud mediocres fecit. Labantia mœnia, sacras ædes, turres, pontes, aliaque præterea multa ad publicam commoditatem ædificia, tum erexit tum etiam reparavit. Atque hæc quidem in Urbe; foris vero quę sequuntur.

[337] Amplum Pontificiaque munificentia dignum, [Dotat & ornat Boschi in patria monasterium Prædicatorum:] templum ac cœnobium Prædicatorum Ordini, ad Boschum patriam suam, construxit: idque sanctę Cruci atque omnibus Sanctis consecravit; vectigalibus ei in perpetuum attributis, quatenus ad quinquaginta Fratres commode sustentandos satis esset: quę proinde vectigalia, ipsorum Fratrum industria, duplo fere majora sunt reddita. Loci sacrarium, vasis ad cultum divinum pertinentibus, ex auro argentoque elaboratis, ac sacrorum ornatu ejusdem æris, opere vario artificiosissime contexto, locupletavit. Pictas insuper tabulas & imagines, præcellentium artificum opere affabre factas, ac magnam vim sacrarum earumque insignium Reliquiarum, aureis argenteisque thecis distributarum, & ornantibus gemmis effulgentium, eodem transmisit; in iisque notabilem partem Crucis Domini nostri Jesu Christi. Luculentam præterea

egregieque instructam bibliothecam, marmoreas columnas, ac sepulcrum suum & effigiem, cum hac inscriptione a semetipso dictata: [ibique sepeliendo sibi monumentum erigit.] Pius Papa Quintus Boschensis, ex familia Ghisleriorum oriundus, Ordinem Prædicatorum professus, diem mortis universalisque resurrectionis præ oculis habens, a die assumptionis suæ ad apicem Apostolatus, monumentum istud erigi mandavit, pro cadavere suo reponendo, quando divinæ clementiæ visum fuerit ipsum ab seculo nequam eripere. Atque ita ut corpus suum, uti memoravimus, post obitum eo deportaretur, constituit: quamquam ea de re deinceps nihil unquam commemoravit. Ad ejus denique loci commodum ac dignitatem, amplum secularibus de rebus a Philippo Hispaniarum Rege Catholico decretum impetravit.

[338] Ad patriæ suæ commodum & ornamentum, præcipue Gislericæ gentis in gratiam, in Ticinensi gymnasio, amplum & magnificum Collegium, quod Gisleriorum esse & appellari voluit, exædificavit: in quo saltem quatuor & viginti adolescentes, rei familiaris inopia laborantes, pie educarentur, [Ticini collegium pro Gisleria gente:] dum bonarum artium studiis operam darent: idque certis vectigalibus annuis instruxit, præscripta lege, qua illud regi & per consanguineos & gentiles suos in perpetuum administrari vellet: utque nonnullis libertatis & immunitatis beneficiis ab eodem Rege Catholico decoraretur, effecit. Anconam urbem prope arcem ad continentem communivit: quo loco etiam ad mare propugnaculum extruxit. Centumcellarum urbis munitionem absolvit. Ad arcendos piratas ac Turcas, ad Trajanum portum, ut diximus, [& alia alibi.] per omnem eam oram turres ædificavit. Alia quoque alibi, quæ commemorare longum esset, ad publicam utilitatem, tum excitavit ædificia, tum etiam instauravit. Extraordinariorum vero summa sumptuum, quos in

commune Christianæ rei bonum vel augendum vel conservandum fecit toto Pontificatus sui tempore, ad vices centena millia nummum aureorum pervenisse traditur.

### CAPUT III.

Pii erga bene de se meritos liberalis,  
erga omnes lenis & clemens animus.

### CAP. VI

[339] Maxima quidem & Christianam in Rempublicam ornandam magnificentia, & in pauperes sive de Ecclesia Dei benemeritos, Pii benignitas fuit: sed si omnia circumspicias, nescias sane, an major extiterit ejus in referenda gratia liberalitas: quam ipse tribus in rebus potissimum consistere dicebat. Primum quidem accepto beneficio singulari memoria retinendo; dein ejus auctore laudibus ornando, eidemque gratiis agendis; denique ipso opportune remunerando pro cujusque facultate, idque vel acri studio voluntatis, [Eximius beneficiorum remunerator,] quando rem ipsam præstare non possis. Quin etiam testabatur, nullam quodam modo a se virtutem agnosci majorem hac ipsa grati animi benignitate: qua videlicet efficeretur, ut non modo terrena regna corroborarentur; sed efferatæ quoque ac barbaræ gentes arctiori amoris vinculo conjungerentur. Hæc igitur virtus, qua nihil est aut Deo gratius aut hominibus amabilius, in eo sic enituit, ut unus omnium maxime acceptorum beneficiorum remunerator gratissimus fuisse perhibeatur. Neminem enim prætermisit, qui vel modice in eum benignus extitisset, cujus operam præter omnem expectationem cumulate non compensarit: quinimo non paucos pudebat, se ob leviora quæque in eum officia, quorum ipsi dudum erant prorsus obliti, ab eo tam large remunerari. Ac vel præsentibus in Urbe, vel sua sponte multiplici spe ductis,

ad eum certatim ut fit confluentibus, liberaliter æque ac prudenter satisfacisse non contentus; quam plurimos etiam nihil minus cogitantes, e variis orbis regionibus Roman per litteras evocandos curavit, cum usus illorum opera, tum vero magna in eos præmia collaturus: quod si forte hi migrassent e vita, beneficia apud ipsorum sive filios sive propinquos collocabat.

[304] At memor quantum Paulo IV Pontifici Maximo deberet, ejus ossa, quæ in S. Petri basilica satis humili jacebant loco, [corpus Pauli IV in æde S. Mariæ supra Minervam condi curat.] inde celeberrima ac pia Sacerdotum & omnium urbanorum Magistratum Populique Romani processione, in ædem S. Mariæ supra Minervam transferri, ibique magnifico sepulcro ex perpolito marmore honorificentissime condi curavit; erectis inibi simulacris ejusdem Pontificis, & item Fidei ac Religionis, cum hoc elogio: Jesu Christo spej ac vitæ fidelum. Paulo IV Carafe, Pontifici Maximo, eloquentia, doctrina, sapientia singulari; innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstanti; scelerum vindici integerrimo; Catholicæ fidei acerrimo propugnatori; Pius V Pontifex Maximus grati & pii animi monumentum posuit. Vixit annos LXXXIII, mensem unum, dies XX: obiit MDLIX, quintodecimo Kal. Septembris, Pontificatus sui anno V. Mox Sancti Thomæ Aquinatis ædiculam, in qua idem sepulcrum est, annuis vectigalibus instruxit, statuens ut quotannis ipsi Pontifici, uti curatum est, solenni ritu justa persolverentur. In ejusdem vero Pontificis propinquos, gratum se quoque præstitit. Ab iis enim rogatus, ut causam suorum, in quos tamquam de Republica male meritos Pius IV animadverterat, [& Carafæam familiam in pristinam dignitatem restituens,] ad juris cognitionem revocaret; atque repetito judicio, qui superstites essent, in pristinum statum restitueret; non recusavit. De his igitur judicio constituto, virisque jurisprudentia & integritate præstantibus in consilium adhibitis, rerum omnium

momenta, ne falleretur, ipsemet inspicere, causamque in sacro Senatu referri decernique voluit. In quo rebus singulis rite circumspectis, gravissima Pontificis Patrumque sententia, Carafæ sunt in pristinam dignitatem & locum legitime restituti. Non quod eorum, qui male se gessissent, acta probare; aut legitimum superioris Pontificis iudicium reprobare vel rescindere cogitaret: sed quod pro varietate probationum ac temporum, ut sæpe accidit, varie quandoque iudicare, clarissimæque gentis honori salvis legibus consulere, æquum esse arbitraretur.

[341] Ac licet ex ea gente non deessent alii, Paulo Pontifici sanguine conjuncti, [creato ex ea Cardinali Antonio conferi Gratiaë signaturam,] ex omnibus tamen unum delegit Antonium Carafam, Reginaldi filium (utpote virum spectatæ virtutis ac multiplicis eruditionis laudibus insignem) quem primo intimum sibi cubicularium, mox in amplissimum Cardinalium ordinem adscivit: quo facto, & ab Hispaniarum Rege Philippo, & a ceteris bonis omnibus magnam Pius gratiam inivit. Eum porro nec ita multo post signandorum supplicum libellorum muneri (Gratiaë Signaturam appellant) sua sponte præfecit. Quod ille munus etsi pro modestia sua recusabat, eo tamen ut fungeretur, Pius imperavit. Alfonsum præterea Carafam, ejusdem Pontificis fratris filium, S. R. E. Cardinalem, Neapolitanum Archiepiscopum, marmoreo sepulcro magnifice exornato, in æde maxima Neapolitana posito, cohonestavit, hoc elogio in marmore inciso: [Archiepiscopo Neapolitano monumentum erigit,] Alfonso Carafæ, S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Neapolitano, adolescenti non minus sua virtute quam majorum splendore claro, patris Pauli IV Pontificis Maximi religionem integritatemque referenti: ea sapientia prædito, ut in secundis rebus summam ejus temperantiam, in adversis miram constantiam omnes laudaverint; Pius V Pontifex Maximus posuit. Vixit annos



**XXV, dies XV, obiit MDLXV, IV Kal. Septembris. Neque vero solum in hanc ipse domum, sed in ejusdem quoque Pontificis familiares & ministros grati animi virtutem exercuit: [familiares Pauli vario promovet.] eorum namque alios vectigalibus auxit, alios excipiebat hospitio: quibusdam vero etiam publica mandabat munera: non nullos denique vel a sacris, vel a cubiculis adesse sibi volebat.**

**[342] Quos autem in laboribus pro Ecclesia Dei sustinendis, [Socios olim laborum remunerans,] in tuendaque Catholica religione socios habuisset, in eos, sive mortuos sive etiam vivos, grati animi officia studiaque pietatis cumulate conferebat. Nam cum Julium Antonium Sanctorium, Casertanum, [Sanctorium Cardinalem creat,] virum singulari doctrina & integritate ornatum, acerrimum Catholicæ fidei propugnatorem, contra hæreticos consortem habuisset; eum, simul ac Pontifex creatus est, Romam evocavit, mox S. Severinæ Archiepiscopum legit: ejusque diligentia ac fideli opera, cum aliis multis Ecclesiasticis in negotiis tum in primis in sacrosanctæ Inquisitionis munere, & in iis qui ad Episcopalem vigiliam assumebantur, uti dicemus, examinandis, continenter usus, quinto sui Pontificatus anno, cum aliis quindecim summis viris in sacrum Cardinalium Collegium adscivit. [Carpensi Card sepulcrum extruit:] Vita vero functos amicos ac socios pari grati animi beneficentia prosequabatur. In iis fuit Rodulfus Pius, Carpensis Cardinalis, quem quod olim ipse in salutari Inquisitionis officio egregium Catholicæ fidei defensorem esset expertus, insigni sepulcro in æde sanctissimæ Trinitatis Ordinis Minimorum, in Urbis colle Pinciano, pariter decoravit: ejusque præclaras virtutes ad perpetuam memoriam hoc elogio testatas esse voluit: Rodulfo Pio, Cardinali Carpensi, Principi Senatus, amplissimis Ecclesiæ Dei muneribus singulari prudentia perfuncto, juris Ecclesiastici defensori; a gratia, terrore,**

**voluptatum illecebris, & adversis casibus æque invicto; ad beneficentiam nato, in summa gravitate jucundissimo; Pius V Pontifex Maximus collegæ; & in custodia Catholicæ veritatis salutari Officii consorti, perpetuis de Christiana Republica sensibus studiisque conjunctissimo, hoc amoris & iudicii sui monumentum fecit.**

**[343] Ministris vero suis, & pro cujusque muneris dignitate conditoneque personarum, [liberalis erga ministros] & pro ratione temporis quo sibi deservierant, passim in Pontificatus processu tam prudenter benignum liberalemque se præbuit, eorumque operas sic remuneratus est, ut ex omni memoria nullus unquam Pontifex illi par fuisse diceretur. Quo quidem præstando liberalitatis officio eos alloquens, ex Evangelio usurpabat idemtidem illa verba: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. [Luc. 22] Ac præter extraordinaria, & quæ quotannis in Natalitiis Domini nostri Jesu Christi ac S. Joannis Baptistæ solenniis in ipsos ministros dona conferebat, magnis & aliquando nimis (ut ferebant) eos vectigalibus exornabat: [qui sibi olim Cardinali pauperi amanter servierant,] æquum enim sibi non videri, ut qui Pontifici Maximo fideliter inservissent, iidem postmodum aliis deservire per inopiam cogerentur. Cumque se ex tanta in suos ministros beneficentia vulgo reprehendi potius quam laudari comperisset; addebat, eos nulla præmiorum spe aut ambitione ductos operam sibi navavisse: quippe cum esset ipse Cardinalis angustis admodum præditus facultatibus, nulloque prope humani favoris præsidio suffultus, ac propterea nihil possent ab eo sperare subsidii, reliquum esse ut amore inducti sibi præsto fuissent. Tum vero cum ad id potestatis ipsum Deus extulisset; velle se vel ea ratione officiosos omnium labores & amorem, pro cujusque meritis & conditione, remunerari.**

[344] Eorum igitur alios aliis honorum gradibus decoravit: quintoque sui Pontificatus anno, [creat ex iis Cardinales Hieron. Rusticucium,] Hieronymum Rusticucium, Fanensem civem, qui sibi erat a secretis, in Cardinalium collegium cooptavit: in eorum publico consessu palam testatus, probatam ejus integritatem atque virtutem, ut ad ejusmodi gradum dignitatis ille proveheretur, exposcere. Quod eum iudicium minime fefellit: is enim deinde Senogalliæ factus Episcopus, quinque summorum Pontificum ex ordine sibi succedentium in Urbe Vicarii egregie perfunctus officio, anno MDCIII, mense Junio, dum hæc scriberemus, excessit; relicto præter cetera præclaro piæ liberalitatis suæ monumento: instaurata videlicet & summis impensis magnifice exornata, tituli sui æde S. Susannæ in colle Quirinali, sacrarumque Sororum ordinis Cisterciensis illi adjuncto cœnobio multis aucto beneficiis, & variis ornamentis expolito. Joannem Hieronymum Albanum, Comitem Bergomatem, virum eximia probitate parique juris prudentia ornatum, [& Hieron. Albanum.] cujus ante meminimus, Romam pariter accivit, Protonotarium Apostolicum dixit, Picæno provinciæ præfecit, ac demum purpureo galero decoravit, officii memor ab eo Bergomi jam pridem accepti. Sed longum esset singulos, in quos ipse grati animi studium variis temporibus ostendit, commemorare. His tamen duo vel tria ejusdem generis exempla subjiciam, ex quibus cetera queant facilius comperiri.

[345] Cum ab æde Lateranensi, cujus tum primum usitato more possessionem inierat, amplissimorum virorum comitatu constipatus rediret; [Pridem de se bene meritos, in turba dignoscens jam Pontifex,] Franciscum Bastonum, Boschensem, virum ex illius oppidi primariis, qui ejus accersitu paulo ante Urbem ingressus desilierat equo, Pontificemque adoraturus adstabat, recognovit: & qua vehebatur lectica jussa consistere, ad se hominem accitum perhumaniter salutavit. Hunc autem, quod jam

inde ab adolescentia militem egregium, honestum virum & probum, atque in se beneficum cognovisset, Romanae arcis Præfectum statim renuntiavit; ejusque filios Guilielmum & Albertum amplis honoribus decoravit. Guilielmum enim nunc Ticinensium Episcopum, virum spectata virtute, ad utriusque Signaturæ supplices libellos referendos, & ad munus Per concessum appellatum evexit: Albertum vero Equitem Auratum dixit, mox equitum turmæ levis armaturæ Ducem constituit, [amplis honoribus donisque remunerat.] & post patris obitum Arci S. Angeli præfecit, eique sororis suæ neptem uxorem dedit. In Vaticanum inde regressus, aulamque regiam prætergrediens, ex circumfusa multitudine agrestem quemdam itidem agnovit, qui sexdecim ante annis in tuguriolum suum ipsum receperat hospitio, Bergamo Cremonam versus aviis itineribus diffugientem, quæstione, de qua supra diximus, in Episcopum Superantium expedita. Itaque homini ad se accersito, licet alia omnia tum cogitanti, Ego, inquit, Dominicanus Frater ille sum, quem tu jam dudum hospitio suscepisti. Denique mille nummos aureos ad duas ejus filias collocandas, aliosque præterea quingentos in ipsius usus illi jussit dinumerari. Per eosdem dies Aurelium illum, cujus ante facta mentio est, Franciscani ordinis Sacerdotem, cui descriptam eandem quæstionem olim custodiendam commendaverat, pariter agnovit in frequentia sodalium ejus, comitiis suis Romæ habitis, ad sacros ipsius pedes osculandos ordine procedentium; eumque Lectriensis Ecclesiae creavit Episcopum: ratus videlicet, quem deposito curando in pauca fidelem cognovisset, eum de Christi consilio supra multa esse constituendum.

## CAP. VII

[346] Lenitas vero atque clementia, qua, ut sapiens ille dixit, nihil laudabilius est, nihil magno ac principe viro

dignius, in Pio sic etiam eluxit, ut veteribus illis clementiæ laude celebratis jure sit præferendus. Nihil in ejus moribus asperum, nihil in imperio cernereres superbum: [lenis & clemens] sed quod difficillimum est, mansuetudinem ita cum gravitate temperabat, ut neque de auctoritate facilitas, neque severitas quidquam de suavitate detraheret. Facilem quidem ac perbenignum sese omnibus ille præbebat, sed in primis humilibus & egentibus hominibus: omnesque tamdiu patienter auscultabat, quamdiu volebant ipsi, nec loquentem quemquam interpellabat. Erat in respondendo mansuetus: & quoties pro suo cuique desiderio satisfacere non poterat, id ipse ægre ferebat. Eo Pontifice creato, cum permulti memores suarum in eum offensionum, Roma demigrandum sibi putarent esse, confestim audiere id nullo modo committendum: neque videri se nosse, quis esset Pius Quintus: quippe qui injuriarum suarum vindex numquam fuisset, quique offensas omnes non modo facile deponere, sed easdem etiam beneficiis exæquare paratus esset. Quin etiam illud ferebatur, juvare, [etiam erga male de se meritos,] Pio nonnunquam offensiones afferre: quoniam officiis eas ipse compensare consuevisset. In quo vix satis ipse sibi facere videbatur: veritus, ne quam offensionis memoriam, vel vindicationis cogitationem ejus in animo delitescere suspicarentur: ac propterea sæpe illis multa concedebat, quæ aliis temporibus ab eo vix impetrari potuissent.

[347] Ejus Pontificatus initio, nebulo quidam, evulgato maledico & famoso carmine, [satyræ mordacis in se scriptæ auctori] Pontificem petulanter incessit: is subinde comprehensus & in quæstionem traditus, crimen est confessus. Quamobrem ex legibus, ab aliis Pontificibus olim præscriptis, cum universis quibus abundabat fortunis, tum vero severissimo genere mortis plectendus erat. Sed antequam lege in eum ageretur, jussit Pius illum coram se sisti, & carmen suum recitare, tum exponere,

cujus vel consilio vel voluntate id conscripsisset. Dicenti, se non nisi mali dæmonis id instinctu fecisse, Si tu mihi, inquit Pius, uti Summo Pontifici maledixisses, haud quaquam ferres impune: [culpam condonat;] at vero quia in Fratrem Michaellem, in monachum humilem, in Cardinalem Alexandrinum convitia jactasti, abi liber, quo velis. Ego vero humilitatem generis, vitæ & habitus mei semper & animo retinebo, & libens confitebor: eroque vilis & abjectus in oculis meis. Demum illum commonefecit, ne ejusmodi se scelere jam amplius obstringeret: jussitque ut si quid unquam ab ipso minus recte factum ille comperisset, se conveniret, atque id sibi renuntiaret: nam ad se ipsum emendandum bene paratum esse: atque ita reum dimisit impunem.

[348] Haud dissimile singularis clementiæ cum alias sæpe, tum vero in re Georgii Costæ, Comitis oppidi cui a Trinitate cognomen est, documentum dedit. Etenim Albensi Dominicanæ ordinis cœnobio, ut [a Costa Comite olim injuria affectus,] operis initio memoravimus, dum præsideret, ibique sacrarum ejusdem ordinis Virginum curam gereret; Comes ipse sorori suæ, in eum monacharum cœtum cooptatæ, dotem solvere cunctabatur. Ad hunc tum aleis adversa sorte ludentem, ejusmodi æris alieni qua par erat modestia, licet hora forte minus opportuna, commonefaciendum pius Pater cum accessisset; is petitionem alioqui justam indigne ferens, nisi ab se quam primum abscederet, graviter minatus est. Accidit proinde, ut ipsum jam factum Cardinalem, ac Montis-regalis Episcopum, ad visendam Ecclesiam suam, ut ostendimus, profectum idem Comes exciperet hospitio, perhonorificeque haberet, ignarus eum esse, cui olim interminatus esset: ubi cum a cœna inter se jucunde colloquarentur; Cardinalis ei nihil tale cogitanti, Ego, inquit, Frater ille sum, cui tu, amice Comes, aliquando tam acriter Albæ minitabare: [factum excusat Cardinalis,] sed acerbum illud responsum mihi promerui,

quod eo temporis momento te minime interpellare debuissim. Itaque hominis contumaciam excusans, eum pudore simul & timore suffusum benigne consolatus, bono animo esse jussit: seque illi esse ac perpetuo fore quam amicissimum ostendit; vel ex eo, quod illum a Catholica fide numquam abducere propinqui ejus hæretici potuissent. Illustrem clementi, animi significationem Comes admiratus, impensius eum colere instituit: qui postea gratulationis & officii causa, ut sit, Pontificaus initio, [& Papa hospitio eum excipit.] a Sabaudicæ Duce Orator missus ad Pium, humanissime ab eo fuit acceptus: quin illum non modo ut carissimi Principis legatum, sed ut singularem amicum, unum ex omnibus Principum Oratoribus, in Apostolicum Palatium hospitio suscepit: quam acceperat hospitalis animi gratiam cumulate referens, ac veteres offensas recentibus lenitatis officiis egregie compensans.

[349] At vero solebat suapte natura Pius de repente commoveri; & quod fervido esset ingenio, ad iracundiam incitari: & simul ac molesti quidquam præsensisset, [fervidiori ingenio suo bene utens.] succensum animi motum vultu præ se ferre. Sed motus ejusmodi aut cito quiescebat, aut statim in amorem convertebatur: nec satis omnino sibi factum putabat, nisi quibus succensuisset eos aliquo sibi mox devinciret officio. Quin turbidos animi motus ita noverat temperare, ut irato animo, ac multo minus odio in quemquam imbuto, cubitum se numquam contulisse testaretur; sic ut sol numquam occiderit super iracundiam ejus. Hanc autem naturæ propensionem, in Pontificatu administrando, accommodabat ipse vel rebus fortiter gerendis, vel justitiæ splendori a sceleratorum hominum injuriis vindicando: atque id pro ardenti suo studio pietatis, Ecclesiastico tuendo jure, ab eo fieri comperiebatur.

**CAPUT IV.**

**Iustitiæ servandæ constantia,  
etiam in honoribus deferendis.**

**CAP. VIII**

[350] Clementiam porro cum iustitia, ac mansuetudinem animi cum disciplinæ severitate, perpetuo sibi jungendam putavit. [Iustitiam clementiæ jungens,] Illa fiebat, ut eum boni diligendo, colerent iustitiam; hac vero, ut mali timendo, sceleribus temperarent: utraque autem, ut omnes in officio ac fide continerentur. Dum esset Cardinalis, ut operis initio demonstravi, una erat omnium vox, neminem esse, qui majore libertate sententiam diceret, qui minus ad gratiam loqueretur: & quæ vera rectaque erant, constantius aut animosius tueretur. Lectus vero Pontifex, cum in rebus omnibus, tum præsertim in gravissimo Signaturæ judicio, [pauperumque patronus,] tam faciendâ gratia quam jure dicendo, integerrimum se ubique præstitit. [Epist, 61. 2] Quo in judicio si quis pauper, vidua, pupillusve, præpotentem aut divitem haberet adversarium, Pius causa cognita pauperis patronum agens, de jure utriusque respondebat: & cum in numerum eorum, qui rebus in eo judicio referendis præfecti sunt, nimis multos relatos esse perspiceret, illos ipse ad pauciores redegit; eosdemque cum integritate & scientia, tum rerum usu præstantiores. Sed cum intelligeret, ut nihil usitatus, ita nihil fere perniciosius in civitatibus esse, quam lites extrahere, pauperumque clientium judicia perfide comperendinare; [audientiæ omnibus dandæ unum in hebdomade diem impendit.] ad hanc tollendam hominum perfidiam, & ut omnibus omnia factus, omnium, præsertim egenorum, rationibus consuleret; præterquam quod passim cuique benignas præbebat aures, certum diem cujusque mensis cunctis indixit, quo die toto quorumvis miserabiliem causis ac precibus audiendis operam daret. Audienti vero



causarum, de quibus ageretur, iudices & patronos adesse volebat: ipseque omnia patienter audire, supplices libellos inspicere, eosque si minus æqua continerent, coram rescindere; æqua petentibus illico jus dicere; nullum cavillationibus aut calumniis locum relinquere; in pauperum causis non minus benignum advocatum, quam æquum se iudicem præbere.

[351] Iudices & causidicos, quos vel mala fide, vel per negligentiam aut inscitiam officio defuisse constaret, [culpas justitiam administrantiam plectit,] acriter increpare, severeque punire; ac si quid in his accidisset majore consideratione dignum, id Judici, ad quem negotium ex officio pertineret, definiendum ea lege committebat, ut juris dicendi celeritate perficeret, ne quid amplius ea de re ad se referri posset; secus vero alios pauperum damna præstare, alios magistratu cedere oportebat. Inter hæc vidisses Iudices non modo coram ipso, sed pro tribunali suo, vel audito Papæ nomine, clientibus ad eum interdum provocantibus, confestim metu contremiscere. Sed cum ex notariorum seu imperitia seu fraude, plurima damna vel multarum occasionem litium oriri comperisset; tum sacri Concilii Tridentini decreto tum reipsa quoque doctus, urbanos in notarios & causarum procuratores omnes, [in eorundem capacitatem inquiri,] de integritate vitæ ac de sufficienti rerum civilium notitia jurisque prudentia, per idoneos viros diligenter inquiri & examinari curavit: illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, & causis exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibitum esse voluit. Civitatum præterea locorumque præfectos & magistratus, in reddendo jure delictisque puniendis, eadem qua ipse legum severitate uti jubebat: eosque, sive urbanos sive provinciales, officio functos, administrationis quemque suæ fisco rationem reddere; ac si quis eorum de re male gesta delatus esset, [rationem exigit ab officio functis.] is in iudicio causam

dicere lege cogebatur. Ceterum ipse omnia cognoscere, non tamen omnia ad vivum resecare: sed parvis peccatis veniam, majoribus severitatem noverat commodare: nec pœna semper, sed quandoque pœnitentia contentus esse; curareque ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniret. Itaque fiebat, ut facilius omnes sese continerent in officio, & lites citius dirimerentur, & suus daretur justitiæ locus; & omnium, in primisque tenuium hominum, rationibus bene consuleretur.

[352] Quæ quidem omnia ut commodius efficerentur, universis, sive privatim sive publice, [Comis ergo omnes salva semper auctoritate;] tam promptam benignamque faciebat audientiam, ut neminem, licet humilem & abjectum, ad se accedentem prohiberi pateretur. Quin iis quos Pontificiæ majestatis reverentia præpediri cognovisset, sese dabat ultro; & comiter alloquendi supplicesque libellos porrigendi, non modo potestatem, sed animos quoque faciebat. Nec tamen ei, quod rarum est, aut facilitas auctoritatem, aut amorem severitas imminuebat: sed ut facilitas ad eum bonis aperiebat aditum, ita severitas ab eo improbos arcebat. Hinc mimi, adulatores, sanniones, atque alia id generis hominum monstra, quæ ei vehementer displicebant, eo Pontifice declarato, [odit adulatores] propere ab Urbe discesserunt: ac si quis eorum ibi remansisset, is insane hiscere non audebat: atque ubi Pius adfuisset, inde sese proripiebat fuga: nemoque fuit omnino, qui vel serio vel joco verba faciens, coram eo auderet adulari. Nec injuria id hominum genus a se propulsabat, memor divinitus scriptum esse: Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. [Isai. 3] Merito namque salubria nostra ac vera consilia nihil promovent, ut ait sanctus ille Martyr, dum blanditiis & palpationibus perniciosus salutaris veritas impeditur. [S. Cypr. Epist. 28] Sed Pio nemo fuit unquam aut mendaciorum inimicior, aut amantior veritatis: [& mendaces;] quam usque adeo

coluit, ut quemcumque mendacem semel deprehendisset, is numquam amplius in gratiam ejus redire posset: idque re ipsa declaravit in propinquum suum: quem, uti dicemus ob id a se ita repulit, ut ille pristino apud eum loco numquam esse potuerit.

[353] Datam vero fidem ita præstitit, ut nemo magis. Dicebat enim, quovis homine vel obscuro ac vili, ne dum principe viro, indignum & indecorum esse, quidquam simulate polliceri, quod præstare minime cogites: idque multo minus Christi Vicario convenire; [Simulationis omnis expers & in promissis fidelis] turpeque & iniquum esse, ab eo quemquam recedere, quod rectum semel esse bene judicasset. Dictum vero probavit exemplis. Nam viri principis Oratore, muneris dignitatem, quam Pius demortui hominis, cui id jam antea promiserat, filio dare cogitabat, efflagitante; Omnes, inquit, orbis terrarum Principes una simul, promissis ne starem, haudquaquam efficerent: idque eo minus erga mortuos. Quare illud nullo modo probandum judicabat, quod vulgo dictum circumfertur, Qui nescit simulare, nescit regnare. Atqui summam ipse integritatem & fidem, ut æquum erat, aperte professus, [tales quoque volebat esse ministros suos.] perpetuo cavit, ne aut quemquam falleret, aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habens, aut arcana fidei suæ credita cuiquam enuntiaret. Qualis erat ipse, tales & suos ministros, tales & omnes, præsertim quibus eum sibi negotium esset, sese præbere cupiebat. Regibus, atque Principibus denunciavit, ut ad residendum apud se Oratores mitterent, qui studio religionis & ingenui animi laude præsterent, quique bona fide cuncta peragerent.

[354] Difficilem vero se præbuit & iis rebus concedendis, quæ Ecclesiasticis sanctionibus repugnarent, & in facienda gratia legibusque solvendis: [quam esset legum tenax] ut propterea non auderent homines ab eo

quidquam petere, quod minus rectum aut iniquum esse videretur. Ac de Pii quidem virtute tam celebris fama percrebuerat, ut fortunati censerentur, qui ab eo quidpiam impetrare potuissent: nam vel hac ratione non solum suam ipsorum in eum observantiam tuebantur, sed magnam etiam probitatis opinionem sibi apud omnes conciliabant. Cum in Bohemia, sacrosancta Communionem sub utraque specie, illis populis olim concessa, perverse complures uti, [experti Bohemi, ob Communionem sub utraque specie:] atque inde ceteris eis finitimis gentibus erroris occasionem dari jam pridem animadvertisset; ad hanc tollendam corruptelam, Pragensi Archiepiscopo atque aliis illius nationis Episcopis interdixerat, ne quemquam ejus participem Communionis sacris Ordinibus initiarent. [Epist. 91. 2] Itaque Maximilianus Cæsar, ut interdictum ipsum laxaretur, per litteras a Pontifice contendens, multa prætendebat: quibus Pius nihil inflexus, ut eos populos interdicto solveret, aut contra communem Ecclesiæ disciplinam quidquam indulgeret, adduci numquam potuit. Sed longum esset, alia multa ejusdem generis exempla ab eo relictæ commemorare. In illud vero diligenter incubuit, ut ad priscum illum religionis splendorem & apud homines venerationem, tum Apostolicæ Sedis dignitatem tum etiam omnem rei Ecclesiasticæ statum revocaret, pacatamque & tranquillam omnes degerent vitam. Quod quidem ad perficiendum disciplinæ severitatem oportuit adhiberi: ac certam improborum hominum partem vindicari, ne tota Respublica periret: sciens, digitum quandoque præcidi oportere, ne brachium corpusque ipsum contabescat.

[355] Itaque ditio Pontificia, atque adeo Roma ipsa, pro superiorum temporum licentia, cum esset exulibus profligatisque sæpe vexata latronibus; [purgans ditionem latronibus,] ad hanc exterminandam hominum pestem, Pontificatus initio delegit Pius ministros expeditos, quibus amplam fecit potestatem, pecuniamque dedit ac militem,

soluta stipendio. Atque ita quamplurimi depulsi, complures cæsi, ceteri voluntariam in fugam dissipati: ex quo tuta tranquillaque facta sunt omnia. Id tamen summa fide parique integritate præstandum curavit: nil passus per fraudem quemquam circumveniri. Erat per id tempus Marianus quidam Asculanus, latronum & exulum ductor insignis, qui ditionem Ecclesiasticam variis latrociniis ac cædibus graviter affligebat. Hunc quidam ab se vinctum dare Pio pollicebatur; sed rogatus a Pontifice rationem ac viam ejus rei conficiendæ, Marianum amicum sibi esse respondit: [nec in hos quidem fraude vult uti.] ac propterea, cum amico fideret, in domum seductum per insidias facile captum iri. Cui Pius; Siccine, inquit, vis tu fidem fallere, prodereque amicum? Nos id haudquaquam fieri patiemur, freti Deo, nobis opportunam in Marianum animadvertendi, atque hanc a latronum manibus provinciam vindicandi occasionem non defuturam. Quod cum Marianus rescivisset, Pontificis magnitudine animi, clementia ac fide vehementer commendata, sponte sua una cum universo comitatu regionis ejus finibus excessit: neque, hoc Pontifice, voluit amplius imperium Ecclesiasticum divexare.

## CAP. IX

[356] At enim ut pravos homines, vel potius pravorum improbitatem, quique eam non odissent, ac maleficos veluti pestem detestabatur; ita probos ac virtutibus excultos vehementer diligebat, magnisque a se muneribus & officiis ornatos complectebatur. [honores dignioribus confert:] Quin etiam per litteras ab universis Episcopis, ut supra jam sæpe memoravimus, & ab iis qui adibant ad se quærere consueverat, an per terrarum orbem viros probitate, eruditione, & rerum usu præcellentes cognoscerent, qui Christianæ reipublicæ navare operam possent: ac si quos esse intelligeret, eos vel honestis conditionibus Romam evocabat, ibique vel

alibi publicis muneribus præficiēbat. Itaque sicut virtute præditorum hominum meritis æstimandis, acerrimi judici; sic iis etiam ad præclara quæque tum excitandis tum provehendis, promptæ semper & efficacis fuit voluntatis. Hinc vero factum, ut unum & viginti lectissimos viros in sacrum Cardinalium Collegium, tribus creationibus, [creatis 21 Cardinalibus] statis temporibus habitis, prudenter cooptarit. Quibus de singulis hoc loco scribere, non est necesse: plerosque tamen, prout res tulit, suo loco nominavimus. Sed quo pauciores Cardinales, quod satis multos a Pio IV lectos invenisset; eo plures quam alii Summi Pontifices, pro tempore quo sedit, per diversa loca creavit Episcopos: quos ad trecentos quatuordecim fuisse reperio. Augendi numeri causa triplex esse potuit: [Episcopis 314,] quod usitatos ad sacras dignitates regressus sustulisset; quod nonnullas Episcopales Sedes novas instituisset; quod antistites omnes ex Tridentini Concilii decreto in sua quemque Sede residere curavisset. Ceterum iis & aliis sacrorum administris legendis, non tam externum splendorem aut Principum gratiam, quam insignem probatæ vitæ integritatem, aliaque animorum ornamenta spectare; nec tam homines dignitatibus & Ecclesiis, quam dignitates & Ecclesias hominibus ornare & juvare consueverat. [Epist. 13 & 14 lib. I, Epist. 2 l. 2, Epist. 31, 32, 33 lib. 3, Epist. 9 l. 4] Quod ut rectiori consilio præstaretur, ipse ex ejusdem Concilii sanctione primus effecit, ut qui ad Episcopalem dignitatem & onus essent promovendi, prius de vitæ integritate, [præmisso examine congruo.] deque necessaria ad tantum ministerium eruditione ac scientia, a peritis probatisque viris ad id ab eo delectis diligenter examinarentur: qui vero minus idonei reperti fuissent, rejicerentur.

[357] Ac licet personarum acceptio apud ipsum locum non haberet, & modo dignus esset, [Ad Religiosos promovendos propensioem se exhibet,] neminem excluderet; ex omnibus tamen libentius eligebat eos,

quos sacris Regularium in familiis ad Christianæ perfectionis formam, quæ potissimum elucere debet in Episcopis, & ad regendas animas multum eruditos diuque exercitatos esse cognosceret: quos præsertim ad id non ambitio, sed caritas adigeret, urgeret obedientia. Ex hoc numero duos inter alios exempli causa memorabimus; Cardinalem unum, alterum Episcopum. Hieronymus Socherus, Gallus, Monachorum Cisterciensis ordinis generalis Præfectus, ob excellentem vitæ sanctitatem ac doctrinam a Pio lectus Cardinalis, pro singulari sua modestia, tantam dignitatem suscipere constanter abnuit: [in quibus Socherus & Saulius fuere.] sed Pontifici semel & iterum in virtute sanctæ obedientiæ præcipienti diutius obsistere non potuit. [Epist. 7 l. 2] Alterum (ut e domesticis exemplis non gloriandi causa, sed pii gratique animi studio aliquid proferamus) Alexandrum Saulium, Dominici viri clarissimi patritii Genuensis filium, Theologum eximium, ac summa prudentia parique probitate præstantem, optime novimus: quem Pius ex hoc Clericorum regularium S. Pauli Ordine, tunc Mediolanensis collegii S. Barnabæ Præpositum, licet invitum & magna modestia se indignum esse profitentem, cum lacrymisque diu repugnantem (S. Carolo Borromæo Cardinale S. Praxedis, Archiepiscopo Mediolanensi, a quo fuit consecratus Episcopus, procurante) ad Episcopalem Sedem Aleriensem in Corsicam pertraxit. Quam Ecclesiam cum ille summis laboribus verbo & exemplo, per annos viginti & amplius, ad Christianæ disciplinæ rationem egregie instituisset, & quasi ex inculta silva florentem hortum reddidisset; eum Gregorius XIV Pontifex Maximus ad regendam Ticinensem Ecclesiam transtulit: sed hanc ille dum strenue perlustrat, magno totius gregis sui bonorumque dolore, pastor egregius ac vere pater pauperum appellatus, ad æterna, ut pie credimus, laborum suorum præmia, anno MDXCII mense Octobri, senex emigravit.

[358] Ceterum ut Ecclesia suam obtineret auctoritatem, universis Episcopis atque Præsulibus Pius edixit, [Sedulus pro jurisdictione ecclesiastica tuenda,] ut nulla cum formidine officia quisque sua fortiter præstantes forum agerent, judicia exercerent, Ecclesiasticamque potestatem tuerentur: ac siquando eos in jure Sacerdotibus dicundo ab laicis Principibus impediri, ut fit, aut oppugnari intellexisset, curam ipse suscipiens, auctoritatem interponebat suam: dabatque operam, ut jus suum Ecclesia retineret: Principesque ipsi magno in beneficio ducerent, si de rebus in sacra jura gestis veniam impetrare potuissent. Episcoporum vero negotiis & causis, quæ sæpe incidunt, audiendis, definiendis ac protegendis certum eruditiorum Cardinalium numerum primus ipse præposuit, qui una statis diebus & horis congregati, Apostolica auctoritate, quod rectum ille videretur, [geminam Congregationem Cardinalium ad id instituit:] decernerent ac responderent; si quid vero gravius incidisset, ad Pontificem referrent: sicuti deinceps præstitum fuit. Aliam porro Cardinalium congregationem instituit, qui libris interdictis aut interdicendis præfecti, in eos inspicerent; ac vel corrigendos, vel damnandos, vel jam in Indice Apostolica censura notatos pari auctoritate cavendos curarent. Ceterum a piorum cœtu segregatos esse voluit Clericos quoslibet, [acriterque prohibet recursum ad laicos.] qui deinceps in Ecclesiasticis causis, aut ad secularem Judicem provocassent, aut laicorum Principum gratia se contra Ecclesiam tutari conarentur: eosque infamia notatos, numquam idoneos fore ad sacros Ordines, & ad consequenda beneficia declaravit: eos privans his, quæ jam obtinerent.

## CAPUT V.

Ejus fortitudo, prudentia, modestia animi,  
castimonia, frugalitas.

## CAP X



[359] Ecclesiasticam ergo ditionem ac jura singulari & perpetua constantia defendens, coërcens improbos, probos vero præmiis ornans, Pontificiam majestatem auxit plurimum. Etenim in unam Christianæ reipublicæ curam intentus, [In suo munere excedo respectus omnis humani expers,] supremam illam dignitatem non humanis consiliis, sed uni divinæ voluntati referens acceptam, ac nullius hominis vel potestatem vel gratiam respiciens, auctoritatem suam fortiter exercebat: illud aperte professus, non solum se nullis aut perturbationibus animi, aut privatis commodis duci vel commoveri; sed etiam in actionibus suis, nihil præter unum religionis bonum, & quidquid cum illa conjunctum esset, prorsus intueri. Proptereaque dicebat, apud Christianos hanc vivendi legem perpetuam esse debere: ut ad sacrosanctæ religionis regulam cuncta dirigantur, honorique divino nihil anteferatur. Itaque illos audire non poterat, qui ditionis jus statusve causam, sacris legibus vel Christianis moribus præferre conarentur: dicereque solebat, causam ejusmodi, causam esse diabolicam: & tamen ita perfecit, ut eum Principes ac nationes omnes & amarent unice, & vero etiam vererentur. Quippe qui probe nossent dicereque solerent, illius vitam ejusmodi esse, ut in ea cum semper reperirent aliquid boni, quod imitarentur, nihil invenire possent improbi, quod calumniarentur. At vero quemadmodum corpore ad labores omnes perferendos erat assueto, [profitetur nec mortem a se timeri.] sic tantus inerat illi vigor animi, ut nec secundarum insolentia rerum difflueret aut inaniter efferretur, neque ullo genere calamitatis unquam frangeretur. Quisquis vero vel auctoritate vel minis eum superare contendisset, hunc statim ipse retundere, irritosque conatus ejus efficere non verebatur: vel illud coram objectans, se martyrii pœnam non modo non extimescere, sed etiam vehementer optare: sicut enim ipsum Deus in eo statu collocaverat, sic eumdem posse contra omnem humanæ potestatis impetum egregie

ipsum defendere divinitusque tueri. Itaque de illo vere dici potest, quod scribit quodam loco S. Cyprianus: non animum martyrio, [Sermo de mort.] sed martyrium animo defuisse. Ac spe fretus ejusmodi tantopere fidebat Deo, ut maximis ac potentissimis quibusque Principibus causa religionis fortiter obsisteret: & quoniam hominibus placere non studebat, loquebatur in conspectu Regum, & non confundebatur.

[360] Ea porro sapientia, eaque prudentia, atque in rebus omnibus moderatione præditus erat, [Tardus ad accusationes probatorum sibi ministrorum recipiendas,] ut heroicarum lumina virtutum in eo mirabiliter elucerent. Administros famulosque suos, quos longo tempore bonos esset expertus, nullis calumniis adduci poterat, ut deserendos putaret: ratus insitam jam inveteratamque de eorum probitate opinionem facile immutare, genus quoddam esse levitatis. In quo eo magis sibi constandum esse arbitrabatur, quo sæpius rerum, quarum illi insimulabantur, secreto cauteque veritatem explorando, eas omnino fictas aliquando esse comperiret. Quo in genere quam cautus esset minimeque præceps, cum plurimis in actionibus, tum in primis ex eo quod contigit Joanni Morono Cardinali, aperte licet intelligi. Paulus Maria cognomento Castellanus, Pontificiæ custodiæ militum Præfecti Vicarius, Pio aliquando renunciavit, homines duos ex oppido Castellatio, non longe a Boscho, retullise, se & coram & per litteras, ejusdem Cardinalis nomine, maximis pollicitationibus ad Pontificem interimendum sollicitatos fuisse: ejus rei tot afferebantur inidicia, quæ Pium ad quæstionem in Moronum exercendam possent impellere. Verum providens ipse, [quia calumniosas sape deprehenderat;] id, quod res erat, dolose confictum esse, cum Morono collocutus, nihil ei molestus esse voluit: sed ejusdem Castellani opera calumniatores illos Romam caute perducere curavit. Ubi ad cognitionem veritatis in quæstionem dati, confessi sunt,

se maximorum spe præmiorum adductos, id nequiter excogitavisse: ac propterea non præmiis, sed meritis suppliciiis affecti publice fuerunt. Quin Pius Moronum ipsum, utpote virum summa prudentia ac rerum usu præcellentem, semper plurimi fecit: ac prudenti ejus consilio ad res graviores conficiendas libenter utebatur.

[361] [minus credit Cardinalibus alteri obnoxiiis,] Sed enim parum fidebat Cardinalibus, Principum negotia procurantibus; eos fere omnes suam quemque rem curare intelligens. Quod si quis opera Cardinalium ejusmodi apud ipsum uti voluisset, is nisi prudenter egisset ac moderate, suspectum reddebat sese; & non modo jacturam existimationis, sed alia quoque subibat detrimenta. Ceterum suspiciosi habebatur ingenii, nec alienis vel sermonibus vel consiliis facile credebat: non ignarus quantopere in hominum animis valeant sui cujusque boni cupiditates, & priorum desideria commodorum. Quæ vero in illius mente cogitatio primum insedisset, ea quidem sibi altius defixa inhærere consueverat. [icet facilis ad aliena consilia audienda.] In alienis tamen consiliis audiendis & in rebus consultandis haud pertinax erat: sed ut recti rationisque capacissimus, in alienam sententiam, quando melior esset ac tutior, facile deducebatur. Atque hujus quidem rei, contra vulgarem quamdam opinionem, Principum Oratores & alios summos viros, qui cum eo sæpius agebant, auctores habeo locupletissimos.

## CAP XI

[362] Nulla splendidior gemma, in omni præcipue ornatu Pontificis, teste S. Bernardo, est ipsa humilitate: quo enim celsior ceteris, eo humilitate apparet illustrior & se ipso. [Lib. 2 de Consid.] Quare, licet in alto positum non altum sapere difficile sit & omnino inusitatum, & quanto inusitatus tanto gloriosius; tamen a Pio, in summo alioqui

rerum humanarum fastigio collocato, [Quanto altior tanto humilior,] tantum abfuit ut de se ipse alta vel sentiret unquam vel prædicaret, ut in oculis suis nihil se ipso esset abjectius, nihil humilius: quippe qui nosset se gerere personam ejus, qui dixit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Itaque Sapientis secutus consilium, quanto major erat, tanto magis se submittebat in omnibus: atque ita summam coram Deo & hominibus gratiam invenit. [Matth. II Eccli. 13] Qua quidem ille virtute sic excelluit, ut quanta ad dignitatem & honorem, [sicut adolescens nomen familiæ occultarat,] tanta ad Christianam humilitatem in eo fieret accessio. Nam adolescens, cum inter Dominicanos Fratres Bononiæ, ut initio diximus, studiorum causa commoraretur, ibique Gislericæ gentis nomen haberetur illustre; inde genus se trahere non modo non ostentavit, sed ne cuiquam innotesceret diligenter procuravit: veritus, ut ipse postea dixit, ne ex honorifico familiæ nomine inanis gloriolæ sibi quidquam adhæresceret; contra institutum ejus, qui se humanam vanitatem omnem contemnere professus esset. Eo porro magis & Cardinalis & Summus Pontifex, [sic Papa fastum omnem fugit:] inanem omnem mundi fastum ac pretiosum apparatus, privatim & publice, quatenus per dignitatem posset, evitabat. Ejus enim cubicula vel nuda, vel aulæis minus exquisitis ornata, in iisque non profanae tabulae, non inania signa conspiciebantur: sed, his remotis, Christi de cruce pendentis effigiem sacrasque imagines ipsum habere delectabat.

[363] Die cœnæ Dominicæ sacro, de more aliorum Pontificum, tredecim pauperibus, singulari ejus cujus vices agebat in terris exemplo, pedes non modo procumbens lavare, [pauperum pedes lavans] sed etiam exoculari consueverat. Inter hæc aliquando multis eximio virtutis documento fuit, cum fædo ulceri, quo ex ipsis egenis unus laborabat in pede, in gratiam ejus, qui animarum, nostrarum sordes lavit in sanguine suo, sacrum

osculum infigere talis ac tantus Princeps non exhorruit. [fœdum ulcus etiam osculatur:] Quæ res inspectantium animos ita permovet, ut pia præ admiratione a lacrymis temperare nequiverint: in iisque vir princeps effusius collacrymans, edixit: Si coram universis hominibus hoc edi posset exemplum, fieri non posse, quin vel pernicaces hæretici ad Catholicæ veritatis cultum converterentur. Qui vero ipsum vel in minimis corripuerent, quod magnum est, teste S. Gregorio, Christianæ submissionis indicium, eos valde diligebat: parumque fidebat iis, qui, ut fit, [amat arguentes se:] præsertim apud principes viros, ejus dicta factaque omnia dilaudarent. Cum aliquando quispiam de familia sua, uti probus, iisque præditus virtutibus, quæ domino suo quempiam amabilem carumque solent efficere, apud ipsum commendaretur; Bonus ille quidem, intulit Pius; sed mihi numquam contradicit. Non enim ignorabat, miserum esse Principem, apud quem vera reticentur: ac Regum opes sæpius assentatione, quam hostibus everti. Rerum autem humanarum sive splendorem sive magnitudinem parvi faciebat: neque vero malis artibus, vel ad hominum gratiam vel ad honores, unquam aspiravit. Quin potius nihil minus quam de honoribus cogitantem, [& solius virtutis merito evehctus in solium,] ac recto semper itinere gradientem, & de sola virtute sollicitum, ipsi eum ultro sunt honores consecuti. Neque enim fumosæ majorum imagines, ut gravis quidam auctor de illo scriptum reliquit, non invidiosa divitiarum magnitudo, non eblanditæ Principum commendationes, viam ei ad Pontificatum munierunt, sed eadem illa virtus, quæ ipsum ab incunabulis susceptum comitata est, in illo summo dignitatis solio suis ipsamet manibus eum collocavit.

[364] Vera igitur narrabat, familiares suos ad cavendam ambitionem adhortans, cum diceret, se pro adipiscendo Pontificatu neque pecuniam, [fatetur eo nec cogitatione quidem aspirasse,] neque favorem hominum, ac ne

cogitationem quidem adhibuisse: quin ejusmodi gradum, ad quem alioqui summa contentione pervenire multi conantur, cuiquam haud esse desiderandum: & quæ illum comitantur, molestias sibi graviore videri, quam unquam fuerit vel onus paupertatis in cœnobio sibi degenti, vel quodvis aliud afflictionis genus aut etiam laboris: eamque dignitatem ad æternam salutem sibi quodammodo esse impedimento: itaque commiserandum potius, quam invidendam conditionem suam esse crederent: ab eo enim die, quo in Pontificatum fuerat evector, [sed neque optabile quidquam in eo reperisse:] nullam se horam sine solitudine ac molestia transegisse. Quin potius splendorem & magnitudinem, quam in me, inquit, intuemini, nihil aliud, quam spinas pungentissimas ego semper reputo: quæ animum stimulant meum, quoties subit recordatio, quid ex officio præstare debeam, & qualem rationem commissi mihi muneris Omnipotenti Deo sim redditurus. Quare cœnobiticæ vitæ sibi cum sæpius veniret in mentem, veluti alter Gregorius, ad eam summis votis anhelans, aiebat, se tranquillitate vitæ aut perfecta quiete numquam potitum esse, nisi in provincia sua, dum vitam duceret religiosam: pœnituitque se id oneris subiisse, cui sustinendo se viribus imparem esse sentiret: ac propterea eo sese abdicare aliquando cogitavit. Qua de re ad Petrum Montium, Jerosolymitanæ militiæ Magistrum, quæ extant, ipse manu sua litteras dedit: sed quas in iis litteris legere est, rationibus demum acquiescens, ad divinam se voluntatem conformandum putavit. Verum, ut alia non pauca singularis ejus modestiæ argumenta præteream, illud hoc loco minime silendum videtur, quo ipse iis rebus despiciendis, quas demirari mortales solent, quanti faciendæ essent, aperte declaravit. Cum Romani, ejus integritatem vitæ & optimam Reipublicæ moderandæ rationem admirabiliter extollentes, [statuam sibi erigi in Capitolio vetat.] in Capitolio statuam illi decrevissent; ipse, ne id ullo modo facerent, imperavit: nam si quid a se fieret boni, inde

honorem & gloriam esse omnem ei tribuendam, qui bonorum omnium summus auctor existit. Malebat enim ad gloriam Dei, se prudentium ac bonorum virorum pectoribus insigne virtutis exemplum insculpi, quam in foro marmoreus aut æreus perpetuo stare: haud ignarus, eximiam virtutem sponte decus consequi suum, nec ullam speciosiore esse statuam, quam præclaram bene actæ vitæ memoriam.

## CAP. XII

[365] Ea porro continentiae laude floruit, nihil ut non pudicum & castum de illius vita fuerit unquam auditum: quin illud certum esse fertur, eum virginitatis florem illibatum perpetuo custodisse. [Licet illibata virginitate vixerit] Ejus vero integritatis præter alios locupletissimus testis fuit Archangelus Blanchus Viglebanensis, vir pietate & doctrina insignis, quem ipse ex Dominicana familia assumptum, primum Theani Episcopum, deinde Cardinalem creavit. Is enim testabatur, sacras illius in omni vita, hoc est cœnobitam, Cardinalem, denique Pontificem Maximum agentis se confessiones audivisse, [omnis culpæ mortalis expers,] neque tamen unquam letalis culpæ labem in eo deprehendisse. Id ipsum insuper asseverabat Balneoregiensium Episcopus, qui etiam per multos annos illi a confessionibus fuit. Non defuere tamen nebulones, qui per fraudem & calumniam, turpem impudicitiae notam ei conarentur inurere: ut solet proborum virtus improborum ubique studiis exerceri. Neapoli Romam profectus juvenis pistoris famulus, se hoc Pontifice genitum esse palam dictitabat. Quare dubitatum, [fuit tamen qui se filium ejus fingeret,] ne is vel ab hæreticis vel ab aliis hominum pestibus, præclarum Pii nomen obscurare nitentium, ad id facinoris esset impulsus. Ea super re litteras ille contexens identidem, in compedibus demum causam dicere cogitur: ubi in quæstionem traditus, quoties quæsitus est, toties

sibi minime constants mendaxque deprehenditur. Etenim epistolam, quam se a Pontifice Cardinalem agente accepisse dicebat, ementitam esse constabat: quippe quæ data esset Januario mense, anno MDLVII, cum ipse mense Martio consequente creatus esset Cardinalis. Itaque ab ipso nebulone dictata fuit: quemadmodum & duorum testium, quibus coram ea scripta fuerat, & ejus qui octavo die antequam ille vocaretur in iudicium eam exararat, constanti testimonio probatum fuit. Ad extremum confessus ille, ut commodis consulere suis, id pravi cepisse consilii, Judicum decreto per urbem Romam virgis cæsus ad triremes in perpetuum damnatus est. [de calumnia palam convictus.] Proinde Judex quidam Romanus, nomine Petrus Albicinus, certis de causis Pio factus invisus, secessit in Galliam: ubi sæpe rogatus ab Admiratio Colignio atque ab aliis Hugonotorum Ducibus præmiis alliciebatur, uti juvenem illum Pontifice progenitum esse mentiretur: ut Pio videlicet, apud eas gentes bene audienti, tam fœdam maculam aspergerent: verum ejusmodi calumniam Deus avertit, atque ita mentita est iniquitas sibi.

### CAP XIII

[366] Quemadmodum Pius & in Rempublicam liberalis, & in eos, quos spectata probitas, vel præstitum inservientis officium, vel alia ratione in eum exercita benignitatis virtus commendaret, mirifice beneficus fuit & gratus, ita erga se magnam perpetuo frugalitatem ac parcimoniam exercuit. Nam cum in omni vita sua, tum in primis in summo illo dignitatis gradu collocatus, eam temperantiam retinuit, ut in Pontificatu perexiguos sumptus in diurnum victum suum fieri voluerit. [Ad corporis refectionem moderatus & frugalis] Dicere vero solebat, hominem gulæ illecebris addictum, castum esse non posse: proptereaque monebat, cibum tamquam medicamentum esse capiendum ad instaurandas vires



corporis, ut eo sumpto, actionibus quisque suis operam dare non impediretur: atque hoc quidem in omni vita servavit ipse diligenter. Ut rebus audiendis liberius posset operam dare, ut plurimum non prandebat: sed tempestive peracta re divina, breve jentaculum sumebat, aut sorbendis binis ovis, aut jusculi parum ebibendo: quandoque vero etiam prandebat simulque cœnabat: idque frequentius publice. Ad pellendam vero sitim, sive in prandio sive in cœna, bis terve ad summum pocillum bene dilutum exhauriebat. Cibos autem ut plurimum ex oleribus amaris, & magna simplicitate, sale tantum & oleo, præsertim dum jejunaret, nec aromatibus aut saporibus gustatum acuentibus volebat esse conditos: ceteroqui usus paulo commodiore victu, dum esset Cardinalis. Accumbenti vero sibi cum magnam rerum omnium munditiam, [lectionem mensæ suæ adhibens] tum in primis sacram perpetuo voluit lectionem adhiberi: ac precipue S. Bernardi libros de Consideratione ad Eugenium (quibus videlicet, quæ pro honore Dei ac totius Ecclesiæ bono animarumque salute considerata sunt, luculenter edocentur) sæpius prælegi curabat: sententiarumque gravitatem attentissime ponderans, quæ suo tempore & loco exequeretur, secum ipse diligenter conferebat. Quem quidem prælegendi ritum sane perantiquum, a multis intermissum, & Cardinales & alii præterea sacri Proceres, ejus exemplo, deinceps in usum revocare cœperunt.

[367] Neque vero sibi nova vestimentorum genera comparavit, contentus veteribus Pauli IV, quoad honeste indui potuerunt: neque item per annum totum indumenti quidquam innovavit, [& vetusto ac rariori vestitui assuetus,] præter laneam tuniculam, qua loco lineæ subuculæ semper est usus: increpuitque ministrum, qui ei ejusmodi tunicam ex subtiliori panno confici curaverat: quam etiam ob id induere noluit, solita, quæ crassior erat & vilior, omnino contentus. Oblatum panni munus ex lana

Conchensi, quod pretiosius ac delicatius esse sibi videretur quam suus ferret usus, recusavit. Nihil igitur in vestibus, nihil in reliqua vitæ ratione, præter exteriorem habitum, immutavit: sed eandem quam privatus tenuitatem, eundem cultum ac disciplinæ severitatem præstitit. Ceterum peracto sacrosancto Missæ sacrificio, & eo, [se totum negotiis expediendis impendit,] quod diximus, jentaculo bene mane sumpto, negotiis audiendis operam impendebat. Quo in labore, æstate quidem ad horam usque nonam, hieme vero ad solis occasum, sæpe vero etiam ad multam noctem prorsus immobilis persistebat: tanto vero ante lucem exurgebat, ut ad eum consulendum prælatis facibus accederetur. Medicis suis ac familiaribus nimios labores in tam assidua diuturna que auditione illi brevioris vitæ causam fore caventibus, principe viro sane dignam sententiam respondit: Se videlicet a Deo in eo gradu collocatum, non ut sua, sed ut aliena commoda procuraret: ac Reipublicæ Præfectum conscientiæ magis, quam corpori suo satisfacere oportere. Rarius ac serius loqui solebat: sæpe laborans in verborum, quæ propria & significantia esse sibi viderentur, inventionem. Ceterum ejus ex ore nullum fere verbum excidisse fertur, quod non vel ad Dei honorem, vel ad suam aliorumve salutem pertineret.

## CAPUT VI.

### Moderatus erga propinquos & domesticos affectus.

## CAP. XIV

[368] Neque vero in se tantum, sed in agnatos etiam suos ac propinquos eximiam temperantiam, ac modestiam tenuit. Non enim, ut diximus, acquievit carni & sanguini, nec eum ab recto suorum amor inflexit: sed in eos ita se gessit, ut nec pauperes & humiles contempsisse, nec tenuis amplis divitiis & honoribus auxisse, nec in eos

Christianæ pietatis officio defuisse videretur. Paulum Gisserium, sibi ex fratre pronepote, quo nemo supererat illi sanguine conjunctior, juvenem a piratis captum & triremibus alligatum, ignaris Turcis eum esse Pontificis consanguineum, [Paulum pronepote a Turcis redemptum] modica redimi pecunia, Romamque profectum videre voluit: sed non alio habitu, quam eo ipso, quo dum esset in vinculis induebatur. Eum porro graviter admonuit, ut ex ea calamitate ereptus disceret, ingentes Christo Redemptori dum viveret gratias agere, Deique mandata diligentius custodire, Dein equo officioque donatum, unde centenos aureos haberet annuos, humaniter accepit: mox eum, quod miles esset egregius, suburbanæ regioni custodiaeque suæ præposuit: atque ei quingentorum aureorum annuam pensionem, [& custodia sua præpositum,] ac suburbanam villam, in qua ipse domum extruxerat, cujus ante meminimus, Pii V prædiolum appellatum, dedit. Sed cum ille juvenili lapsus errore præscriptas Pontificiæ familiæ leges aliquando violasset, ac præterea culpam mendacio tegere voluisset; eum non solum officiis & donatis rebus fere omnibus privavit, [ablegat ob mendacium unum.] sed ab se & ab universa Romanæ Ecclesiæ ditone statim ablegavit, ea lege, ne deinceps Romam accederet. Usque adeo & mendaciorum, ut diximus, inimicus, & domesticæ disciplinæ vigilans ac tenax custos, & in consanguineos suos, quos ceteris modestiæ & obedientiæ exemplo esse volebat, severior fuit quam indulgentior.

[369] Ex tribus porro Gardinæ sororis suæ nepotibus, Antonio, Hieronymo, & Michaele Bonellis, unum Antonium, qui Dominicano ordini sese addixerat, [Antonium nepote Cardinalem quidem creat,] mutatoque nomine Frater Michael appellabatur, virum probitate doctrinaque præditum, sacri Senatus Regionumque Oratorum hortatu, ad eorum retinendam in negotiis transigendis fiduciam, vix tandem adduci potuit, quod ante retulimus, ut sacrum

in Collegium cooptaret. Hunc ergo Cardinalem Alexandrinum appellatum, rebus agendis sibi adiutorem sic adhibuit, ut suam ipse auctoritatem retinendo, non uni omnia deferret; sed graviora quæque ipse cognosceret, cunctaque amplissimorum Patrum consilio moderaretur. In novi Cardinalis familiam cum initio permulti vellent adscribi, Pius edixit, nolle se quemquam admitti, nisi quos ipse designasset: ut non modo probati, sed etiam pauci ad ejus ministerium adhiberentur: velle namque se eum inter pauperes Cardinales, [sed pauperem volens manere, non invito aufert Camerarii officium] quales ipse fuerat, numerari. Ac licet summum Camerarii Sedis Apostolicæ munus tertio Pontificatus anno vacans ei detulisset, tamen sequenti anno, cum ad sociale bellum contra Turcas gerendum pecuniis indigeret, quas alioqui poterat aliunde colligere, singulari exemplo ei nec invito id muneris abrogavit, & quod venale sit ceu & alii nonnulli Urbani magistratus, Aloisio Cardinali Cornelio vendidit septuaginta millibus aureorum: quos, ut ante memoravimus, ad augendas Christianorum vires contra Turcas contulit.

[370] Sed inter hæc cum alter effluxisset annus, ex quo sacræ militiæ Melitensis Ordo, summis votis, pro eximia sua in hunc Pontificem pietate, [Eidem facto Ordinis Melitensis Protectori, cum aliquas pensiones imposuisset,] Cardinalem Alexandrinum Protectorem sibi delegerat; Prioris in Urbe titulum ejusdem Ordinis, ex obitu Bernardi Salviati Cardinalis tunc vacantem, cum annuis redditibus, qui tum erant circiter sena aureorum millia, ipsi Alexandrino Pius assignavit, nonnullis annuis, ut mox dicemus, pensionibus reservatis. Sed cum ejusmodi collationem Joannes Valletta illius Ordinis Magister, cujus ante meminimus, ægerrime ferens per litteras ad Papam datas ea de re graviter expostulasset; perlectis litteris Pontifex, si res integra fuisset, ab ea se temperaturum indicavit. Quin etiam, ne quid in ejus viri

vel Ordinis, quos ipse valde diligeret, offensionem fecisse videretur, actum rescidisset; nisi Josephus Cambianus, tunc militiae Melitensis apud Sedem Apostolicam Orator, privatas & occultas Vallettæ querimonias publicas fecisset, ejusque secretas ad Pontificem litteras querelarum plenas temere per Urbem, immo per Orbem, evulgasset. Quæ res hominibus sermonem dedit, & Pontificis existimationem animumque graviter offendit: plerisque, uti fit, ex fama potius, quam ex facto rem perperam judicantibus. Itaque Pius quidquid fecisset, jure se fecisse ostendens, Cambianum, ut imprudentem rumoris auctorem, ab Urbe confestim jussit abscedere, eodem amplius non rediturum.

[371] Ceterum non esse, cur Valletta aut quispiam alius, se ob id offensum arbitraretur: nam si quid detrimenti in eum Ordinem inde recideret, [ostendit ordinem ea de re queri non debere,] id non injuria factum, immo plurimis & maximis in eum collatis beneficiis antea se cumulate compensavisse; ipsius sacræ militiae privilegia, decretaque honorifica, quatenus per Tridentini Concilii sanctiones licuisset, denuo se libenter comprobasse; & ad eam insulam ac militiam variis communiendam præsidiis, sartamque tectam conservandam, ingentes, ut ostendimus, sumptus fecisse. Ac licet pro summa sua potestate posset vacantia beneficia cui liberet digno tribuere; tamen templo cœnobioque Bosschensi, de quo diximus, ab se extracto, ipsius Hospitalis Ordinis Præceptoriam S. Joannis, cui ab Urba vicino torrente nomen est, a Boscho parum distante, cum attribuere cuperet, ac pro ea amplum, quod Apostolica Sedes in Siciliae diœcesi Mazariensi habebat sacerdotium, Abbatiae nomine sub titulo S. Mariæ Jumarum, in commutationem ipsi Ordini tradere designasset; id se pro sua modestia, ne quemquam offenderet, facere noluisse: nisi prius consultis ac summa voluntate consentientibus cunctis sacris illis Militibus Italici nominis atque adeo

**totius consilii Melitensis. Neque vero hæc se exprobrandi, sed approbandi causa commemorare.**

**[372] Ceterum super ipsius Prioratus fructibus tres pensiones duorum millium aureorum annum Pius imposuit: unam quingentorum, [easque applicat alendis nepotibus suis.] Joannii Paulo Ecclesiæ, civi Derthonensi jurisconsulto clarissimo, quem ipse ex Regio Senatu Mediolanensi, ob singularem ejus integritatem & jurisprudentiam in amplissimum Cardinalium ordinem legit; alteram pariter quingentorum, ut diximus, ipsi Paulo Gisterio, tertiam vero aureorum mille, Philippo, Sebastiano, Antonio, Michaeli, & Joanni, bonæ indolis adolescentibus, consanguineis suis, Paganini Gislerii Boschensis legitimis ac naturalibus filiis, singulis ducentenos assignavit. Quibus præterea fratribus ut tenuitatem sustentarent suam, Romanæ curiæ officia, unde singuli centenos aureos haberent annuos, elargitus est: eosdemque primum in Urbe in Germanico collegio optimis disciplinis ac moribus institui; deinde Philippum natu majorem Gisleria villa, ex qua, ut dictum est, Paulus exciderat, donatum, in Patavino gymnasio apud Nicolaum Ormanetum, quem ipse ejus civitatis Episcopum constituerat, juri civili operam dare curavit. Sebastianus vero, sub Sixto V multis in Ecclesiastica ditone Præfecturis honorifice administratis, sub Clemente VIII variis in locis Apostolici Vicarii officio cum laude perfunctus, propinquitatis jure una cum fratribus suis in Ticinensis Gisleriorum collegii, a Pio, ut retulimus, fundati juspatronatus, & in alia fideicommissi Gisleriæ familiæ ab ipso instituti jura successit: ab eodemque Clemente Strongolensium in Calabria factus Episcopus, præclaras: Pii virtutes æmulari conatur.**

**[373] Privatum porro & humilem statum Pius in suis adamavit. Satis constat principem virum, titulis & opibus illustrem, ut affinitatem cum Pontifice contraheret,**

misisse qui filiam suam cum summa dote Hieronymo Bonello, Cardinalis fratri, uxorem offerret. [quorum uni oblatas nuptias illustres recusat:] Cui Pius, magnam se illi gratiam habere: verumtamen nec Ducis, nec Marchionis, nec alios illustres titulos velle se in gentem suam inducere, quibus ea numquam antea claruisset. Huic ergo non feminam principem (sicuti nec aliis suis) aut amplissimis præditam divitiis, sed tenuem Hieronymi Rusticucii, nobilis civis Fanensis, de quo diximus, nondum Cardinalis, qui sibi erat ab epistolis, sororis filiam, nomine Diamantem, uxorem dedit. Hanc vero singulari Christianæ moderationis exemplo, non frequenti Procerum comitatu, non splendidis vehiculis aut ullo denique magnifico apparatu, sed humiliter & privatim clitellario mulo in cistis e Piceno Romam deduci voluit, in Urbeque submissee & modeste eam haberi. Inter hæc Emanuelli Philiberto, Allobrogum Duci, [addens si boni forent ab alio exaltandos,] per Vincentium Parpaleam S. Solutoris Abbatem, Pio suggerenti, ut liberalius pro dignitate cum propinquis ageret; respondit, si virtute cognati sui præstitissent, non defuturos, qui de illis bene mererentur. Prædictionem eventus comprobavit: nam Pio ex humanis erepto, Rex Catholicus Philippus, pro singulari sua in hunc Pontificem pietate gratissimaque memoria, Hieronymum ipsum Cassani in Insubria Marchionem dixit; eumque in ditone Mediolanensi divitiis & honoribus adauxit. Cardinali vero Alexandrino aureorum septena millia annua, & abacum auro argentoque cælato instructum, [quod & factum singulis Pio mortuo,] qui duodecim aureorum millibus æstimabatur & amplius, elargitus est, eumque deinceps aliis multis honoribus ac beneficiis ornavit. Michaëlem porro, ipsorum fratrem natu minorem, idem Dux Allobrogum, pro eximia sua in ipsum Pontificem observantia, vectigalibus auxit: inque sacram Annuntiatae Virginis militiam adscriptum subalpinæ Provinciæ Præceptorem declaravit. Paulo denique Gislerio, post ab eo præstitam in illa memorabili victoria

navali contra Turcas strenuam operam, Rex ipse sexcentos aureos nummos annuos tribuit.

[374] Ceterum Pius, toto Pontificatus sui tempore, nihil Hieronymo dedit, nihil Michaeli, præter annuam singulis quadringentorum aureorum pensionem; [qui præter modicam sustentationem nihil eis dederat,] nihil Isabellæ ipsorum sorori, quæ deinde Pio vita functo, Cardinalis fratris ope, honestiore conditione nupsit Pomponio Torello Parmesi Comiti Montischirugoli Coëntiique, non minus virtutibus ac liberalibus disciplinis quam generis nobilitate præcellenti. Puellis vero sibi ex sorore propinquis (quod ego ipse publica auctoritate firmatis documentis testatum vidi) erogavit in dotem singulis mille aureos: quibus illæ ambæ a suis in matrimonium honestis viris pari conditione sunt collocatæ. [idque non sine scrupulo.] Non defuere & alii principes viri, qui aliquando ei subjicerent, dotes ejusmodi & alia propinquis data subsidia, tenuiora videri quam talis tantique Principis cognatos deceret; posseque largiore manu cum illis agi. Quibus ille, Quin etiam, inquit, de his modicis, an salva conscientia dederimus, sæpe nobis venit in mentem dubitare: hæc enim bona sunt Ecclesiæ, in ejus tantum sacros usus, non ad luxum aut ad ditandos propinquos a sanctis legibus destinata. Cumque vir primarius ejus animum laudaret de consanguineis modice juvandis, idque maximam bonis omnibus afferre consolationem diceret, precareturque Deum, ut eam illi mentem quamdiu viveret conservaret; grato animo id Pius accepit: adjecitque se ad summum Pontificatum a Deo vocatum fuisse, ut Ecclesiæ suæ, non ut consanguineorum aut commodis inserviret aut cupiditati. Præclara sane vox, atque ut tanto prorsus digna Pontifice, sic in omnes ætates posteris illi succedentibus ad exemplum valde memorabilis.



## CAP. XV

[375] Dicere vero Pius solebat interdum, alios probe regere cupienti necessarium esse, se ipsum in primis domumque suam bene moderari: secus illi nequaquam obtemperatum iri. [A familia recte instituenda exorsus Pontificatum,] Hominibus enim suapte natura liberis ita comparatum esse, ut alter alteri minus libenter obediant, quam legibus quas a primariis ac principibus viris servari viderent. Itaque exemplo suo ac solitudine pervigili optimæ disciplinæ formam in familiam suam induci curavit, existimans illud Apostoli in se maxime convenire, dicentis, Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? [1 Tim. 3] Videbat enim, tametsi erat a Deo sibi totius Ecclesiæ moderatio commissa, singularem tamen domesticorum suorum procurationem eo magis ad se pertinere, quo certius ad exemplum suorum familiarium reliquas Ecclesiasticorum familias, non per Urbem solum, sed per orbem etiam terrarum componendas esse intelligebat. [eamque Cardinalibus volens esse exemplo.] Quare Pontificatus initio, iis penes quos erat cura rerum domesticarum edixit, sibi esse in animo, non habere apud se nisi homines spectatæ integritatis; velleque ut Pontificis domestica disciplina Cardinalibus documento esset, atque inde rerum ordinandarum sumeretur exordium. Porro autem familiares suos omnes convenire jussos gravi concione excepit: in qua æternæ felicitatis scopo ob oculos posito, Dei & Ecclesiæ sanctæ præcepta, si rite conservarentur, rectam viam esse docuit ad felicem illum finem consequendum. Dein eos ad illorum perfectam custodiam exhortans, quædam rerum capita præcepit ab omnibus, [quædam universam observanda præcipet,] qui domui suæ futuri essent, accurate servari. In iis, ut unus quisque nomen suum, & quibus initiatus esset Ordinibus, quæque possideret sacerdotia, declararet. Hæc omnia scire se velle, quo sibi ipse satisfaceret: quod eo

pertinere videbatur, ne quis beneficia plura quam jure posset obtineret, neque ab Ecclesiis, quæ residentes Præfectos exigent, abesse ulli permetterentur: tum etiam, ut si qua conferenda erant beneficia, cui conferri oporteret, intelligeret.

[376] Statuit præterea, ut domestici Sacerdotes omnes, etiam si nullo beneficio Ecclesiastico essent obstricti, [circa usum sacramentorum.] ter saltem in hebdomada divina mysteria celebrarent; ne publicæ utilitati cæleste sancti sacrificii beneficium subtraherent. Ceteri vero, præsertim Diaconi aut Subdiaconi, saltem quinto decimo quoque die sacrosanctam Eucharistiæ mensam frequentarent: ut hoc salutari cibo recreati, majores sumerent vires ad superandos hostes animarum. Atque ut exterior cultus habitusque corporis bonæ mentis testimonio esset, edixit, ut quotquot in aliquo sacro ordine essent constituti aut Ecclesiasticos perciperent fructus, Clericorum habitum induerent (quod ut in suis familiis facerent, [vestis mediocritatem,] monuerat etiam Cardinales) atque tonsura capitis & talaribus indumentis a laicorum cultu secernerentur. Vestes vero ex lana tantum simplici confici, nec ex holoserico interius exteriusve in familiæ suæ ornatu quidquam tolerari voluit: seculares vero penulas & galeros, præterquam ad arcendam pluviam, omnino interdixit. Ex subuculis lineis plicaturas, quæ foris ornatus causa prominebant amputari, & turgida femoralia abjici, simpliciaque tibialia gestari mandavit. Et quoniam innumerabilia vitia ex otii radice provenire, [sacram lectionem,] & bonam aulicorum partem gravissima cum jactura temporis otio abundare non ignorabat; statuit ut omnes interessent sacræ lectioni, quam ter in hebdomada in Apostolico Palatio haberi volebat. Sacros præterea libros, ad pietatem animos informantés, illis suppeditabat; ut iis legendis tempus honesta occupatione transigerent: admonens, ut de auditis lectisque rebus identidem conferrent: aut alioqui

ingenuis & Christianis viris digna sermonum argumenta inter se proponerent. Otiosa colloquia, & parum pudicos sermones, & omnem denique vel minimam peccandi occasionem ab aula sacra prorsus exterminatam esse voluit.

[377] Adhortatus præterea eos est, ut in omnibus actionibus sese non seculares, [morum gravitatem sub Præposito Ormanetto.] leves aut vanos, sed pios, prudentes, & vere religiosos exhiberent: ac domi forisque cum honestis & gravibus tantum viris commercium haberent. Quod ut perfectius efficeretur, Nicolao Ormanetto, cujus opera ad rem ecclesiasticam, uti memoravimus, restituendam utebatur, injunxit, ut & notare eos qui secus facerent, & admonere, & castigare, & expellere contumaces posset: ipsumque ab eo die aulæ suæ Præpositum in hujusmodi rebus spiritualibus constituit, cavitque ut illi omnes notarentur, qui ab altera noctis hora vel e sacro prodirent Palatio, vel id etiam inirent; eamque notationem ipse aliquamdiu videre quotidie voluit. [numerum famulorum minuit, & retentis stipendium duplicat;] Eos vero sumptus, quos ad dignitatis suæ splendorem Pontifices facere consueverant, imminui jussit, tenuisque summa concludi: id se facere professus, ut sibi suppeteret, unde publicam Ecclesiæ tenuitatem liberalius posset sustentare. Quocirca famulorum numerum diminuit: quos autem ab se dimisit, iis certam pecuniæ summam dono dedit: quos vero retinuit, duplici stipendio auctos esse voluit: ne videlicet unquam beneficiorum vel pensionum facultatibus inhiarent. Postquam autem ordinationum harum causas commemoravit, adjecit, ad officium suum pertinere, domesticos omnes recta via ad suum finem deducere. Quamquam enim Princeps sum, inquit, antiquius tamen Pastoris & dignius, quam Principis officium esse agnosco. Præfecto deinde custodiæ corporis sui præcepit, ut ex iis quæ audierat ea a militibus suis præstari curaret, quæ

eorum ferre conditio posset; eosque cogeret tranquille ac sine insolentia vivere; caveretque ante omnia, ne hæc leges ulla personarum acceptione violarentur. Postremo nihil in suorum moribus, habitu, colloquiis, ac tota denique vivendi ratione vitiosum, & quod pravi esset exempli, toleravit: nihilque prætermisit, quod ad optimi Principis sanctissimique Pontificis familiam recte instituendam pertineret.

[378] Hæc quidem, & id genus alia quamplurima de Pontifice, non minus re quam nomine Pio, vera narrantur: sed singula persequi, necesse non videtur. Solum ad præclaras tanti viri actiones, [vere Pontifex a S. Paulo Apost.] mores virtutesque ad gloriam & mortalium utilitatem cognoscendas, hæc pauca commemorasse forte fuerit satis: ut nemo non videat, talem omnino se Pium præstitisse, ut illius vita imaginem quamdam referat priscorum illorum Pontificum, quorum sanctimoniam actionesque divinas in primis veneramus: & qualem informat Apostolus, irreprehensibilem, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitem, doctorem, modestum, domui suæ bene præpositum: talem denique, qualem Romanum Pontificem ad Eugenium S. Bernardus describit his verbis; [& S. Bernardo descriptus.] Formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranympum, Cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum pariter & hæreticorum, Regum patrem, legum moderatorum, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. [1 Tim. 3]

**CAPUT VII.****Sanctitas vitæ, etiam miraculis confirmata.****CAP. XVI**

[379] Inter hæc demum ornamenta Pontificis, illud etiam splendescit in Pio, quod Apostolus commendans: Oportet illum, inquit, & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt. [1 Tim. 3] Nam quemadmodum sol splendore suo, etiam qui lucem oderunt, velint nolint, sæpe collustrat, ita Pontificis hujus virtutis lumen clarissimum sic omnium incurrebat in oculos, [Laudatur a pessimis hæreticis,] ut vel cæci sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostes de illo honorifice loqui cogerentur. Id quod Elisabetha Anglorum, quæ se vocabat, Regina fecit, & Admiralius Colignius in Gallia sæpius, cum aliis Hugonotis: atque in Germania primarii quidam hæretici dictitabant, dæmonem, ut falleret Papistas (sic enim Catholicos appellant) eis optimum ac vitæ sanctitate præstantem dedisse Pontificem, ut in sua de religione sententia pertinacius obfirmarent animos. Idem porro fecit Ioanna Regina Navarræ, quæ in longo, quem illa de Pio sermonem habuit, in causa feminæ Principis Rothomagensis ad sacrum Romanæ Rotæ tribunal delata, ipsum esse virum summa virtute & sanctitate præditum, asseveravit.

[380] In eum autem obloquentium ora Deus retundebat. Et sane in quodam jurisconsulto, cui nomen Writo, qui Pii famam & veram Catholicamque religionem prave oderat, ultionis divinæ claruit exemplum: is enim Oxonii, quod est oppidum in Anglia, cum in suggestum verba facturus conscendisset; adversus Pontificem Pium, in ejusque auctoritatem petulanter oblocutus, explicansque seu verius implicans illa S. Pauli verba; Christus in ædificationem Ecclesiæ quosdam dedit Apostolos, [et obloquens divinitus morte punitur:] quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores

**& Doctores: de suo subjecit hæreticus, Nulla hic Papæ fit mentio. [Ephes. 4] Verum sub finem sermonis prope mutus effectus, ac subito correptus morbo domumque delatus, octavo post die miser interiit. Ejusdem Anglorum, quam diximus, Reginae apud Philippum Regem Catholicum procurator, cum adversus Pium pro Condensi Principe loqui non dubitasset; ab ipso Rege fuit expulsus, longaque ab aula relegatus, donec alium ejus in locum Regina sufficeret: quæ proinde ex illis administri sui in Pontificem verbis haud mediocrem se molestiam accepisse renuntiavit. Quæ cum ita sint, vel ex his, atque adeo ex toto Pontificis hujus vitæ cursu discant, quæso, Catholici nominis hostes, non amplius Romanos Antistites eisque obedientes pessime vel odisse, vel maledictis etiam incessere: sed potius quam debent illis obedientiam ac venerationem præstandam esse intelligant & confiteantur; cum principes suos vel invitos de Pio honorifice locutos esse perspiciant.**

## **CAP. XVII**

**[381] Ad ea postremo, quæ multa passim de Pii sanctimonia, divinaque in eo collucente virtute narravimus, accedunt alia quædam, eaque nec obscura ejusdem rei testimonia: quæ quoniam auctores boni litteris mandavere, ea nobis hoc loco visum est silentio non præterire. Et sane cælestis quædam in eo vis ad nefarios spiritus ex humanis corporibus expellendos in primis enituit, [liberantur ab eo signo Crucis energumencæ quatuor,] singulis habendis supplicationibus, de quibus ante commemoravimus, ad divinam opem Cæsari contra Turcas implorandam. Primæ namque supplicationi cum a malo dæmone obsessa mulier intervenisset, magnosque & horribicos clamores edere cæpisset; ad Pontificem adducta est. Hanc ille sancta Cruce ter pie signavit: mox quæ a pluribus teneri non poterat, velut exanimis in terram concidit: nec rumore solum, sed re vera**

compertum est, eandem subinde prorsus convaluisse. Quæ res cum diu latere non posset, propterea ad alteram supplicationem tres aliæ malo spiritu correptæ fæminæ perductæ sunt: quas cum eodem salutari signo iterum & tertio Pius consignasser, singulæ sanitati sunt restitutæ. Harum unam non prorsus ignobilem fuisse narrant: ac licet a diversis sæpius curatam exorcistis, nihilo tamen melius, nisi post Sancti Pontificis operam, habere potuisse. In eadem secunda supplicatione aliud etiam admiratione dignum accidit. Mulier quædam magnis clamoribus petebat, ut Pontifex opem ferret. Hanc ille jussit coram se sisti, quod eam iudicium in adversarium postulaturam esse existimaret: at illa de perpetuo sui capitis dolore conqueri, quo multis jam annis laborasset: ac præsens ab eo remedium postulare. Hic subrisit Pontifex, singularem mulierculæ simplicitatem inspiciens; [dolorem capitis patiens,] neque tamen recusavit, quo minus ejus capiti stolam sibi de collo pendentem imponeret, mulieremque signo Crucis afficeret: mox compertum est, ægrotam illam ad pristinam sanitatem rediisse.

[382] Nec multo aliter in tertia processione usu venit: nam quædam alia a dæmone vexata mulier, Pontifice templum ineunte, horribili omnia strepitu complevit. [aliæ energumencæ duæ,] Tum Pontifex paululum consistens, eodem signo miseram insignivit. At in ea liberanda plus negotii, quam in reliquis fuit: injecit ejus capiti stolam, ac dæmonem jussit abscedere, ejusque digressus certam significationem dare. Saliit tum femina, impellente sic dæmone: qui ad extremum levi flatu facem extinxit, ut discessus ejus extaret testimonium: tum illa in terram corruit, ut mortuæ potius quam vivæ speciem haberet. Rediit porro non multo post ad respirationem, seque hospite pessimo liberatam esse cognovit. Ad hæc vero accedit aliud ejusdem generis argumentum. Cum aliquando prope Lateranensem basilicam locum

religiosissimum, Sancta Sanctorum appellatum, inviseret; rogatus a feminis primariis, ut energumencæ cuidam benediceret; annuit, substititque. Cum vero illa exclamaret vehementius, ac ne accederet ad Pontificem summa vi niteretur atque resisteret, aliquot e Pontificia familia, ne diutius Pontifex detineretur, raptam ad ejus pedum oscula pertraxerunt: quam Pius cum salutari signo consignasset, illa velut exanimis concidit: ac paulo post, discedente Pontifice, surrexit incolumis.

[383] Sed non Romæ solum, verum & alibi quoque, præsertim in Hispania, ubi hujus Pontificis memoria præcipua quadam veneratione colitur, [Dominicanus ab acerbo cruciatu coram ejus imagine sanatur.] sanctitatis ejus signa plura edita memorantur; ex his nonnulla, quæ a certis ac probatis auctoribus accepimus, hoc loco sincera fide referemus. Palentiæ in Hispania, Dominicani Ordinis cænobita, veteri gravique in secretioribus partibus morbo implicitus, necessaria naturæ officia exequi vix poterat, magnoque oppressus dolore morti vicinus credebatur. Humanis, quibus nihil levabatur, remediis omissis, ad divina confugit. Increbrescente ergo per eos dies sanctitatis fama Pii V, nec ita pridem vita functi, coram ejus imagine, quam Franciscus Reinosus, cujus ante meminimus, Cordubensis Episcopus, ad Urbe in Hispaniam deferri curaverat, in ipso doloris æstu supplex procubuit: eandemque imaginem singulari pietate arcte complexus, hunc in modum sibi divinam opem imploravit: Vir Dei sanctissime, sicuti ego te beata Dei præsentia in cælesti sede frui non ambigo, teque Sanctorum ejus cœtui jam in cælis consociatum esse firmiter credo; ita me tua apud Deum, quæso, juvet intercessio; ut per te omnino convalescam. Hæc vixdum precari desierat, cum ecce se voti compotem factum esse perspexit. Itaque ab omni dolore & morbi impedimento liber statim effectus, nihil se talis molestiæ deinceps jam per annos multos (ad eum videlicet usque diem, quo hæc testabatur) sensisse, &



huic sancto Pontifici quotidie suppliciter se devoentem, magna per eum a Deo beneficia impetravisse, lætus profitebatur. Hæc omnia ipsemet, qui talia passus divinitus sanatus est, tamquam certissima veritatis divinæque virtutis testimonia narrabat Antonio a Fonte Majore, probatæ fidei viro, qui hæc se Palentiæ diligenter ab eo & investigasse, & audivisse, & vidisse litteris prodidit. In Hispania quoque (subjicit idem Antonius; licet in his locum, tempus, nominaque personarum, & alia factum clarius testantia momenta rerum nec ille prodat, [Franciscanus Pii nomine a dæmone liberatur] & ego pervestigans rescire nondum potui) Franciscanus quidam, a dæmonio diu male vexatus, cum nullis exorcistarum remediis sanari posset; sacris illis administris Pii V, dum (uti fit verisimile) adhuc esset in humanis, sanctimonice opinione ductis energumenum ad Pontificem, ut ab eo curaretur Romam perducturos se comminantibus, edito Pii nomine (quasi alter esset Antonius ille sanctissimus, de quo similia narrantur) mirabile dictu, protinus erumpente dæmone, evasit incolumis.

[384] Proinde anno salutis humanæ MDLXXXII, Nonis Februarii, Valentie in Hispania, Gulielmo Raimundo, nobili viro & egregia in Deum & in Sanctos ejus pietate, [qui & cum aliis Sanctis apparet moribundo,] paulo antequam excederet e vivis, Sanctorum Dominicani Ordinis & aliorum, quos ipse in omni vita singulari religione coluerat, chorus affuit lætissimus. In iis vero beatissima virgo, Dei Mater, S. Dominicus, S. Vincentius, Pius V, & alii nonnulli sancti Romani Pontifices, & S. Ludovicus Bertrandus (quem ipse Gulielmus viventem apprime venerabatur, atque ab eo moriente nec ita multo ante fidem acceperat, pollicente, se post obitum suum ipsius bene memorem futurum) qui omnes lectulo ejus circumfusi, Litanias pro eo recitantes seque ipsi mutuis invocationibus singillatim cum aliis Sanctis pie

compellantes, pro eo precabantur. Hæc omnia ut viderat, coram multis gravibus utriusque sexus hominibus referre jussus ægrotus, adjiciebat: Pium Quintum in ea visitatione magno ipsi beneficio fuisse. Subinde rogans Hieronymam Vivem affinem suam, ut quoties Dominicanorum ædem adiret, maximas Pio V gratias ageret: ei namque se plurimum debere. Hæc porro vera ne essent, an dæmonum ludificationes, seu phrænetica spectra, iis qui aderant addubitantibus, variisque modis, ut assolet, rem iterum ac sæpius rite explorare nitentibus; cum ille sacra quædam verba pronuntiasset, remque ita se habere ut enarraverat, identidem affirmasset; demum, Sat, inquit, sat explorata res est, nec pluribus opus est testimoniis. Ad extremum post multa indagandæ veritatis perite facta pericula, rogantibus an Sanctorum ille chorus discessisset; respondit, non decessisse: sed urgere, ut ipse una cum illis quam primum in cælum emigraret. Quæ omnia mox in commentarios publice relata fuisse perhibentur: [pileolo ejus pie uso.] ac præter ceteros, qui aderant, Hieronymus Garzia, nobilis doctor physicus, in his omnibus ægrotum illum mentis compotem, sanoque judicio præditum fuisse, locuples testis asseverabat. Quod autem ille a Pio V se beneficium accepisse dicebat, inde fortasse provenisse existimatur: quod pietatis causa capiti suo ipsius Pontificis pileolum non ita pridem imposuisset, quo pileolo Cardinalis Alexandrinus, Hispaniensi legatione fungens, Valentiaë donaverat fratrem Vincentium Justinianum Antistium, Prædicatorum Ordinis gravem Theologum: eum ipsum, qui ejusdem beati Ludovici Bertrandi socii sui vitam conscripsit: in qua hæc omnia, quæ breviter de ipsa visione retulimus, fusius enarrantur.

## CAP. XVIII

[385] Sed Agabræ, quod oppidum est in Hispania haud longe a Corduba, domestico in sacello clarissimi viri

Antonii Cardonæ & Cordubæ, Ducis Sessæ, res contigit ad Pii sanctitatem indicandam valde memorabilis. Nitebat idem sacellum pulchris aulæis, ac variis qua insignium Sanctorum qua Romanorum Pontificum tabulis, in tela affabre pictis, undique ornatum pieque instructum. Inter alia vero Pii V, quem Dux ipse, [duæ imagines ejus] una cum religiosissima femina Joanna Aragonia conjugæ sua mirifice colebat, binæ pendebant imagines: altera in tela ad altare; ex charta vero altera ad sacelli januam appensa. Accidit quodam die, qui dies sancto Apostolo Thomæ sacer erat, anno MDLXXXVI, ut sacro-sancto Missæ sacrificio, precibusque rite peractis, extinctis luminibus & universis qui aderant egressis, sacellum de more clausum intus totum conflagrarit: modica videlicet scintilla, ut conjectura est, ex ardentibus cereis occulte decidente incendiumque sensim excitante. Quod cum postera die tantum compertum esset, re audita, conjuges Principes ad locum comite familia properant: incendii fœditatem dolentes intuentur. Sed illico dolorem vicit admiratio: dum enim & aulæa, & signa cuncta, & altaris ornamenta, denique omnia quæ cremari potuerant, igne vel absumpta vel deformata mœrentes inspiciunt; [ab incendio omnia consumente illasæ permanent.] ecce ipsas Pii V ambas imagines, mirabile dictu, in mediis flammis non modo non exustas, sed ne minimum quidem læsas demirantur: idque non nisi divina virtute fieri potuisse, omnes edicunt. Auxit admirationem intuentibus, vim incendii tantam fuisse, ut fornicati lacelli crusta undique diffracta, geminis amplioris formæ argenteis imaginibus & aliis quæ pariter ex argento erant conflatis, sacro altaris lapide in pumicem redacto, Pii tamen imagines spectare esset, alteram quidem, qua ipsa contingebat alterius Pontificis effigiem cum lignea coronice combusta, super tapete quo altaris subsellia sternebantur cecidisse, ibique prorsus illæsam jacere; ipsumque tapete undique ardens concremari cœpisse, sed qua Pii obtegebatur figura nihil offensum: alteram vero ex charta,

peristromatis & ceteris quibus cingebatur signis, ut diximus, exustis, loco suo integram fumoque tantum leviter offuscatam remansisse.

[386] [quarum una apud Dominicanos Vaënæ in honore est,] Hanc deinde sacræ Virgines Dominicani Ordinis, in cænobio cui a Sancta Maria Dei Matre cognomen est, in Hispaniæ oppido Vaëna, pro sua in hunc Pontificem pietate precibus obtentam, singulari religione conservant. Alteram vero ligneis suis ut erat instructam ornamentis, prorsus immaculatam; tapeteque ipsum, ambustum ac reffectum, iidem Duces nobis Romæ, dum hæc scriberemus, ostenderunt: remque omnem, quam, [alteram Romæ Scriptor vidit.] ut ipsimet locupletissimi & oculati testes nobis retulerunt, explicatam eis recognoscendam tradidimus, suo rursus testimonio comprobarunt anno MDCIII. Quo tempore Dux idem, non minus religione quam generis nobilitate insignis, apud Summum Pontificem Clementem Octavum pro Rege Catholico Philippo III Orator in Urbe residebat. Imaginem porro illam tapeteque, uti perpetua tanti Pontificis tam admirabilisque casus monumenta, apud se, ut vidimus, mirifica pietate retinere, & quocumque locorum iverint veluti divina salutis præsidia secum deferre, Duces ipsi pie profitentur. Ceterum nullas, quod sciam, nisi Sanctorum imagines, hoc vel simili modo ex incendiis quandoque divina virtute servari consuevisse, tum alia testantur exempla, tum in primis duo, quæ superioribus annis accidisse constat, Romæ unum, alterum Neapoli: ubi (ut de hoc prius) cum in æde S. Catharinæ de Formello nuncupata, anno salutis MDLXXXVII, nocte festi S. Barnabæ Apostoli, [Deo Sanctos hac ratione in suis imaginibus honorante.] lapso igne ecclesiastica supellex deflagrasset, inter aliaque pallium ex albo serico totum exarsisset; S. Catharinæ Senensis effigies, in eo medio depicta, prorsus illæsa remansit, Neapolitana civitate obstupescente. Romæ vero, in templo S. Salvatoris ad

Laurum, mense Septembri anni MDXCI orto incendio, sanctissimæ Virginis Dei Matris imaginem in tela pictam, rebus omnibus circumfuis, sæviente undique igne, pariter exustis, integram & immaculatam divinitus conservatam fuisse vidimus tantique, miraculi summa cum admiratione testis est populus Romanus, ejusdem beatissimæ Deiparæ Virginis cultor singularis. Hæc videlicet & id genus alia divinæ potentiae suæ miracula, tum ad nostram firmandam fidem, tum ad Sanctorum suorum sanctitatem magis illustrandam, tum denique ad impiorum iconomachorum arguendam perfidiam, interdum edere consuevit ille summus rerum opifex ac moderator Deus; qui ut mirabilis est in Sanctis suis, ita semper & ubique laudabilis.

[387] Hæc habui quæ de Pio V, Summo Pontifice, ex variis ac probatis auctoribus locupletibusque testibus, [Conclusio auctoris.] ex Apostolicis ejus constitutionibus & epistolis, ex Legatorum & Internuntiorum institutionibus ac rebus gestis, atque ex aliis spectatæ auctoritatis monumentis, bona fide magnoque labore ac studio collecta, posteris ad imitandum & ad publicam utilitatem litteris proderem. Ex epistolis vero ad sacrorum Antistites, ad Reges, & ad alios Principes viros ab eo datis, & responsis acceptis (quas ex Romanæ Ecclesiæ tabulariis depromptas inspexi, & ex primariis exemplaribus descriptas accepi, publica que fide munitas penes me teneo) ad finem, ut ante sum pollicitus, plerasque luculentiores & quæ publicæ rei utiliores fore viderentur, tãquam rerum memoratarum testes edendas selegeram. Sed cum, ne opus in aliud fere volumen excresceret; tum vero etiam magis, ne sine aliis nobis repromissis ejusdem Pontificis monumentis, quæ habere nondum potuimus, in lucem prodirent; eas vel separatim, vel cum altera hujus operis (quam, si vita supererit, forte curabimus) editione vulgandas, differre visum est. Interim vero pium lectorem rogatum velim, ut si quid animadversione dignum vel

**offenderit, vel habuerit quod ad opus hoc seu locupletandum, seu melius faciendum (neque enim omnia possumus omnes) pertinere judicaverit; id mihi, pro suo Christianæ caritatis officio, benigne suggerere non gravetur. Ut quod pro ingenii mei ac virium imbecillitate perfici non potuerit, id in altera, si unquam parabitur, editione, ad gloriam Dei & ad communem utilitatem aliena suppleatur industria.**